





LVCIANI MVELLERI

DE RE METRICA

POETARVM LATINORVM

PRAETER PLAVTVM ET TERENTIVM

LIBRI SEPTEM.

ACCEDVNT EIVSDEM AVCTORIS OPVSCVLA.



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXI.


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
37 -F
33
ROMA


LVCIANI MVELLERI

DE RE METRICA

POETARVM LATINORVM

PRAETER PLAVTVM ET TERENTIVM

LIBRI SEPTEM.



ACCEDVNT EIVSDEM AVCTORIS OPVSCVLA.



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

A. MDCCCLXI.

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI.

AVGVSTO · BOECKHIO

MAVRICIO · HAVPTIO

PRAECEPTORIBVS · CARISSIMIS

D · D · D

LVCIANVS · MVELLER



I.

PROOEMIVM.

Anno MDCCCLVI cum ordo philosophorum Berolinensium amplissimus hanc proposuisset quaestionem, ut T. Lucretii Cari genus dicendi uersuumque faciendorum ars exponerentur et cum poetarum Latinorum et priorum et aequalium et eorum qui Augusti aetate uixerunt consuetudine compararentur, ego magno studio gaudioque nec infeliciter rem tractandam suscepi. certo enim tempore iudices prudentissimi legitimo operam meam decorauere praemio. quo ego sum acrius accensus, ut rem semel incohatam perficerem et quam elegantissime possem perpolirem. itaque omissa in praesens priore parte quaestionis — e qua quae digna memoria uidebantur huic fere leguntur inserta uolumini — totum me applicaui ad metra poetarum Latinorum cognoscenda, cui quidem studio iam multo ante plurimum temporis impenderam. etenim ab ineunte inde aetate magno poetarum Latinorum amore continebar, primo quidem ut imitando eos conarer exprimere. mox ubi corroborauit aetas, quae prius sensu quodam quamquam non hebeti nec optuso incerto tamen et obnoxio arbitriis perceperam, ea iam temptaui explicando mihi disponere argumentisque et rationibus munire.

Itaque cum illa, quae uiri docti de metrica Latina commentati erant, diligenter tractaui, tum omnium studiosissime ipsos libros poeticos nec hercule semel singulos perlegi, et iam quae aut priores inuenerant aut ipse mihi repperisse uideor hoc uolumine emittuntur.

Sed primum omnium de eo paucis erit exponendum, quod minus fere Plauti Terentiique respexi placita metrica. nec enim id ita uolui accipi, quasi ego horum aut numquam legissem aut numquam pertractassem carmina, sed enixius etiam rogo, nequis

superbia factum indicet, quod excludenda ferme haec censui a serie operis, a qua ego tantum absum, ut illos haud sane cognitione indignos existimem, primum ad ipsorum qualemcumque artem percipiendam, deinde ut appareat, quanto ab dactylicis interuallo superentur. sed uidebam etiam post clarissimas Friderici Ritschelii curas permulta in illis superesse dubia, e quibus bona pars uereor ut umquam satis possit absolui, cetera certe non prius expedientur quam cunctos Plauti Terentiique libros habebimus eo instructos apparatu, quo nunc a Ritschelio editae nouem illius feruntur fabulae. quin ipsum Ritschelium non semel uidimus post temporis interuallum haud ita magnum quae ipse protulisset improbare aut euertere. iam cum ego non sim tam contumax, ut tali uiro temere repugnem, neque autem tam credulus, ut proprii oblitus iudicii cum eo diuerso tempore de eadem re statuam diuersa, illa quam maxime declinanda atque ambigenda esse censui. hoc tamen optima licebit asseuerari fide me haud mediocrem operam nauasse scaenicorum arti prorsus insinuandae, quod spero me omnibus probaturum eo loci, ubi de Lucilii Varronisque ac Phaedri iambis ac trochaeis Italicis incidet sermo. praeterea passim ad scaenicorum ueterum fragmenta emendanda digredior.

Sed horum, de quibus iam quaeritur, poetarum cum uiderem bina esse genera diuersa sane et arte et eruditione quamquam aliquanto minore quam uulgo putatur interse distantia interuallo, ego diu multumque meditatus, quonam aptissime illos nomine distinguerem, nihil tamen inueni melius breuiusque ad significandos eos, quam ut alteri classicorum christianorum alteri inderem uocabulum. nam nec temporibus ullo modo disiunguntur, quoniam plurimum spatii hoc est ab initio ferme tertii usque ad finem sexti p. Chr. n. saeculi simul optinuere. etenim quod pestilentia, qua M. Aurelio regnante totus orbis et maxime omnium Italia uexatast, mox saeculi tertii bellis ciuilibus concussum dicunt imperium Romanum Gibbo et Niburius, incolis in barbariem lapsis cito artium flores ut perirent, haec opinio quamquam in uniuersum habet rectissime, non tamen perinde ad metricam artem scholasque poetarum pertinet. — sed horum unumquemque cuinam parti uelim adscribi ut uideas, simul ne plus minusue expectes eo, quod spondeam me praestiturum, dabo primum omnium in conspectum illos, de quibus aequata fere cura exponetur. erunt autem classicorum hi

ex saeculo u. c. VI uel VII

Ennius Lucilius Tullius Lucretius Varro Laeuius Catullus,

ex octauo

Cato Vergilius cum suis Horatius Tibullus cum Lygdamo et Sulpicia Propertius Ouidius cum suis Gratius Manilius Columella Lucanus Persius Seneca Petronius.

quibus fuere aetate aut pares aut proximi

Calpurnius auctor panegyrici ad Pisonem incertus de Aetna Homerus Latinus is qui scripsit de Maecenatis obitu elegias.

porro de saeculo VIIII extitere hi

Valerius Statius Germanicus Silius Martialis Sulpicia Iuuenalis.

qui posteriore aetate etiam classicis ut adnumerarentur fuere digni, hoc ferme temporum ordine se excipiunt

Symposius Sammonicus Septimius Nemesianus laudator Herculis Palladius Claudianus Rutilius Merobaudes.

at christianorum de magna multitudine quos eligerem inuenti ferme sunt illi

Auianus Iuuencus Porfirius Auienus Ausonius Prudentius Paulinus Nolanus Sedulius Martianus Luxorius Arator Maximianus Priscianus Eugenius Toletanus.

medium fere dignitate optinere uidentur Terentianus et Boethius quippe in plerisque rebus classicorum secuti artem et tamen aliquando ab eis paullo longius recedentes.

Sed erunt fortasse qui mirentur, qui sustinuerim christianis inserere eos, quos partim non constet certo fuisse christianos, partim certo constet non fuisse. esse etiam in his colluuioni illi addictos religionum, quae passim per ultima imperii Romani tempora optinuit, qualemque fere Ausonius et Symmachus mox Merobaudes et Sidonius probauere. uerum, ut iam dixi, quas adhibui notas non posui ut fidem poetarum illorum discernerem sed ut artem. erat mihi quippe persuasum partem causarum, quibus adducti ab saeculo inde tertio auctores permulti normam ab antiqua satis diuersam sunt secuti, repetendam esse inde, quod ab illo tempore magis magisque percrebuit religio christiana. sed de hoc infra dicetur. nunc duo ista genera poetarum quomodo differant ut explanem, de uniuersa metricae antiquae ratione, qualis fuerit uetustissimis temporibus, qualis mox pristino statu inuerso, paucis mihi erit disserendum.

Antiquissimi Graecorum nulla dum extante eruditione grammatica metricaque cum tamen naturae lege ad poeticam rythmum-

que ferrentur, non alium sunt secuti in uersibus pangendis ducem quam ingenitam indolem propriamque elegantiam. nec fefellit eos. nam his adiuti solis subsidiis ea sunt assecuti, quae, cum non possint doctrina aequari nedum superari, et Latini et ceteri deinceps populi admirantes pariter atque inuidentes omni tempore suspexerunt. neque erat, cur leges hexametri pentametrique mox iambi et reliquorum uersuum, quos Archilochi et Hipponactes dein Aeolis et Doriis diuino inuenere ingenio, a ludimagistris docendo exercendoque scholasticum in modum propagarentur. etenim illorum poetarum pleraque cum in scholis a pueris ediscerentur, cetera cantando publice recitandoque essent uulgo nota, facile eis qui animo deferrentur ad poeticam seruabatur norma carminis, cum praesertim Graecos eadem felicitate retinere et exornare repertas uersuum leges par esset, qua sunt usi in inueniendis isdem.

Verum postquam apud illos sophistarum increbuerunt studia, et magis, ubi magnis nationibus subactis tot in linguam cultumque Graecorum cessere gentes barbarae simulque in Graeciam ipsam confluxere undique alienigenae, haec omnia funditus esse immutata non est quod miremur, neque Phryges aut Paphlagones aut colluuiem illam nationum quam dixit Piso in annalibus Taciti [II, 55] aequales sibi Athenienses credibilest potuisse componere carmina Graeca non adiutos scholica eruditione, cum ipsum sermonem Graecum a grammaticis potius et magistris quam a parentibus haberent traditum. igitur ab Alexandri certe aetate hoc omnino optinuit, ut magistri, qui dictitarent pueris Homeri et Theognidis aliorumque carmina, simul et demonstrarent uersuum regulas eis, quae ad manum erant, exemplis repetendas quidem illas exercendasque discipulis. — huic rei firmandae non quidem desunt certa testimonia. ueluti quod Heliodorus, priorem Traiano uixisse quem certo constat, scripsit enchiridium de metris, non minus illud hercule puerorum usui fuit destinatum quam illa Dionysii Thracis capita, ubi de longis breuibusque et communibus agitur syllabis. sed fac nullam talium librorum ad nos peruenisse notitiam, non magis tamen res foret incerta. etenim ab Alexandri inde tempore poetae epici certe et didactici quantumuis aetatis aut terrarum interse disiuncti spatio cum in paucis rebus differant scilicet eis, quibus pars exemplum antiquorum et iudicium magis suptile sequerentur remittentibus aliis de seueritate et suorum potius aequalium aures quam placita ueterum spectantibus, tantam in ple-

risque habent legum atque adeo licentiarum aequalitatem — de quo eximia laude Godofredus Hermannus et Carolus Lehrsius exposuerunt —, ut, nisi de mystica quadam et miraculosa traditione cogitare malis, non possis non cogitare de scholastica. neque enim aut ab materiae similitudine solum hoc repetes, nam id ne facias obstat poetarum Latinorum in parili argumento diuersitas, aut dices tam apertam tamque unicam fuisse uiam quam tenuerint uetustissimi, nemo ut posset cogitare de relinquenda ea nisi homo sanitatis omnis expers. quod contra a prima inde aetate informatos praeceptis seueris magistrorum et aequabili quodam legum metricarum concentu facile se accommodasse constantiae regularum non est mirum secundum illud Horatii 'quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu', cum praesertim nullus omnium ab Apollonio usque ad Manethonem auctorum eo esset poetico spiritu aut ea altitudine ingenii, ut libera per uacuum potius ponere quam aliena premere ualeret uestigia. adde quod illam quam apud Romanos extitisse notumst grammaticorum poetarumque inuicem se iuuantium communionem etiam apud Graecos eorum, de quibus dicitur, temporum fuisse constat. iam inuenies, qui sit factum, ut sicut in ceteris partibus ita in uersuum arte elegantiam et aequalitatem et doctrinam pluris fecerint illa, quae propriast principum poetarum, multiformi uarietate facilique libertate. et est hoc omnino cuiusuis disciplinae scholicae, magis ut plerorumque hominum aequabilem mediocritatem respiciat quam summorum ingeniorum singularem praestantiam, quibus nouae uiae recluduntur humanae sollertiae et quibus interdum quae doctissimorum hominum suptili ratiocinatione et consensu unanimo fieri posse pernegatur ea re ipsa ipsoque aspectu praesentia extare comprobatur.

Iam quaecumque modo exposui longe etiam magis ad Romanos quam ad Graecos poetas pertinent. itaque non intercedo quidem, uersus incomptos hoc est Saturnios, quibus teste Marone Ausonii coloni festis diebus luserunt, quin ueteres Latini crassa Minerua nullaque extrinsecus adscita doctrina composuerint. sed neque Liuius Andronicus, qui primus metra Graecorum si non intulit certe comprobauit Latinis, nec qui huius pressere uestigia potuerunt uersus Graecorum aut percipere aut effingere sine scholica quadam eruditione et multo minus is qui ut ingenio fuit maximus ita haud scio an optime omnium et qui praegressi sunt eum et qui

subsecuti meritus sit de arte Latina, Q. dico Ennium. et uero traditur Liuium Enniumque utraque lingua docuisse grammaticam aut interpretantes Graecos aut siquid ipsi Latine composuissent praelegentes. quin fuere, qui ad Ennium libros de litteris syllabisque item de metris referrent. in qua re quamquam acquiescendum existimo eo, quod Suetonius cum Cotta id negauit se habere recte, aliumque horum uoluminum auctorem fuisse Ennium — qui enim iam licebit statuere certius, cum ne una quidem ex his libris supersit littera? — tamen per se diuersa opinio haud quaquam abhorret a probabilitate aut incongruast eis, quae a Festo aliisque traduntur de poetae Ennii studiis grammaticis.

Mox Lucilii Attiique quantae fuerint in eadem re partes, nemini ignotum. iam hinc quantum ad uersus eorum redundarit commodi, ne nunc quidem pridem ingenti litterarum damno deperditis ipsorum carminibus perspici non licet. sed uiderit Attius. de Lucilio his libris exponetur.

Iam in scholis, quas ab antiquissimis inde temporibus apud Romanos fuisse probabilest, non ullam metrorum enarrationem fuisse non est quod miremur. quod contra plus quam uerisimilest illud quantitates certe syllabarum et ueras pronuntiandi rationes in eis tradi solitas pueris. nam hoc nisi factum esset, qui potuerit usque ad Liuii tempora syllabarum et ad radices uerborum et ad flexiones pertinentium ea, quam uidemus, manere integritas, haud facile quisquam explicarit. nisi forte cum dicat Pompeius [p. 422 Lindem.] suo tempore plerumque male pronuntiando aut breues syllabas longo tractu sonare aut longas breuiore sono, statuemus huic uitio non fuisse obnoxios ueteres Latinos, et fugisse eos, quod cultissima Domitiani aetate factum, qua plerosque uerborum extremas syllabas non pertulisse, priorum dum sono indulgerent, auctor est Fabius [XI, 3, 33].

Sed scholicam illam puerorum eruditionem, quam probabilest post Aelii Stilonis tempora magis magisque, ut asserit Suetonius, studio curaque artis increscente usque ad sextum septimumque p. Chr. n. perdurasse saeculum, sic describit Seneca epistularum l. XIII [ep. 88], ut dicat esse grammatici syllabarum enarrationem et uerborum diligentiam et fabularum memoriam et uersuum legem ac modificationem. cui sunt simillima, quae scribit Quintilianus l. I [c. 8] de re eadem 'in praelegendo grammaticus et illa quidem minora praestare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto uersu

desideret et pedum proprietates, quae adeo debent esse notae in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur'. hanc autem ut ceteras eruditionis partes non ad abiectae fortunae pueros sed ad beatos et liberaliter educandos pertinuisse cum per se probabilest tum certum fit eis, quibus in nubibus Aristophaneis [639—654] illuditur Strepsiadae, et magis Ciceronis quodam [orat. 51, 173] diserto testimonio, cuius uerba sunt haec 'in uersu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut breuior aut longior. nec uero multitudo pedes nouit nec ullos numeros tenet nec illud quod offendit, aut cur aut in quo offendat intellegit, et tamen omnium longitudinum et breuitatum in sonis sicut acutarum grauiumque uocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocauit'.

Et istis quidem omnes pueri ingenui instruebantur rudimentis metricis, quod quomodo factum sit illa, quae ad nos peruenerunt, enchiridia satis demonstrant, ut tamen sit credibile, saeculi a. u. c. septimi octauique et noni magistros tanto minus fuisse taedii plenos ac morositatis, quanto fuerunt eis, quorum iam extant libri, ingeniosi magis et docti. sufficiebat autem haec doctrina utique eis, qui alieni a poetica et diuersis intenti curis animi tantum causa et ad oblectandum otium aliquando pangerent carmina, quos plurimos ex quolibet ordine fuisse apud Romanos comperimus. uerum illis, qui totos se tradebant Musis, non licuit subsistere in illa eruditione προπαιδευτικῇ, sed maiorem in dies peritiam artis et doctrinam sibi apparare eosdem uerum erat. quod haud facile poterant optinere, nisi similis studii hominibus sese iungerent. hinc facta illa, qualia fuerunt apud ueteres, poetarum et grammaticorum contubernia, hinc ortae, quas dicit Martialis [IV, 61, 3], scholae poetarum. et has quidem non tam litteratorum quam poetarum puta Catulli Horatii Ovidii aliorum testimoniis satis amplis edocemur fuisse tales, qualia ferme nunc plerisque in urbibus artificum habemus collegia, ut conuenirent addicti poeticae certis diebus recitando communicandoque iudicium consortium experturi, simul uersus siqui inessent duri expolituri. ita et ei, cui bene res cessisset, gloriae abunde erat paratum, nam huius nomen mox sermonibus per totam urbem differebatur, et sicui carmen auersis Musis esset compositum, aliquantum detrahebatur pudoris.

Sed efficacior longe ad artem dactylicam promouendam fuit ille quem modo dixi poetarum et grammaticorum conuictus. hic qualis Laeuii Cinnaeque fuerit tempore, etsi constat plerisque, ta-

men, quoniam insigniter facit ad rem meam, pauca de eo subiciam. itaque de Catone, quem tradit Suetonius uisum peridoneum auctorem ad poeticam tendentibus, hi uersus ferebantur

Cato grammaticus Latina Siren,
qui solus legit ac facit poetas.

Non minus nota res de Q. Caecilio, qui primus Vergilium et alios poetas nouos ex tempore coepit praelegere, ut apparet Marsi uersiculo

Epirota tenellorum nutricula uatum.

Itaque cum Catone. Cinnae ac Ticidae et Bibaculo, Vergilio cum Parthenio et Hygino intercessit familiaritas, sicut postea Silio cum Cornuto. quodsi de insequentibus saeculis minus constat, haudquaquam sequitur aliam atque antea optinuisse consuetudinem.

Igitur quamquam a Laeuii inde tempore magis iam disiunctis poetica et grammatica non tamen hercule umquam defuere qui utramque simul exercerent mobilitate ingenii et prout ducebat animus obsequentes — an credebant, quod minime absurdum, quo quis meliore et regularum metricarum et dicendi legum poteretur cognitione, eo facilius posse quantumuis remotas aut latentes patrii sermonis elicere elegantias? quale sane haud minimum decus est poetae naui. nota res est de Varrone et Catone, mox eadem studiorum multiformitate et Valgius et Messalla et Asinius cum Melisso et Palaemone excelluere nec aliter ultimo imperii tempore Ausonius et Priscianus.

Et hercule poetae cum classici tum christiani, ubicumque artis suae inicimt mentionem, eam a magistris acceptam et scholicis legibus circumscriptam autumant nec licere ob regulae firmitatem certum pro singulis metris syllabarum temporumue excedi numerum. quod si tamen admittatur, fore id non licentiae sed uitii. hinc egregius quisque uersuum artifex ea afficitur laude, ut dicatur legum carminis guarus, qui secus fecerit, rudis artis aut doctrinae expers uocitatur. exempla huic rei firmandae apposui.

Igitur Horatius in melicis haec habet [IV, 6, 29]

spiritum Phoebus mihi Phoebus artem
carminis nomenque dedit poetae.

idem in epistula ad Pisones [259]

Enni
in scaenam missos cum magno pondere uersus
aut operae celeris nimium curaque carentis
aut ignoratae premit artis crimine turpi.

et infra [382]

qui nescit uersus tamen audet fingere.

sic Ouidius in epistulis ex Ponto [IV, 12, 5]

lex pedis officio fortunaque nominis obstat,
quaque meos adeas est uia nulla modos.

Martialis in epigrammatis [IX, 11, 10]

nomen nobile molle delicatum
uersu dicere non rudi uolebam.
sed tu syllaba contumax repugnas.

porro ita Terentianus [2402]

paenultimam sed pro breui trahit longam,
nouitate ductus non ut inscius legis.

Rutilius Namatianus [I, 419]

optarem uerum complecti carmine nomen,
sed quosdam refugit regula dura pedes.

nec aliter de eadem re Prudentius [peri steph. 4, 161]

quattuor posthinc superest uirorum
nomen extolli renuente metro,
quos Saturninos memorat uocatos
prisca uetustas.
carminis leges amor aureorum
nominum parui facit.

ita Victor praefatione commentariorum in genesin [iuxta fin.]

quodsi lege metri quicquam peccauerit ordo,
hinc nullum fidei subeat mensura periclum.

Corippus in distichis ad proceres Carthaginenses [27]

forsitan et fracto ponetur syllaba uersu.
confiteor. Musast rustica namque mea.

Itaque quam saepissime aut ipsis poetis aut numeris eorum additam legimus cultus doctrinaeque laudem, hanc uero satis constat non alio potius quam ad illam, de qua dixi, uersus legum peritiam pertinere.

Iam haec eruditio scholica quantum ualuerit ad artem poetarum metricam et grammaticam siue constituendam siue immutandam, facile poterit intellegi. hac enim primum effectast aequalitas illa obseruantiarum, quam et appetisse omnes uidemus pubescente arte et tueri eadem corroborata. — apparet autem quam bene concinnitatis studium et limae diligentia conuenerint ingeniis Romanis, quoniam eos ut in publica re ita in metrica plus seueritate institutorum et aequata inter omnes industria quam unius

aut alterius hominis singulari praestantia et abnormi indole optinere uerum erat.

Sed non minus hercule quam ad stabiliendam ualuit ad inuertendam artem metrorum et dictionum grammaticorum auctoritas. ac primum quidem certissimumst illud eis ipsis studiis, quae ab Hadriani et Aurelii tempore plurimum apud illos uiguerunt, nimirum restaurata uetustissimorum, quae per CC annos in contemptum abierat, memoria esse effectam poeticae artis immutationem, qua plerosque iam in metris Laeuii et Varronis multiformem numerositatem, in dictionibus aut hos eosdem aut multo etiam uetustiores secutos esse libris primo et septimo demonstrabitur. — hinc autem ortum plurimum differentiae eius, qua classici a christianis seiunguntur poetis. ad quam iam accingor enarrandam, ut tamen pauca de diuersis metricorum sectis prius praemittantur.

Duo fuere apud Romanos metricorum genera, temporibus quidem illa non magis quam poetae, quos dixi, classici et christiani interse dirempta at ceteris rebus diuersissima.

E quibus alteri sane egregii arte et Alexandrinae doctrinae plenissimi, etsi lusibus quibusdam et praestigiis inutilibus, quibus litterati cum Graeci tum Latini, nondum satis certis usi rationibus operam nauarunt, et ipsos indulsisse probabilest. in quibus fuit utique epiploce, quam quibus nunc utimur doctores ad taedium usque incommode simul et ridicule ingerunt. sed ueterum metricorum Latinorum opera exceptis fragmentis paucissimis casu seruatis funditus periere, neque quae iam extant enchiridia tantum illorum doctrinae seruarunt, quantum Alexandrinae inest in Graecis. itaque quales fuerint isti, non nisi poetarum classicorum carminibus, qui sese plerumque praeceptis eorum accommodauerunt, poterit cognosci. et hoc quidem acerbum. quamquam multo meliore fato accidit, quam si conuersa uice uatibus careremus, salui autem essent grammatici. sed illud, sicut factumst, euenisse damnum non poterit esse mirum reputanti, qui seruati sunt libros metricos propter aequabilem quandam facilitatem sermonis et rerum mediocritatem scholarum cito usu tritos fuisse ac propagatos. neque aliud hercule uoluere auctores, quos sua puerorum in commodum composuisse cum ultro appareat prudentibus tum eo maxime confirmatur, quod nonnulli etiam pedum enarrationem addidere libris, scilicet ediscendam tironibus, quodque Atilius et Terentianus cum Victorino et aliis in fine operis addiderunt enumerationem metrorum

Horatianorum, prout singulis deinceps exhibentur carminibus. talis autem disciplina uix est dubium quin auctorem habuerit Caesium Bassum. namque certum mihi uidetur tractatus eius de metris et syllabis non quo nunc feruntur sed conuerso sese excepisse ordine, et quae ad Horatium pertinent non in fine modo, sed etiam post haec uerba 'portio iambici, sequitur ithyphallicus' esse lacunosa.

Itaque, ut in uiam redeam, quae iam extant enchiridia metrica aut horum simillima ubi semel optinuerunt, quo magis genus humanum conuulso orbe terrarum in barbariamst reuolutum, eo acceptiora fuisse et docturis et discentibus non mirabimur. nec uero doctis, quos ultima imperii Romani habuerunt saecula, haec fuit cura, quibus eruditionis seu propriae siue adscitae a Graecis copiis florerent Varrones et Nigidii et siquos horum similes Caesaris et Augusti mox Tiberii et Neronis tulerunt tempora, nec Bedae et Aldhelmi ideo bybliothecas et litterarum ueterum reliquias peruestigarunt, ut horum, quos significaui, uirorum eruditione suos exornarent libellos, sed trita orbita Probos et Sergios et quos fors optulerat compilauerunt. nam et scholiastarum commentariis ubi metricae res tanguntur apparet eadem prorsus doctrinae mediocritas haustae equidem grammaticorum aeque neotericorum e libris. nec tamen est credibile a Gellii inde aetate sic euanuisse omnino antiquae doctrinae monumenta, iam ut sola regnaret studiorum tenuitas, quam testantur poetarum posteriorum plerique, aut ita inualuisse eruditionem per compendia institutam, ut ne qui uellent quidem percipere possent diuersam et melioris fructus disciplinam. — igitur Romae et in aliis imperii urbibus, ut quaeque illi nobilitate esset proxima, fuere utique magistri ut in metrica ita in ceteris rebus quae spectant ad doctrinam praestantiores illis, quorum sunt seruati libri. unde nec hoc erit mirum, quod qui post Iuuenalem classicorum quos nuncupamus poetarum numero accessere non in uersibus magis quam in aliis eruditionis partibus uelut fabularum et historiarum scientia potiores fuere aequalibus, u. c. Claudianus, cuius eximiam doctrinam meritis saepe laudibus cumularunt et Barthius et Gesnerus. nec uero probabilest multo prius fuisse extinctam omnino meliorem illam artis peritiam, quam cum ingruente undique barbarie quae supererant etiamtum Romani cultus uestigia funditus sunt euersa, hoc est circa initia saeculi post Christum septimi. confirmat id Boethius, cuius uersus,

solos dimetros anapaesticos si exceperis, nihil habent ab exactissima elegantia alienum, ut eos non Neronis minus aut Vespasiani quam Theoderici et Anastasii tempore compositos esse possis credere.

Verum a tali eruditione multum afuere metrici illi, quos christiani poetae sunt secuti. nam et alia multa protulere peruersa, quibus castitatem candoremque carminum perquam imminui oporteret, et omnium absurdissimam de communibus syllabis doctrinam. nimirum nouem modis effici statuerunt, eadem ut uocalis et produci possit et corripi, quos iam, sicut ipsi asserunt, referam.

Primus est, si post breuem syllabam in eadem dictione sequuntur i uel u, quae si in consonam abeunt, producitur illa, ueluti 'arietibus crebris' aut 'fluuiorum rex Eridanus'.
alter, si longa uocali aut diphthongo clauditur uox insequente statim uocali. est enim producta in hoc 'ulla moram fecere neque Aonie Aganippe', breuis in hoc 'insulae Ionio in magno'.
tertius, si breuis uocalis excipitur a muta uel f addita liquida, qualia haec 'infandi Cyclopes' et 'uastosque ab rupe Cyclopas'.
quartus, si breuis posita in fine excipitur a duplici consona z uel x, nam corripitur hoc uersu 'pontibus instratis coniunxit litora Xerxes', alibi fit longa sic 'Drymoque Xanthoque Thaliaque Cymodoceque'.
quintus, si sequuntur itidem breuem initio uocis proximae binae consonae, quarum prior sit s, quae plerumque liquescit ut in his 'ponite. spes sibi quisque'. sed potest manere producta breui qualest illud 'unde scissa coma'.
sextus, si post finalem correptam, quae in consonam exeat, sequitur h. nam extenditur illa in hoc 'terga fatigamus hasta' uel 'Aeneam hominum quisquam' [Diom. 425], sed item breuiatur 'ibat ouans diuumque sibi poscebat honorem'.
septimus, si in fine orationis ponitur breuis uocalis cum consona, quia adiuuante arsi potest produci nempe ita 'emicat Euryalus et munere uictor amici'.
octauus, si in fine sit nuda uocalis, et proximo uerbo adhaereat consona. quippe et sic adiuuante ictu prior potest intendi uelut in hoc 'liminaque laurusque dei'.
nonus, si pronomen hic uel hoc ponitur ante uocalem. ita enim habes 'hic uir, hic est' et aliter 'hoc erat alma parens'.

Haec doctrina quantumuis futilis et absurda, quam omissis

paucissimis uel immutatis alioqui non rebus magis quam exemplis mirificum in modum consentientes probauerunt, ut Bedam [2352—56] omittam, Charisius [3—5] Cledonius [1883, 4] Diomedes [423—25] Donatus [1738] Martianus [III, 278] Metrorius [A. Mai. auct. class. III. 505] Pompeius [44, 45] Probus [1431—33] Sergius [1830, 31] Seruius [1802] Victorinus [2471—2475], quantum turbarum commorit poetis christianis, uix satis plene poterit declarari. nam ad classicos nihil pertinet ex his nisi quaedam de modo tertio, cuius solam recte habere legem noluerunt sine dubio illi, quos dicit Diomedes [425] metrorum rationis admodum perspicaces unum tantum ex omnibus, quos attulerit ipse, syllabarum communium modis admittere. neque christiani tam optuso fuere ingenio, ut haec quasi ex Phoebi tripode accepta unanimo uenerarentur consensu, licet partem obseruantiarum istarum etiam intendisse eos satis constet. nam nec alia desunt, ubi idem non sine magno elegantiae damno ineptis potius talium doctorum ratiocinationibus, quam proprio obsequi maluerint iudicio. neque uero quisquam auctorum, quos christianorum nomine amplector, ignorauit prorsus quam de communibus syllabis proposuere isti doctrinam. ceterum est, ubi illi plenioribus quam quae ad nos peruenerunt usi sint enchiridiis, siquidem haud paucas firmissime obseruarunt regulas, quarum in eis qui iam extant libris aut nulla aut perexigua apparent uestigia. sed de his suo loco monebitur.

Iam accuratius rem perquirenti non poterit esse dubium aut quomodo sint orta praecepta ista egregia uel potius egregiissima aut quibus in scholis et quo tempore. nimirum omnis erroris summa inde fluxit, quod magistri illi quae poetae classici rara et eximia admisissent, ea quasi usitatissima nec ulli cautioni obnoxia posuerunt plerumque ne causis quidem illarum licentiarum probe perspectis. originem autem primam haud dubie traxere in eis ludis, quo noluit Flaccum mittere pater, et quo pueros magnis e centurionibus ortos commeasse idem refert Horatius. de tempore autem illud utique constat non esse inuentam doctrinam istam prius, quam Vergilii et Flacci libri iam omnino in scholarum abissent usum, id quod euenit ferme anno u. c. DCCCL. inde latius paulatim serpsit illa et adsumpta plerorumque aliorum uersuum descriptione pessimis ad eam rem, ut puto, Graecorum enchiridiis compilatis tandem eum fere qualem iam uidemus habi-

tum nacta, a tertio inde saeculo magis magisque optinuit. suspicor autem nouae huius artis auctorem fuisse Caesium Bassum, ut ex huius de metris libro fluxisse sint existimandi commentarii, quibus sunt usi christiani et quorum hodieque pars extat. quippe ex uno eodemque fonte non hercle largo satis aut limpido ortos hos omnes intelleget facile, qui paullo accuratius eos nouerit. nam, ut omittam pleraque eorum, cum in paucis ac minutis rebus differant, in summa tam esse interse similia, non ut omnum magis ouo, hoc potissimum euincitur illud argumento, quod in isdem praeceptis commonstrandis eadem ad taedium usque ingeruntur auctorum exempla, etiam ubi facillima opera eundem in usum liceret mille alia surrogari. et in communibus syllabis enarrandis quantus esset testium omnium consensus, iam uidimus. sed, ut hoc omittam, num illud casu uenisse credemus, quod pariter idem pro exemplo caesurae, si dis placet, trochaicae ponunt uersum hunc 'infandum regina iubes renouare dolorem', quodque certatim pro exemplo iambi afferunt Catullianum 'phaselus ille quem uidetis hospites', aut quod non minore ferunt frequentia ex Lucretio 'infantibus paruis', aliquando liquescere ut probent sibilantem. possum plurima addere, nisi sit uerendum, ne diffidere uidear eorum, qui legerint illorum libros, iudicio. est autem de metricis longe etiam certior res quam de grammaticis, qui tamen et ipsi quantillum ueteris doctrinae habeant, nuper est detectum.

Sed quod auctorem eius, quam habemus traditam, doctrinae dixi Caesium Bassum, id quamquam certo demonstrari nequit, non tamen caret quadam probabilitate. nam praeterquam quod hunc et ipsum librum suum scholarum usui destinasse supra demonstraui, uel epiplocae artificio, quo immodice utitur, mirificum in modum sequentium temporum magistris, qui digitis non aure numeros computarent, probari eum par erat. — hunc igitur exiguitate eruditionis et facili quadam sermonis mediocritate ducem et exemplum ceteris extitisse probabilest. de qua re si recte statuimus, apparet uulgari nec hercle ampla numerorum peritia fuisse illum, qui si idem fuit cum lyrico, quod mihi haud sane uidetur probabile, non potest dubitari quin nimiis exornetur a Fabio [X, 1, 96] laudibus, nisi forte tanto superior poetica quanto minor fuit metrica.

Sed siue hunc sunt secuti siue alium — nec multum refert — posteriorum temporum doctores, apparet certe non alio quam quo dixi saeculo ortam esse illam, quae iam fertur apud Latinos,

numerorum doctrinam. etenim Terentianus Maurus, quem satis certo constat uixisse circa finem saeculi p. Ch. n. tertii, cum non nullos ceterorum errores euitet, tamen in permultis rebus mirum in modum cum isdem consentit, nec ullo modost dubium, quin hic uel potius Atilius, a quo sua sumpsisse eum docuit Lachmannus, ex eodem unde pariter omnes isti fonte hauserit. — quodsi iam per tertium saeculum uigere uidemus hanc doctrinam, satis multo ante necessest eam extitisse. neque enim noua, ubi prouenere, statim optinent, sed paullatim et cum labore fere quantumuis praestantia ad claritatem enituntur, nedum illa omni turpia absurditate illico usurparentur communi usu. nec uero hoc ambigetur iam ante tertium quartumque saeculum et Romae et magis in prouinciis extitisse poetas, qui isdem fere, quibus postea christiani, applicarent sese regulis, quorum quidem quod tenuia iam extant uestigia minime mirumst. etenim cum tot clarissimi uates, urbanitate et doctrina illi florentissimi et qui aeternam merito scriptis ipsorum gloriam sperarent, uix nominum suorum reliquerint notitiam, num auctores plebeii et semidocti plus quam praesentis temporis desideriis et familiarium circulis satisfacerent?

Nam et ante Alexandri Seueri aetatem, qui notescere uellent libris Latinis alienigenae, eos primum omnium doctrinam Graecanicam et propriam Romae elegantiam assequi necesse erat — unde Varro Atacinus annum aetatis agens XXXV cum summa diligentia Graecas litteras perdidicit —, alioquin urbanorum hominum risu et celeri obruebantur obliuio.

Verum ubi plurimas ob causas orbis in barbariemst relapsus, nec Romae mansit sedes imperii, iam non in artis peritia magis quam in iure ciuili prouincialium et Italicorum differentiam optinere uerum erat. e quibus hi plurimum pristini decoris perdiderant cum alias ob causas tum quod pridem erat facta eorum terra aduenarum nihil Romanae indolis habentium conciliabulum. contra illi quae natura negauerat usu et studio, in quantum potuit fieri, sibi parauerant. ita communi omnium mediocritate siue imbecillitate torpere genus Latinum. unde digitis saepius quam auribus digessere numeros, scholicisque pleraque legibus administrarunt.

Tali uero iam facto rerum statu quod facile occupauit scholas disciplina metrorum, quam secuti sunt plerique poetarum posteriorum, quis erit qui miretur? quos cur christianorum nomine significarim exponam suptilius. nimirum homines christiani etsi haud

sane sunt aspernati eruditionem, tamen et minoris eam fecere quam ueteres et uni optemperauerunt ferme placito alienissimo a classicis posse aliquando prae rerum magnitudine loquendi artem et legem carminis contemni. quod apud neotericos magis magisque non sine maximo damno poeticae optinuit. ueluti Prudentius de nominibus propriis perperam insertis uersui haec habet 'carminis leges amor aureorum nominum parui facit, et loquendi cura de sanctis uitiosa non est nec rudis umquam. plenus est artis modus annotatas nominum formas recitare Christo'. quam diuuersus ille et ab Horatio, cuius sunt haec

mansuri oppidulo quod uersu dicere non est,

et ab Lucilio, qui sic ait de sigillaribus

seruorumst festu' dies hic,
quem plane hexametro uersu non dicere possis.

Nec uero substitit illa licentia in nominibus propriis. nam sic ait Victor omnino de re eadem

quodsi lege metri quicquam peccauerit ordo,
peccarit sermo improprius sensusque uacillans,
non tamen hinc fidei subeat mensura periclum,

et Corippus

quos doctrina negat, confert uictoria uersus.

Hoc autem quin iam antiquissimo tempore et uiderint magistri et probarint, non est dubium. quippe ita refert Beda de uersu quodam malo auctoris christiani [2374] 'poeta, ut gloriam sanctae et indiuiduae trinitatis clara uoce decantaret, neglexit regulam grammaticae dispositionis', item alibi idem [2375] 'ut ueritatem dominici sermonis apertius commendaret, postposuit ordinem disciplinae saecularis'.

Iam hanc inelegantiam, cum propria sit christianorum, serpsisse latius certis comprobatur alienorum poetarum exemplis. itaque quo magis inualuit fides christiana, eo eruditionis laudem et peritiam artis imminui necesse erat. quamquam etiam aliis causis corruptam esse metricam Latinam quis adeo erit iniquus ut dubitet? maior tamen culpa christianorum, quoniam hi pleraque admisere scientes, quae per neglegentiam ceteri.

Verum ad hunc, quem modo dixi, defectum artis et doctrinae accessit aliud, quod specie tamen est magis quam re diuersum. nimirum quos classicorum nomine distinxi poetae licet multa eruditione haberent parta, tamen plus inde commodi cepere, quod

uiuendo cum hominibus elegantissimis, quibus aut propria fortuna aut ingenii sollertia essent iuncti, sponte perceperunt cultum et urbanitatem, quae quanto opere faciant ad colendas aures promouendumque iudicium, nemini obscurumst. licuit igitur talibus haud dubie aliquando obiectas a grammaticis tenebras ingenii lumine et propria elegantia discutere. contra auctores christiani atque horum arte similes aut plebeiae plerumque sortis homines aut alienis addicti negotiis non amplo pulchri sensu non magna patrii sermonis proprietatum instructi peritia, prout solent ingenia aut non satis aut sero erudita, nihil antiquius duxere, quam ut legibus qualescunque essent magistrorum prorsus se accommodarent, nec illud quaerentes, quam essent uerae, nec magis quam essent aptae linguae Latinae.

Veluti cum plerique eorum talem obseruarint regulam, ut h littera promiscue pro uocali seu consona uterentur, non recte credes inde hoc repetendum, quod posterioribus saeculis fortius aliquid sonuerit illa quam Gellii tempore aut Quintiliani, quod et grammaticorum disertis testimoniis et Romanicarum linguarum refellitur exemplo. sed secuti sunt metricorum praeceptum, quod scilicet illi elicuere ut pleraque ex Vergilii uersibus quibusdam male intellectis maxime eo quem certatim attulere pro testimonio 'terga fatigamus hasta. nec tarda senectus'. — itaque non doctrina magis quam iudicio praestitere classici.

Atque haec equidem pro fide ita ut feci exponenda esse censui, quod uidebam minus fere attendi a doctis, quantae fuerint disciplinae scholicae partes in constituenda siue inmutanda poetarum Latinorum arte, cum mihi esset persuasum hinc permulta posse explicari, quae aliter erunt satis obscura. neque tamen speraui haec ita quemquam esse interpretaturum, quasi ego credam auctores illos carmina sua sub ferula scuticaque grammaticorum composuisse, aut horum solum opera prouenisse diuinam illam elegantiam et concinnitatem, qua plurimum superauerunt Graecos Romani. nam et illud boni uersificatoris est uel scholicas et nimiae seueritatis regulas sic percipere animo, ut eis quasi propriis et ipsius arbitrio constitutis utatur. adde quod haud pauca eosdem sola lectione et diutino usu optinere uerum erat. quod ut probem liceat mihi exemplum addere propriis de studiis petitum, quod tamen non iactantia refero, sed quia facit ad rem. nam enim cum octo abhinc ferme annis plurimum temporis pangendis

uersibus Latinis impenderem, plerosque quidem haud magnum post interuallum emendaturis ipse dedi ignibus. accidit tamen, ut paulo plures DC seruarentur, quos longum post temporis spatium cum reuoluerem, cito animaduerti leges, quas postea aut ab aliis inuentos cognoueram aut repereram ipse, me illo seruasse satis constanter tempore, quo omnium earum ignarus et sola lectione imbutus primum Ouidii dein Horatii sed omnium maxime Vergilii solum aurium eram secutus iudicium. nulla enim, ut pauca afferam, elisio fuit iambicorum sequente syllaba breui uel acuta, nulla uocalium longarum post quartam thesin aut qualiscumque in uersus initio, caesurae trochaicae usus permodicus. erant etiam duriora, sed quae recordarer dubitantem me ac paene inuitum utque pedibus satisfieret admisisse. quodsi uel hac aetate tirones et qui sero accedunt ad cognoscendam nedum exercendam artem eo usque licet percipere leges carminis, quonam elegantiae putabimus peruenisse illos, qui a prima inde aetate proprietate sermonis uersusque Latini essent imbuti? — tamen cum ea qualem initio libri significaui admiratione tenerer artis Latinae, ad iustos fines laudes illorum redigere ueritatis studio auebat animus, nam et sic abundant uirtutibus. — sed de ipsorum poetarum placitis ubi exponamus, iam satis erit loci paratum. diuersas autem has duas, de quibus exposui, rationes acri cura qui respexerit, nisi prorsus pectore carebit, non saepe nec multum poterit rectam uiam declinare. utemur earum utraque promiscue.

Iam cum eam uiam teneam in perscrutandis auctoribus, ut prius ipsos libros horum quam quae alii de eis sunt commentati legam, de eo disserere me oportet, quam integros, quibus subsidiis criticis immunitos, quanta cura habitos illorum plerosque inuenerim.

Equidem si in omnibus Latinis carminibus quid antiquitus traditum sit, quid neglegentia uel audacia librariorum et criticorum inuectum, tam certo mihi constitisset, quam in Lucretii Catullique et Gratii ac Iuuenalis libris aut quibusdam aliis, nihil fere negotii esset paratum nisi ut quae recte habere uiderentur ab arte, ubi opus esset, enarrarem, quae sua elegantia carerent aut aliorum aut propriis eleuarem coniecturis. sed hercule non tam faciles tamque opportunae euenere res. nam neque ex classicis poetis qui post Augustum uixere quo par erat studio sunt tractati et christianorum quae feruntur recensiones omnes non mediocribus nedum amplis satisfaciunt desideriis, sed plus etiam tenebrarum pri-

mis dactylicorum progressibus erat obiectum, cum propter eum, quo habiti sunt a doctis, contemptum, tum propter alias causas sat apertas. non enim in aliam litterarum Latinarum partem crudelius fortuna saeuiit. etenim quam facile dimidia Plauti et Terentii parte careremus, si binos Ennii Luciliique ac Varronis libros habere liceret integros. quid si Laeuii polymetros? sed quoniam aliter fortunae uisum, nos quasi e naufragio eiectos aut uexatos incendio eo magis curare addecet, ne audacia ac leuitate haec ipsa quae aetatem tulerunt intuta atque infesta reddamus, ea scilicet enucleaturi, quae euoluere iam nemo possit, aut illis affusuri lucem, quae iniuria temporum perpetuam traxere caliginem.

Itaque iam ut appareat, quo me modo gesserim in libris, quorum aut paucitate fragmentorum aut grammaticorum incuria ars esset obscura, de nonnullorum, qualem ego deprendi, statu mihi erit disserendum. simul et de tempore quorundam carminum, cum non conuenerit inter doctos, rationibus potissimum metricis adductus quid statuam, breuiter declarabo.

Sed singula priusquam expediam, in uniuersum gratias agere me oportet Mauricio Hauptio propter plurima eius, quibus me deuinxit, merita. etenim cum iam a primo inde tempore studia mea miro amore fouisset — nam et hunc librum conscribendi auctor mihi extitit — in his ipsis curis uersantem nunquam defuit, quin et consilio atque auctoritate et subsidiis iuuaret criticis cum alibi, prout mihi obuenisset necessitas, tum in poetarum qui uocantur minorum libris, quos largissimo habet instructos apparatu et quos iamiam eum editurum diutinis exemptos sordibus omnibus uotis speramus. sed quamquam plurimum commodi ex liberalitate eius percepi, quantillum erit si cum eis, quos doctrina eius hausi, compararis fructibus? unde etsi plurimis in locis eius mentionem iniciam, magis tamen huic uiro quid debeam tacita conscientia teneo.

Iam primum omnium in Ennio profiteor me aliquantum esse adiutum Vahleni Hugiique et Ilbergii diligentia, qua factumst, ut, quod plurimum mea intererat, de testimoniis codicum tantum non semper constaret. coniecturae autem illorum non perinde laude dignae, quoniam quaedam imperite haud pauca satis audacter et ut cuiuis alii inuento idem fere sit iuris, eos instituisse mihi certissimumst. sed fac omnes quotquot extant uersus ab illis tales exhiberi, quales sunt profecti ab Ennio, tamen plurimum difficul-

tatis erat obiectum artem metricam eius iudicaturo. nec tamen infructuosa nostra fuit cura.

At impeditior etiam longe res fuit in Lucilio ac Varrone, quippe neutrius horum fragmenta, cum abundarent omnis generis uitiis, qua decebat, diligentia sunt edita, Varronem autem nuperrime, quo quis magis alienus a metrica, eo aptiorem existimauere iniuriae, non tamen, ut spero, impunitae.

Ac primum quidem in Lucilio insigni mea calamitate accidisse, quod fragmentorum eius recensionem, quam paene perfectam habuit Lachmannus, ne absolueret, morte cohibitus est, facile mihi omnes credent. nam Dousae librum, quamquam egregius est et Scaligeri iuuentis subinde additis nobilitatus, tamen, cum prodierit a. MDLXXXVII, apparet non iam prorsus nostris satisfacere desideriis. peius etiam in Varrone res habet, quippe cuius ars ut copiosior ita difficilior longest quam Lucilii neque, ut priorum conatus mittam, Oehleri libro probe expedita, nisi quod longe potior utique ille eis, qui nuper impudenter eum arripuerunt. quae cum ita essent, eo maiore cum cura adhibui Lachmanni libellos academicos, quibus saepe Lucilium aliquando Varronem tractauit, nec hercle exiguum mihi fructum praebuere, quae quamuis pauca ab Augusto Meinekio de Varronis saturis nuper sunt prolata in annalibus Marburgensibus [a. 1845 pp. 737—741]. sed iam ne Achilli Thersites neue Vlixi desset Irus, Kochius [exercit. crit. Bonn 1851] Roeperus [philol. IX, 223—278. 567—73, praeterea in libro quem Gedanenses ad celebranda gymnasii sui saecularia tertia edidere. reliqua eiusdem argumenti opera ab eodem profecta non legi] Vahlenus [coniectanea in Varronis satur. reliqu. Lips. 1858] diuersi tempore sed pari infelicitate eundem sunt aggressi Varronem, qui cum aperta quaedam aut leuia notassent, quae, paucissima si exemeris, ideo utique essent praetermissa ab Lachmanno et Meinekio, quia fidebant sponte omnes, quid uerum esset, perspecturos — his inquam exceptis nihil bene gesserunt idem. nam ut omittam illos pleraque in uersus auctoribus scilicet dignos contorsisse pedestria, atque pueriles errores nunc ne tangam, quales sunt tamen 'reuocat' producta prima seu 'maiorum' et 'sublimis' correpta et 'Apulia' uel 'ricinium' proceleusmatici uice posita aut 'tantidem Aristotelis' sine elisione iuncta, inferendo, si dis placet, in Varronem metricam Plautinam tam deformem reddidere poetarum sui temporis elegantissimum doctissimumque, uix ut uestigium pristini ni-

toris maneat. itaque monstra illa non umquam satis seueris aut angustis circumscribenda regulis ut puta 'quidem' monosyllabum, pyrrhichiacum 'nempe', 'libet me' correpta media iam insultant Varronis memoriae. sed ex his Kochium et Roeperum statim omitto nusquam ferme iniecturus horum mentionem, nisi ubi laudandi eos incidet facultas, quae tamen rarissime ueniet occasio. nam Roeperum puto casu infelici ad iniquam delatum materiam, Kochium ut tironem excusabimus. sed Vahlenum quamquam itidem erat in animo silentio et contemptu praeterire, tamen hoc postea abieci consilium. nam cum ex illis, quorum legi iudicia publice lata de opera eius, alter [litter. Centralbl. v. Zarncke, Jan. 1859] amplissimis exornasset laudibus quae mihi uiderentur non quidem laude ulla sed omni uituperatione dignissima, alter [philol. XIII, 718—728] certe summam huius libri mediocritatem — nam nec diligentia ulla apparet — non qua par erat seueritate perstrinxisset, non sum grauatus demonstrare, quam sit leui, quam futili opera usus iste, quam peruerso et aliquando insano iudicio. quod si eum ut spero a consilio edendi saturarum fragmenta deterruero, operae pretium fecisse existimabor.

Sed in tanta horum prauitate et urgentibus undique difficultatibus ego quo me modo expedirem non habebam nisi sic, ut ingenium et rationes Nonii, apud quem longe plurimae ut Lucilii sic Varronis extant reliquiae, etiam atque etiam retractando penitus perciperem simulque, corruptelis quot et qualibus esset inquinatus eius liber, quam accuratissime perquirerem. haec atque talia mihi agitanti succreuit

LIBELLVS EMENDATIONVM NONIANARVM,

quem illico proferam, statim ut appareat hominibus doctis, quam ego uiam sim secutus in aestimandis Lucilii Varronisque et ceterorum fragmentis a Nonio seruatis.

Itaque primum omnium satis constat de prauitate et inertia Nonii interdum uix credibilia comminiscentis, praesertim cum sua potius quam aliorum profert inuenta. unde sicut ad magnorum scriptorum monumenta recte aestimanda imprimis attinet penitus perspici ingenii eorum altitudinem ac uigorem, ita, Nonium utiliter ut adhibeas, ante omniast quaerendum, qua fuerit leuitate quo stupore. quod, quamquamst notum, tamen paucis commonstrabo exemplis.

Itaque s. v. cor [195] haec leguntur 'cor generis est neutri,

ut dubium non est. masculini Ennius lib. XIII 'Hannibal audaci cum pectore de me hortatur, ne bellum faciam. quem credidit esse meum cor?'

Ita pudendo errore statuisse Caesellium Vindicem auctor est Gellius. — ceterum hoc exemplo effici mihi uidetur non tam multa, quam uulgo creditur, ex ipso Gellio hausisse Nonium sed ex isdem potius atque illum fontibus ob similitudinem studiorum. neque enim aut hunc aut quemquam hominum concedo esse tam stultum tamque uecordem, ut, cum a Gellio et indice capituli et tota disputatione indicetur Caesellium turpi lapsum esse errore in interpretandis uerbis Ennii, haec omnia apertissime dicta secus possint accipere, nisi forte statuemus Nonium malignitate potius ingenii quam torpore pleraque falsa docuisse. uerum hoc cur faciamus, nulla prorsus est causa, sed uerissimumst, quod dicit Mercerus in notis [209] hoc praestare Fulgentio Nonium quod summa fide memoret optimorum scriptorum locos, quod sit minus certum in isto. itaque sic potius statuemus, ab eis testimonium unde sum orsus sumptum grammaticis, quos oblique stringit Gellius dicendo multos fugisse erratum Caesellii. — sunt autem etiam alia peccata quae ne Nonium quidem admittere potuisse probabilest, si ipse, id quod uulgo credunt, tractasset libros Gellii. ceterum quod a quattuor exemplis Nonii quibus ipsa Gellii continentur uerba abest nomen auctoris, nullo modost credibile, quod dicit Mercerus [89], ideo non compellari illum, quia sit recentior. quod ut demonstrem de ratione excerptorum Nonii paullo accuratius est dicendum. — itaque primum omnium satis notumst eum plurima ex auctoribus Augusti aeuo prioribus afferre. at eorum qui uixerunt hoc imperante praeter Vergilium, quem Frontoniani non minore quam Senecae et Fabii aequales persecuti sunt ueneratione, nulla fit mentio nisi Horatii sexiens, Liuii quinquiens, Fenestellae ter, porro Macri et Celsi locis binis, Propertii Gracchi Hygini Ateii Labeonis singulis. sed idem neque Pomponium tragicum qui fuit sub Tiberio et Claudio commemorauit neque quemquam alium, a fine Augusti ad Hadrianum usque qui uixerunt, nisi quod semel Masurii Sabini Icti affert testimonium sumptum a Gellio. at hercule circa finem saeculi a. u. c. noni orta imitatione antiquissimorum quam priores a Catullo inde magis magisque deseruerant prouenere libri tam referti priscis dictionibus, ut possent insequentium temporum magistris uideri et ipsi digni qui excerperentur. itaque usus Nonius

et Appuleii uerbis semel et Sereni octiens, porro Gellii ut uidimus quater suppresso quidem incertas ob causas nomine. praeterea semel impudenti arrogantia epistularum ab ipso editarum inicit mentionem. quem praeterea affert Gadullium Gallicanum, uix est dubium, quin Gellii aetate uixerit et ipse. nam si idem fuit, quod mihi uidetur certum, cum Gallicano rhetore cuius mentionem fecit Fronto [p. 128 Nieb.], non potest ab huius tempore longo interuallo esse diremptus, cum eiusdem Frontonis uerbis appareat minime clarum fuisse eum auctorem, qui si uixisset ante Augusti aetatem, quod alioqui minime probabilest, haud sane per tantum durasset spatium. ceterum quod non ita saepe Frontonianorum mentionem iniciunt aut Nonius aut grammatici ceteri, id uero minime contemptu factum sed ideo, quod commentarii, unde sua excerpserunt isti, eo ipso sunt nati tempore, quo auctores illi prouenicbant. clarescentium autem modo auctoritatem haud ita multum ualere par erat. at insequentium temporum magistri paratis aliorum copiis acquieuerunt. adde quod nec pedestrium scriptorum praeter Frontonem et Gellium ipsos cum Appuleio quisquam insignem claritatemst adeptus nec ullus omnino poetarum excepto uno Sereno. ceterum quod haud raro uocantur scriptores incertae uel minoris auctoritatis uel similiter, caue id credas uenisse temporum respectu. nam ut aliquando recentiores ita haud raro uetustissimi sic notantur. sed hoc sine dubio uel aliorum magistrorum uel ipsius Nonii factum libidine siue ignorantia aut leuitate, id quod probari potest exemplo sat illustri. nempe s. u. aluus [193] apud illum haec leguntur 'aluus genere masculino Accius annalibus ut quam fragilissimus aluos. et alius auctoritatis obscurae Maia nemus. retinens grauido concepit in aluo'. iam hunc uersum ex eiusdem Accii aeque annalibus sumptum et ipsum cum constet testimonio Prisciani, apparet, uel Nonii uel priorum alicuius grammaticorum e schedis postquam excidisset nomen auctoris, mox arbitrio nescio cuius notam illam eius uerbis esse appositam. unde nihil est, cur uituperatione talem ita magni faciamus.

Vsus autem Nonius, ut mihi quidem uidetur, excerptis librorum Gellii, quae ipse siue quos est secutus magistri pro libidine uel imminuerunt uel auxerunt. maxime hoc apparet eis, quae ex Claudii libro I petita habet Gellius uolumine XVII [2] quaeque Caelio adscripta leguntur apud Nonium [p. 87. 113. 129. 405].

haec enim cum ex ipso Claudii libro utilitatis causa se excerpsisse testetur ille, non facile aliunde quam ex ipsius libro in aduersaria huius descendisse existimabimus. itaque fit probabile non maiore cura ab hoc habitum Gellium quam plerosque aeui illius compilatores, quorum ut libros ita memoriam intercidisse non est quod miremur aut indignemur.

Sed stuporem Nonii — iam enim in uiam redeo — et haec quae supra memoraui et aliae res sat multae declarant. placet in paucis subsisti. itaque eiusdem sane fuit merere, quod pertinet ad dolorem, cum eo quod correpta prima effertur confundere cuius est [98] deuoro Attii ortum ex eo quod est deuouero ab deuorando potius quam a deuouendo repetere.

Aliud autem exemplum insignis stultitiae deprendisse mihi uideor his quae ab eodem afferuntur [p. 382] s. l. rumpere defetigare. 'Lucilius lib. XXX quae quondam populi oris aures pectora rumpit. idem lib. XXVII contentum cum me ruperint summa omnia fecerim'. e quibus prius Lucilii fragmentum sic uidetur esse scribendum 'quae quondam populis ora aures pectora rumpit', nam et alibi in Nonii pariter ac Lucretii libris mutantur inserse per errorem finales. cetera [88] s. u. contenturum paullo emendatius ita scripta exhibentur 'tu Lucilium credis contenturum cum me ruperint summa omnia fecerim'. et ruperim quidem scribendum esse pridem intellexere homines docti. sed quod dicit Nonius poni rumpere pro defetigando, id quamquam largior aliquando potuisse euenire, hoc ab loco plane alienumst. nam cum sit aperte oratio Lucilii minantis lacessenti ipsum, apparet se rumpere non esse dictum de languente ac marcido sed de eo, qui concitatus et excussis frenis fertur in aduersarium. quod etiam firmatur uerbo quod praecedit contenturum. nam quis poterit contineri nisi qui impetum fecerit? uerum Nonius unico stupore et in hoc peccauit et in sequentibus, quae uidetur sic ferme accepisse quasi essent 'si negotiis meis ultimam manum imposuero', quippe alia, cur addiderit haec uerba, ratio non comparet. sed neque illud quod uoluit iste potest eis significari neque omnino aut haec aut praecedentia intelleges nisi statues sic potius a Lucilio esse scriptum

tu Lucilium
credis contenturum, cum me ruperim, summa omnia
fecerim ima?

in quibus non librariorum errore sed Nonii prauitate omissam esse iudico uocem ultimam.

Ac tamen cautio adhibenda in lemmatis illius aestimandis. nam et uere plurima et quaedam acute explicata inuenimus, unde statuas eum in aliis rebus sequi magistros probos et doctos in aliis sui similium aut propria ipsius proferre commenta.

Iam de emendandi Nonii rationibus quamquam haud indiligenter nuper dixit Duentzerus [Zeitschr. f. alterth. 1848. pp. 481—488 et 489—491], non tamen pauca et ipsi habemus digna relatu, quibus iam accingor exponendis. sed cum ante omnia breuitati studeam, non exempla uitiorum pridem correcta firmandae rei suggeram sed propriis potissimum rem tutabor inuentis. quippe uideor sine arrogantia illud posse asserere, quo quis saepius Nonium legerit, eo magis esse intellecturum his quas dixi non aliis utendum emendandi rationibus.

Ac primum quidem dignum memoria omnes, quotquot supersunt hodieque, codices Nonii fluxisse ex uno eodemque libro litteris capitalibus perscripto, simillimo illius, quem depinxit Lachmannus initio commentarii Lucretiani, nec diuerso admodum a palimpsesto Ambrosiano, de quo dixit Ritschelius in prolegomenis trinummi. nam quod statuit Mercerus in praefatione omnes codices uideri ductos e libro Victorino, quo usus est ipse, si recte Maduigius et Gerlachius hunc eundem dixerunt cum Guelferbytano saeculo XI conscripto, quod mihi quidem uidetur certum, non potest esse uerum illud, cum extent membranae hoc longe uetustiores. — sed cum ita prout dixi res habeat, non mirum litterarum mutationes quales exposuit Ritschelius in prolegomenis trinummi [p. 11] et in Nonii libris omnium esse frequentissimas, praeterea errore sat notabili aliquando ponitur et pro m, ut puta in his, quae sunt s. u. schema [225] 'schema neutro genere. Lucilius lib XXVIIII in gemnasio ut schema antiquo et spectatores retineres'. scribendum enim

in gymnasio ut schema antiquom spectatores retinerit.

In quo id solum dubito, retinerit illud utrum ita dixerit Lucilius, ut dixere Nonio teste aequales ei poetae Latini tetini, an sic ut ipse monerint hoc uersu quadrato, 'di monerint meliora, amentiam auerruncassint tuam', imminuto scilicet ob proprietatem rationum metricarum Pacuuii quem irridet octonario iambico hoc 'di mo-

nerint meliora atque amentiam auerruncassint tuam'. proin s. l. signare [405] haec leguntur 'signare est designare, ostendere. Lucilius lib. XXVIIII sic Socrates in amore et in adulescentulis meliore paullo facie signat nihilque amaret'. e quibus prius illud in eximendum scribendumque esse amat uidere plerique. quodsi pro illo amore et posueris amorem, et sententia et uersus, qui sunt iambici, habebunt optime

sic Socrates amorem in adulescentulis
meliore paullo facie signat nilque amat.

porro alibi [193] haec sunt 'acinus masculino genere M. Tullius de senectute. et alii obscurae auctoritatis pressusque labris unus acinus arebat'. ridicule pluratiuus ponitur numerus, cum unum addatur exemplum. scribendum Matius obscurae auctoritatis, nam sequitur, ut iam uidebis, choliambus.

Praeterea abundare Nonii codices omnibus eis uitiis quibus solent libri ex deprauato ducti archetypo, nemo ignorabit nisi qui numquam legit Nonium. erant etiam in exemplari illo uetustissimo quaedam manca aut oblitterata, unde passim haustae litterae et syllabae. porro solito librariis errore aliquando quae bis essent scribenda semel sunt posita; quod quiast uulgare uitium paucis probari satis erit.

Itaque [102] ex Lucilii II cum haec afferantur, 'nunc nomen iamque ex testibus ipse rogando exculpo haec dicam', scribendumst iam quaeque. praeterea uidetur ponendum esse ecdicam. deinde [262] ex eiusdem Lucilii, ut probabilest, lib. X haec sunt

improbus confidens nequam malus uideatur.

non stabit uersus, nisi scripseris ut uideatur. tum [275] ponitur aeque Lucilii ex lib. XXVII hic uersus

hymnis uelim te id quod uerum est credere.

restituendum tete. — alibi ex Attii Meleagro cum prodantur [15]

cum suae uitae finem ac fati internecionem fore
Meleagro, ubi torrus esset interfectus flammeus.

uenit ab Attio ubiubi. nam non recte hiatum a Lachmanno defendi commentario Lucretiano [p. 387] persuadent quae Ritschelius prolegomenon trinummi capite XIIII exposuit.

Contrarium autem uitium, quod et ipsum saepissime optinet Nonii codicibus, illud est, cui barbare uulgo dittographiae nomen

imponunt. aduertit ea res iam Duentzerum. itaque primum omnium repetitis inepte litteris, quod genus erroris aliquando ipsi fuerat fraudi Nonio, saepissime fuit peccatum in apographo librorum eius illo, unde ceteri duxere originem. nec rarius iteratae per errorem syllabae totae ac uoces aliis insuper identidem peccatis additis. sed iam adscribam exempla.

Igitur s. l. demissum [p. 286] haec leguntur 'demissum humile miserandum abiectum. Virg. aen. lib. III deiecit uultum et demissa uoce locutast. Lucilius lib. XXVII re in secunda tollere animos et in mala demittere. Cicero tuscul. lib. V non est ausus elate et ample loqui. humiliter demisseque sentire.' omnia habent praeclare, nisi quod illud et in Lucilii fragmento quod destruit uersum aut ex Maronis aut ex Tullii uerbis irrepsit.

Porro [p. 302] ex lib. XXVII eiusdem Lucilii afferuntur haec 'ceterum quidquid sit, quid non sit, fero aequo animo ac fortiter.' scribendum haud cunctanter

ceterum quid sit, quid non sit, fero ego aequo animo ac fortiter.

Ita Plautus trinummo [994]

ceterum qui sis, qui non sis, floccum non interduim.

aliter [p. 358] ex libro eodem 'nam hic quidem reditum talem portendebant neque alia in mare ulla offendere'. re pro mare ponendum esse intellexit Dousa. numeri uero recisa uoce penultima sic instaurandi ut prior finiatur post quidem.

Praeterea s. u. tergora [414] haec sunt 'terga dorsa. Virg. lib. VIIII hinc raptas fugientibus ingerit hastas in tergum. Lucilius lib. XXVIII orationem facere compendi potes, salui dum saluo in tergo et in tergino licet. tergum scutum. Virg. lib. VIIII et uenit aduersi in tergum Sulmonis.' — scribendum in Lucilii uersibus solui dum pridem perspexere docti, nec minus recte Turnebus saluo tergo posuit, sed ex illis et in tergino primum demendum in, quod abest a libris Geneuensi ac Lugdunensi, dein pro et scribendum a. unde haec iam extant Luciliana

orationem facere compendi potes,
solui dum saluo tergo a tergino licet.

in quibus saluus a tergino non minus bene habet quam Horatii [c. I, 37, 13] sospes ab ignibus aut Liuii [IX, 41] integer a cladibus. — iam [34] s. u. praestringere leguntur talia 'Plautus in milite

glorioso praestringat oculorum aciem in acie hostibus. Lucilius lib. XXX praestringat oculorum aciem in acie hostibus splendore micanti.' laudo homines doctos, qui uiderint haec, quae sunt in acie hostibus ex Plautinis accessisse Lucilio. sed idem uituperatione digni, quod non intellexerunt eodem prorsus errore praecedentia duo uerba huic esse tributa. nam Lucilius ut Ennii more syllabas in t exeuntes produceret, nullo pacto potuit fieri. nec forma illa praestringat an recte habeat, satis constat, cum sit probabile in ipso praestringendi uerbo initium uenisse peccandi librariis.

Non aliter ac priora corruptumst fragmentum ex XXVIIII eiusdem Lucilii libro quod antiquitus sic traditur [220] 'paulisper cui medemtia medem haec se ut polypus ipsa.' in quis comedent iam scribendum esse uidit Gerlachius, cum comedendi uerbum diuino Scaliger inuenisset ingenio. quod restat edem aperte ex monstro illo medemtia ortum, totusque uersus sic profectus ab auctore

paulisper comedent iam haec sese ut polypus ipsa.

Tum [467] s. u. uagas haec sunt 'Accius Vaccheis deinde omnis stirpe cum inclyta Cadmide uagant matronae percitatae tumultu. uecordi uagas insania. Turpilius Leucadia uultu uecordi uagas insania.'

In his praeter ea, quae pridem sunt correcta aut abiecta a doctis, si solum existimarem mendosum illud tumultu, facile acquiescerem inuento Hauptii, qui pro tumultu scribendum esse coniecit tympano. uerum nec Turpilii fragmentum mihi uidetur integrum nec omnino ullius litterae mutatione opus esse statuo, modo recte utare traditis. sed primum omnium rem spectemus, nam et sponte sequentur cetera. quid igitur? num dignam existimabimus comico aptissimam sane ampullis tragicis dictionem talem 'uecordi uagas insania'? aut hoc alienum a uero aut nihil. neque illud ullam habet probabilitatem, siquis statuat irrideri istis tragici nescio cuius uerba. neque enim tales ioci habent locum nisi aut eis dictionibus, quae natura ipsa sint diuersae a comoedia — quippe re necopinata iucunde mouent audientium animos — aut talibus, quae per ludibrum detorqueantur in alienam sententiam quaeque tumore nimio uel cothurni grauitatem superantes ultro eueniant ridiculae. — quarum rerum cum nihil ad Turpilii uersum pertineat, nullis profecto ratiocinationibus suspicioni ille eximetur. sed quid opus ambagibus, cum ipsi Nonii libri prae-

clara praestent omnia? hos secuti primum separabimus ut Turpilii haec 'uultu uecordi uagas'. quibus demptis uel caeco apparebit illa tumultu uecordi uagas repraesentare uerba eiusdem leniter deprauta. quae cum primum neglegentia librariorum ante illud quod est insania essent posita, repetitumst fragmentum Turpilii rectius scriptum addito quod sequeretur uocabulo insania. unde iam apparet sic antiquitus fuisse tradita omnia

Accius Baccheis 'deinde omnis stirpe cum inclyta Cadmeide uagant matronae percitatae insania'. Turpilius Leucadia 'uultu uecordi uagas'.

Denique [193] haec s. u. aeuum leguntur. 'aeuum generis neutri. aeuitas feminini. Varro Tithono περὶ γήρως qua uoluntatem aeuitatis extimam attigit metam aeuitas.'

Voluptate scribendum esse uidit Gerlachius, contineri autem uerba numero trochaico declarauit Meinekius. sed miror non notari a quoquam uocem ultimam errore librariorum ex eis quae praecedunt repetitam esse. nam aperte caret omni sensu.

Non minus dignum cognitust uitio item satis singulari saepe in archetypo codicum Nonii uerum ordinem uocabulorum traiectionibus fuisse turbatum. unde non raro uidemus libros qui iam extant differre et ipsos in collocandis uerbis. — quod tamen nolo ita accipi licere iam nobis promiscue praestigiatorum more poetarum in fragmentis tam diu migrare uoces, donec species aliqua euadat uersuum. quippe inde, nisi fallor, originem ferme traxerunt corruptelae tales, quod, cum in codice archetypo unum aut duo uerba casu elapsa uenissent in marginem, iam in ceteris libris perperam intellectis notis aut post addita sunt ei uoci quam debebant praeire aut ante posita quam sequi. — nec tamen abhorret a uero in tanta codicum Nonianorum deprauatione bis terue latius serpsisse labem et fortiore esse opus remedio. quid quod nec illud prorsus indignum fide ipsum Nonium neglegentia siue pueris ut consuleret — nam horum in usum eum sua composuisse qui potuerit negari non uideo — aliquando immutasse uerborum ordinem? quippe hoc nisi statueris, uix explicaris talia, qualest illud quod binis locis [539. 549] uersuum ex Hetaera Turpilii petitorum ultimus fertur talis sine metro 'instantem in capite riculam indutam ostrinam' pro eo, quod pridemst restitutum 'indutam ostrinam riculam'. nam ita eodem uitio diuersis in locis lapsos esse librarios uix persuadebis.

Sed age iam rem firmemus exemplis. itaque s. u. inluuies [125] haec extant ex Lucilii lib. XXVI 'hic cruciatur fame frigore inluuie inbalnitie inperfundie incuria'. quorum non stabunt numeri nisi inperfundiem posueris priorem inbalnitie. porro [331] ex eiusdem sunt lib. XXVII 'sic amici animum quaerunt rem parasiti ac diuitias aut'. ex quibus aut delendum esse uiderunt plerique, totusque sic scribendus uersus

sic animum quaerunt amici rem parasiti ac ditias.

nam hoc melius quam illud

sic amici quaerunt animum.

deinceps [330] ex lib. XXVIII quod legitur fragmentum s. u. inducere ita instaurandumst

hymnis ego
sic animum induco, quo tua ab insano auferas.

codices habent animum sic. praeterea peius etiam quod pro quo. ceterum similiter idem Lucilius lib. XXVIII [121]

utrum anno an horno tete abstuleris a uiro.

tum [283] ex uol. XXVIIII produntur haec 'age nunc summam sumptus duc atque aeris simul adde alieni', ponendum 'adde alieni aeris simul'. praeterea [300] ex libro eodem feruntur 'unde domum uix redeat uixque hoc exuat se'. quae metro carere facile intelligitur. a Lucilio uenit

unde uix domum
redeat uixque hoc exuat se.

Ex eodem petita uolumine quae leguntur [330] s. u. interficere sic scribenda

non prius
tollas, quam Tulli animum ex homine atque hominem ipsum interfeceris.

uulgo editur prius non. at quae ibidem ex lib. XXVIII sumpta prostant per diuerbium constituemus ita

piscium magnam atque altilium uim interfecisti. — at nego.

aliquanto audacius res gerenda ut puta in hoc quod e lib. XXVII profectum legitur s. l. proferre [374]

proferat ergo iam uester ordo scelera, quae in se admiserit.

uenit a Lucilio

proferat iam ergo ordo uester scelera, quae in se admiserit.

Et grauiter affecta galliambica Varronis haec 'tibi nunc semiuiri teretem comam uolantem iactant tibi Galli.' quae cum

aliis ab eodem Nonio seruatis composita sic constituit Lachmannus in libello academico a. MDCCCXXXXVIII edito [p. 3]

tibi typana non inani sonitu, matri' deum
tonimus modos tibi, nos tibi nunc semiuiri
teretem comam uolantem iactamu' galluli.

cuius tamen antequam inuenta examinemus, audiamus quomodo criticus ingenii utique longe profundioris contempto illo rem gesserit. nam Vahlenus [p. 22] sic omnia dedit perscripta

tibi typana non inanis sonitus tibi tonimus.
tibi nos cymbala crepimu'. tibi nunc semiuiri
teretem comam uolantem iactant. tibi Cybele
Phrygios per ossa cornus liquida canit anima.

Ex his, nequid laudis concedatur isti, ultimum uersum Hermannus in elementis doctrinae metricae [p. 506] adiunxit ceteris. iam in his unde incipiam errores ridiculos et stolidam uellere lenitatem uix inuenio. ac primum quidem notabo, quod nec Vahlenus nec Roeperus, id quod ipsorum constat testimoniis [Vahlenus hoc narrat ingenue p. 176, Roeperus in philol. IX, 567], antequam ad Varronis fragmenta emendanda applicarent animum, legerunt Lachmanni opuscula academica, nimirum ut homines illo longe acutiores nec morosae diligentiae indigi. deinde uides Vahlenum egregio artificio bis addidisse uerba, quae nullam habent utilitatem, nisi quod pessimos illius uersus explent pessime. nam hoc omnino Aristarchi et Bentleii nostrorum temporum usque abutuntur ludibrio, ut eis quae ne recte constituant imbecillitate propria cohibentur ridicule affingant lacunas et defectum uerborum. sed hoc praestigium omnium uilissimum aut plane arcebimus a scriptis ueterum aut ad Plautinos certe reiciemus libros. porro apparet pueriliter in metrum peccasse Vahlenum hoc uersu

tibi nos cymbala crepimu'. tibi nunc semiuiri.

primum enim nemo ex Latinis puram ionici formam utroque eiusdem uersus hemistichio adhibuit. nec uero potest demonstrari Varronem magis quam Catullum prioris partis resoluisse paenultimam syllabam. sed omniumst grauissimum, quod in fine eius adhibuit breuem. nam id neque Latinorum nec Graecorum quisquam admisit, admisit solus Vahlenus. — sed Lachmannus — iam enim emenso arida et deserta licet paulisper immorari in huius contemplando ingenio — primum omnium secutus priores

post illud tonimus addidit modos. quod non tam propter praecedentis uocis similem finem excidisse iudico quam ad Nonii uerba transcriptum — in quibus uix apte habet locum —, quae feruntur haec [49] 'tibinos a tibiis modos. Varro Eumenidibus sonitus matris deum tonimus tibinos tibi nunc semiuiri.' dein idem Lachmannus remouit errorem Nonii torpore ortum, qui illud tibi nos pro uno habuit uocabulo. sed quod ultimo uersu scripsit 'teretem comam uolantem iactamu' galluli,' iam non possum assentiri. etenim, ut omittam eum aequo longius a traditis recessisse, ne apta quidemst hoc loco dictio deminutiua, quod iam demonstrabo suptilius. itaque primum satis constat amare Varronem ut Lucretium et Catullum tales uerborum formas. ac de Catulli certe adiectiuis deminutiuis dixit Mauricius Hauptius obseruationum criticarum libro [p. 14]. in Varronis fragmentis non ita multis haec insunt substantiua 'cultellus digitulus eculeus epigrammation homullus homunculus patella pocillum puellus puellula sigillum testiculus tunicula uxorcula' porro adiectiua 'formosulus meliusculus misellus nigellus nouellus paruulus regillus suppaetulus tacitulus uetulus.' in quo conuenit ei cum satiricis maxime Iuuenale, qui, ut substantiua talia quibus permultis utitur nunc omittam, adiectiua habet haec 'candidulus inprobulus liuidulus misellus pallidulus paruulus quantulus rancidulus rubicundulus sordidulus uetulus.' usi autem item frequenter talibus uerborum formis siue docta imitatione antiquissimorum repetitis seu uulgo optinentibus ultimorum temporum poetae haud pauci puta Prudentius Paulinus alii, qui dixere uel anullam [Prud. p. st. 6, 149] puellulam [cath. 9, 110] miserulum [Septim.] rubellulum [Martian. V, 566, 4] similia ab optima aetate diuersa. — sed haec cum ita habeant, tamen nego apte poni a Lachmanno de quo agitur uersu gallulos. etenim istae dictiones quantumuis usitatae sermone plebeio ac familiari, tamen a grandi et elata dictione non minus ueterum quam nostro abhorruere iudicio. itaque ut maiestatis sunt rei facti, qui Caesares deminutis appellauerunt nominibus [Tacit. ann. VI, 5], ita indigna eadem existimabimus carmine galliambico. neque Catullus posuit in eo nisi bis in narratione [35. 74], ut puto metri necessitate uictus, nusquam autem in oratione aut Attis aut Cybelae. itaque nec Varronem similia admisisse existimabimus. sed quid opus coniecturis, cum binis uerbis traiectis sic pulcherrime habeant omnia

tibi typana non inani sonitu, matri' deum
tonimus modos tibi nos, tibi nunc semiuiri.
iactant comam, uolantem tibi Galli, teretem.

in quibus quam bene habeant bina epitheta comae, nemo non sentiet, qui poesis galliambicae rationes probe habet perspectas. quae tamen, ne trahatur oratio, seiungi oportet interstitio quodam uocis ut a substantiuo suo ita interse prout fit in Homericis

ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα, πολύτροπον

et

δῶκε μέν οἱ πέλεκυν, μέγαν, ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν.

Sed cum abundent codices Noniani uitiis ex parte sat singularibus, non tamen ulla demonstrari potest ratione interpolatorum libidine grauius esse affecta eius uerba, nisi quod nuper quidam non critici perfectiores quam metrici, dum fragmenta a Nonio seruata numquam lecto emendant Nonio, foedissimis etiam hoc obseruatum certissimum migrarunt ludibriis. non desunt scilicet mutationes aut abnormitate uerborum aut orthographiae insolentia ortae, sed enim tam innocuae illae tamque simplices, nec imperitum ut possint fallere. sed neque explicando enarrandoque labem traxere Nonii libri uetusti et multo minus audacia correctorum oblitterata habent uitiosa sensuum. sed lenius deprauationis genus quo pertinuerit iam ostendam exemplis. — itaque primum s omissa in uersibus offendit bonos librarios ueluti in his Lucilii, quae adscribam sicut uulgo feruntur 'assequitur neque opinantem, in caput insilit, ipsum conmanducatur totum complexa comestque.'

In illo complexa, quod habent codices Nonii s. u. comest [81], acquieuere omnes, non reputantes, quam indecorum tale sit gaudium mulieri. scribendum esse complexu' apparet eo, quod in eodem fragmento s. u. conmanducatur [478] traditur complexum. ita in illis aeque Lucilianis [289] 'detrusus tota ui deiectaque Italia' ponendum esse deiectu'que haud facile inuenietur qui neget.

Porro sub lemmate rictum [456] cum legantur ex l. III Lucilii haec 'malas tollimus nos atque utimur rictu,' scribendumst utimu'. nam uto pro utor dixisse ueteres notum.

Nec uero illud est truncatum semper aequo animo tulere monachi. ueluti uersus ex Lucilii lib. XXVIII sumptus qui legitur s. u. senectam [492] sic scribendus est

prospiciendum ergo in senectam iam nunc adulescentiaest.

Libri habent adulescentia est, idem omittunt iam. ita alibi

[179] in Accii fragmento cum feratur antiquitus 'sed quaenam haec est mulier funestat ueste, tonsu lugubri' reciso est ponetur funestast, unde sponte prodit tetrameter trochaicus.

Praeterea pro i longa cum antiquitus saepe esset ei scriptum in codicibus Nonianis — seu quia in ueteribus exemplaribus, de quibus sua duxerunt magistri, posita erat diphthongus pro littera simplici siue ipsi imitatione antiquissimorum talibus indulsere ludibriis, quale fuit quod supra posui Baccheis —, librarii paene internecino persecuti sunt illa odio. nam aliquando specie decepti diuersas ad syllabas pertinentibus e et i tamen substituere i solam, uelut scripsere Cadmide pro Cadmeide, quamquam fatendum alibi seruatam esse ab isdem diphthongum ob id ipsum quod secus interpretarentur.

Itaque [313] in Luciliano hoc 'quiete poscent minus et praebunt rectius multo et sine flagitio' cum feratur uulgo, ut cetera omittam, qui et, est ponendum quei et. idem uitium offenditur in Accii uerbis [424] 'nec quiete adintem inuenio hortari pudet non prodesse id pudet.' in quibus hortari piget scribendum esse uidit Scriuerius, cetera autem omnia sunt sana, nam uersus est octonarius iambicus

nec quei te adiutem inuenio. hortari piget, non prodesse, id pudet.

neque enim habet offensionem piget correpta ante consonam ultima in hoc metro praesertim post caesuram. sed Ribbeckius sane solito usus artificio quae sensu iunguntur praestigiis dirempta destruxit. nam et idem alibi maluit Naeuio [fr. trag. u. 39] adscribi tetrametrum lacunis foedatum et errore metrico turpem — nam in potito secunda qui potest breuiari? — quam ab omni parte perfectum trimetrum talem 'dic quo pacto eum potiti pugnane an dolis,' cuius quidem sententiam ex eis quae praecesserunt eum haesisse apparet.

Iam tertium mutatae in codicibus Nonii ei diphthongi exemplum ut auferam, curatiore opus disputatione. itaque s. l. idiotas [38] e Lucilii XXVI leguntur haec 'quidni et tu idem inlitteratum me atque idiotam diceres.' in quibus omnia optime habent praeter solum illud et, quod plurimum abest a probabilitate. etenim cum nostro tempore incohata sit necdum perfecta ut puto quaestio de eo, utrum Lucretius et Varro posuisse sint existimandi et pro etiam, apud quorum utrumque inueniatur rarissime, tamen apparet ut tempore ita rationibus longe diuersum ab his Lucilium. illi enim fuere ea aetate, qua et metricae artis et dictionum maxima

factast immutatio, cum in uersibus uarietatem ac nitorem, in oratione aeque elegantiam et doctrinam Graecorum ubique imitationi insistentes affectarent poetae. in qua re quamquam diuersi paullum fuere a Laeuio Catulloque cum Cinna et ceteris quos dicit Tullius Euphorionis cantoribus Varro et Lucretius, tamen nec potuere ipsi nec noluere communis studiorum rationis esse expertes. at alia placuere Lucilio, qui nec in metris quicquam nouarit externigenorum aemulatione, nec magis dictionem suam Graecorum ad aemulationem composuerit. quid quod eundem non recte plerique existimant nimis multa uocabula Graeca Latino sermoni addidisse? apparet id maxime uerbis eius [Non. 414] quae pro fide leges a me emendata talibus

Pólemonem et amauit et in morte huic tránsmisit suàm scholam,
quàm dicunt.

etenim si Lucilius in uerbo scholae minime ignoto suorum temporum hominibus tamen addendum duxit 'quam dicunt,' qui potest credi eum pro libidine et similem scriptorum Teutonicorum qui saeculis XVII et XVIII uixere obscurasse sermonem Latinum extrinsecus adscitis uocabulis, cum praesertim non profundae sed mediocris eruditionis hominibus se sua componere testetur ipse his uersibus

nec doctissimis. nam Manium
Persium haece legere nolo, Iulium Congum nolo,

quibus utitur Plinius in praefatione. et uero quaecumque inueniuntur apud eum uerba Graecanica, triplici noscuntur esse genere. aut enim sunt talia quae pridem Italicorum commerciis et communi usu Romanis essent frequentia, aut certam ob causam ut puta cum irrisu ponuntur, uelut hoc uersu

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

quibus accedit, quod metri interdum necessitate aliena potius quam Latina uox exprimitur.

Itaque minime probabilest posuisse Lucilium et pro etiam. et quae extant libris eius antiquitus tradita exempla duo tam facile possunt remoueri, ut uix quemquam mihi sperem aduersaturum ea amolienti. quippe in eo, unde exorsus sum, exemplo fuit antiquitus traditum 'quidni tu' addita e supra illud ni, quod aliter explicatumst postea ac uoluit is, a quo uenit ista scriptura. hic enim indicabat quidnei tu idem. ita quidnei pro quidni et reponendum in uersibus aeque Lucilianis qui sunt apud Gellium l. III [c. 14] 'quidni?

et scruta quidem ut uendat scrutariu' laudat, praefractam strigilim galeam improbu' dimidiatam.'

Cetera autem illius et pro etiam admissi exempla non ulla firmantur librorum auctoritate. qualest quod apud Charisium fertur [86] 'nam ueluti intro aliud longe esse atque intu' uidemus, sic et apud se longe alid est neque idem ualet ad se.' abest et a codice Neapolitano, nec peius erit additum item. non melius rem gessere homines docti in uersiculis, qui apud Lactantium [inst. diuin. I, 22] extantes uulgantur tales

ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
uiuere et esse homines, et sic isti omnia ficta
uera putant.

Omittitur et Dousae et Bunemanni libris. nonne probabilius est longe inter illa uerba quae sunt isti et omnia positum excidisse itidem? itaque non et magis pro etiam posuit Lucilius quam idem illud suo postposuit uocabulo. ac de hoc quidem Hauptius dixit obseruationibus criticis [p. 45, 46]. qui uoluntate magis quam casu, ut opinor, unum praetermisit fragmentum, in quo imperiti talem, qualem dixi, crederent inesse traiectionem. nimirum apud Nonium s. u. catax [25] e lib. II haec extant petita 'hostilibus contra pestem perniciemque catax quam et Manlius nobis.' in quibus scribendum esse Hostilius uerissime indicauit Gerlachius. sed praeterea scribendum existimo Manius, cum sit satis probabile tangi uerbis illis Lucium Hostilium Mancinum et Manium Manilium qui cum magno dedecore contra Carthaginienses rem gessere corrigente tamen eorum peccata Cn. Scipione, cuius utique laudes additae fuere ab Lucilio, ut alibi 'percrepa pugnam Popilli, facta Corneli cane' [Gerl. praef. p. 32. Lachm. com. Lucr. p. 329]. nam Manii ac Manlii uocabula saepe inter se esse permutata a librariis nemo ignorabit, qui legerit Catulli carmen illud 'quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo.' sed enim minime illud uolui solo praenomine a Lucilio significari Manilium. ceterum prima et traiecti exempla binis Varronis Atacini inueniuntur fragmentis, e quibus prius est apud Victorinum [2503] 'uidit et aetherio mundum torquerier axe et septem aeternis sonitum dare uocibus orbes,' alterum seruauit Vergilius inserendo georgicis [II, 404] tale 'frigidus et siluis Aquilo decussit honorem.'

Omnino Lucilius si ab inferis resurgeret, cum alia plurima fortunae saeuitia et librariorum stupore quereretur inuersa ac de-

prauata tum omnium maxime nomina propria, quibus illum, dum publicam Romanorum uitam et magis priuatam mira libertate et lepore perstringit, plurimum usum fuisse credibilest. sed omnium turpissimum, quod homo ultimae sortis nomine uero uix Latino praeditus Fundius siue Fundidus nescioqui non modo irrepsit in libros eius, sed summa cum impudentia totum uolumen quasi sibi dedicatum corripuit, plane ut latrones aedificia tempestatibus concussa et possessoribus orba pro receptaculis habituri penetrant. sed iam funditus, ut spero, Fundium istum, siue alius fuit, euellam e Lucilii saturis. niti autem putatur testimonio Prisciani, quod age iam contemplemur sollertius. itaque [601] apud illum haec leguntur 'Lucilius in XVI ad Fundium fundi delectat uirtus te, uilicu' paullo strenuior si euaserit.' — in his Fundium uel Fundidum — nam utrumque exhibent codices — falsum esse qui euincam, non unum habeo argumentum sed quattuor. primum enim neutrum nomen in antiquis monumentis uidetur reperiri. e quibus Fundidum certe ne a ratione quidem satis tutum stare existimo. sed fac id secus habere, nihilo tamen minores exorientur suspitiones. etenim cum constet et Porphyrionis et prolati a Cruquio scholiastae testimoniis Lucilii librum XVI Collyrae nomine fuisse inscriptum, apparet non potuisse eundem simul dari honori Fundii. nam nequis credat, quod sane asserunt isti, ideo ab amica traxisse nomen uolumen illud, quod esset de eadem compositum, fragmentorum efficitur condicione, e quibus certumst tractata esse hoc libro plurima quae a rebus uenereis plane essent aliena. itaque dicendum erit partem aliquam eius inscriptam fuisse nomine Fundii, quod tamen longissime a uero abest. etenim Fundium istum, si modo extitit, utique apparet fuisse hominem nequam et uafrum. quippe uersibus Lucilii certissime perstringitur nebulo quidam nugarum potius quam uirtutis cupidus, qualem lepide depinxit Varro in satura, quae inscribitur *περὶ ἐδεσμάτων* [Gellius XV, 19]. di melius quam ut credamus tali nugatori Lucilium Publii Scipionis et Gaii Laelii ac primi cuiusque uiri familiarem carmen dedicasse uel unum. — quodsi etiam hoc leue uidebitur, at nego quemquam grammaticorum ita afferre auctorum libros, ut eius, ad quem sint dati, adiungatur nomen, nisi ubi ad inscriptionem pertineat operis, ut aliter cognosci non possit, qualia sunt Cicero ad Atticum Horatius ad Pisones Cornutus ad Silium. sed numquam quisquam in libris claris ac uulgo notis uel proprio in-

signitis titulo eorum quorum essent honori tributi mentionem fecit laudando uelut sic Vergilius ad Maecenatem Propertius ad Tullum. unde etiam propter hoc exturbandus Fundius. sed iam taedet morarum. orta enim illa ad Fundium errore satis ridiculo librariorum inde, quod credidere fundi quod initio uerborum Lucilii positumst casum esse uocatiuum, cui explicando adscriptum illud ipsum ad Fundium. alii uero eo progressi peruersitatis, ut adsumpta proxima syllaba et eadem caeci prauitate cogitarent de Fundido. abeat igitur aeternum iam exulaturus iste, quem suspicor natum in ea terra, cui nomen est Vtopiae. — hactenus emendationes Nonianae.

Iam omissis uetustiorum temporum poetis ad eos qui Augusto imperante uixerunt uti transeam, quod Virgilio adiunxi quae sub nomine eius feruntur opuscula, non feci quasi crederem omnia esse ab ipso profecta, quippe a quo culicem certe et Cirim aliena esse mihi sit certum, sed tempore saltem si non aequalia illi at certe proxima habui eadem. cuius rei cum alia argumenta extant, tum unum longe grauissimum. etenim cum sit plerumque incepti satis lubrici ratiocinationibus a re metrica petitis aetatem carminis Latini definire, tamen unum extat documentum sane firmum certumque ad iudicandam illam ductum ab o litterae finalis quantitate, quo non sine magno litterarum Latinarum commodo Lachmannus et Hauptius in Homeri Latini et Calpurnii carminibus sunt usi. nimirum, id quod quinto libro accuratius probabitur, non est credibile a nono inde u. c. saeculo in uno eodemque libro o finalem et saepe produci et raro aut numquam corripi. quare in quibus hoc euenit, alioquin incerta aetate antiquiori potius quam nouello assignabimus ea tempori. iam in opusculis illis ita res habet. o breuis numquam inuenitur, o producta siue in arsi siue in thesi uiciens quater [catal. 5, 34. 7, 3. 11, 7. 48: 53. cul. 85. 287. 375. Cir. 29. 71. 150. 167. 236. 261. 298. 353. 357. 373. 416. 425. 517. 530. Moret. 66. 111]. hinc apparet non esse composita illa post Claudii Neronisque tempus nec est ulla causa, cur Augusto recentiora esse dicamus. quid quod partim eorum ne Vergilio quidem Propertioque posteriora esse satis constat? maxime autem res certa in Ciri, quippe cuius auctor aemulando plurimis in locis expresserit Catulli elegias et epyllion de Peleo et Theti, quae qui fuerit sectatus post Augusti aetatem cognoui neminem, cum certatim omni tempore admirarentur imitarenturque hendecasyllabos et iambos.

At e ceteris eiusdem illius aeui libris primum omnium nos aduertent epistulae Ouidii quae feruntur amatoriae, duplicem equidem illae ob causam. e quibus altera haec est quod persuasum habeo non recte egisse rem Lachmannum et qui sequitur eum Merkelium expellendo ex epistulis Paridis et Cydippae versus paene CCCL tamquam Italorum fraude ortos. quod ut demonstrem, non possum; quin afferam hoc loco nonnulla de archetypo codice carminum amatoriorum Ouidii, quae quidem ne plene persequar urgente ualetudine cum prohibear qui uolet perducat ad finem. igitur primum omnium satis constat disticha ab Ouidio ante exilium composita extitisse integra in membranis per saeculum sextum septimumue in monasterio Gallico nescioquo Meroningica exaratis scriptura, quibus continuarentur deinceps ars amatoria et remedia atque amores cum epistulis praeter Sapphus omnibus nec non liber de medicaminibus formae. uerum hic codex tam uariast expertus fata, uix alter ut similia. quippe paullulum redintegratis aetate Caroli Magni antiquitatis studiis cum et ipse conquisitus esset ad describendum, iam partes epistularum Paridis et Cydippae nec minus liber medicaminum in fine situs exciderant, quae cuncta excepta uoluminis de cura formae parte maiore casu seruata non uetustis, quorum statim iniciam mentionem, apographis sed saeculi XV non ita paucis prostant tradita codicibus. haec autem postquam fuere intercepta, descriptus est liber Parisinus — quem Regium nominauit Heinsius —, qui artem cum remediis et amorum initio continet. dein breui interuallo accidit, ut amorum opus traiciendo collocaretur post epistulas siue seruatis quae praecederent seu, quod propius accedit ad fidem, demptis, utque finis operis illius cum initiis epistularum etiam euanesceret e membrana archetypa. tum codice Puteaneo propagatae sunt epistularum et amorum reliquiae. in his quod de aetate librorum Regii et Puteanei proposuimus a uulgata opinione diuersum et Keilii testimonio eleuatur [Merk. p. 6] et suptilitate quadam rationum, quas longius enarrare nunc non uacat. ceterum quod Merkelius reliquit incertum in membrana Puteanea paginae LIIII et LVII continue iunctae num lacuna trium foliorum coaluerint, an quod partes diuersae uoluminis amplioris casu fuerint conexae, facile poterit res definiri. nam defectu paginarum praeter uersus epistularum Acontii et Cydippae LXXVIIII atque amorum libri primi LXXXIIII cum satis constet initiis operum diuersorum distinguen-

dis septem omnino absumptos fuisse uersus [cf. Merk. p. 3] nec non unum titulo epigrammatis amorum — qui extat in libro Regio — apparet contineri defectu codicis uersus CLXXI, quantus respondebit numerus explendis tribus foliis codicis Puteanei, quorum ternae partes uersibus uicenis nonis totidem constarent uicenis octonis. illud enim uix credo inter epigramma amorum initiale et carmen principale binorum interfuisse uersuum spatium, quo alibi dirimuntur elegi, cum in Regio libro sine interuallo continuari opuscula auctor sit Heinsius. sed quod dicit Merkelius plerumque singulis partibus paginarum codicis Puteanei inesse uersus undetricenos, nisi illud plerumque posuit Taciti more uel nostro pro saepe, non potest esse uerum. uelut folium illud quod excidit e mediis paginis sexta et septima habuit uersus LVI [ep. 4, 48—103] non LVIII, habuere duo, quae, cum integer erat codex, sita erant inter paginas nonam et decimam, CXIIII [ep. 5, 97—6, 49], ut binis de quatuor paginis, quas nos uocamus, uersus XXVIIII reliquis XXVIII adfuisse appareat. porro foliis sex principalibus cum aequentur uersus CCCXXXXII, sexiens non saepius dimidiata pagina contineri potuere uersus plus XXVIII. iam numerus foliorum codicis archetypi quantus fuerit aliis enarrandum relinquemus illud monuisse contenti summis omnino paginis singula fuisse opera incohata. sed in singulis quot fuerint uersus haud difficulter poterit exponi. igitur cum semel in membrana Regia aberratum sit a legitimo ordine uersibus LI [rem. 750—801] — quo peccato iam Merkelius intellexit nos uti posse ad paginarum modum libri archetypi dignoscendum —, comprobabimus euenisse uitium illud praeterito uno folio, cuius partes uicenos quinos uel senos continerent uersus. cuius rei documenta habemus bina sed certa. primum enim ex libro artis secundo distichon tale

hos aliquis tremula dum captat arundine pisces,
uidit et inceptum dextra reliquit opus,

cum in codice Regio non post uersum LXXVI, quo pertinet, sed post CIII legatur; quod uersus hos a Nasone abiudicandos esse existimauit Merkelius, id recte factum esse mihi numquam persuadebitur. nec uero ipsius codicis testimonio quod uoluit uir egregius comprobatur. di melius quam ut ideo sollicitemus uerba ueterum auctorum, quod errore scribae nescio cuius suam migrauere sedem. sed enim distichon illud neque indignumst Na-

sone et ne potest quidem ab eo esse alienum, a quo octauo metamorphosium cum tota Daedali historia in qua constat repetitur ita

hos aliquis tremula dum captat arundine pisces
aut pastor baculo stiuaue innixus arator
uidit et obstupuit, quique aethera carpere possent,
credidit esse deos.

quae uides Nasonem arrepto ex arte uno hexametro commodasse talia, ut iucunde posset prioris carminis memoria urbanis excitari lectoribus. quae omnino facetiae ad irritum recident uersus ex arte prolatos suspectantibus. quin potius statuemus ideo turbatum fuisse in codice Regio, quod distichon illud cum casu euanuisset ex ordine uerborum iam in marginem additum male intellecta nota per neglegentiam eius qui codicem Regium conscripsit a loco proprio aberrauit una paginae parte hoc est uersibus XXVI. quae uel ea re firmatur suspicio, quod eiusdem illius pentameter praepositus legitur hexametro [cf. et Lachm. ad Catull. 63, 74]. alterum autem exemplum non minus apertum prostat in epistula Hypermnestrae. cuius uersus sexagesimus primus et secundus cum uulgo ferantur tales

aut meruere necem patruelia regna tenendo,
quae tamen externis danda forent generis?

posterior ex his Puteani libro a manu secunda scriptus est in rasura alterius, quem fuisse eiusdem carminis centesimum decimum quartum 'cum sene nos inopi turba uagamur inops' ideo fit probabile, quod hic ipse in libro Guelferbytano inter uersus LXI et LXII est repositus. praeterea in eodem codice epistulae illius uersus CXIII et CXIIII positos esse inter CXI et CXII docuit me per litteras Merkelius. haec considerantibus facile eueniet ut statuatur uersus illos, cum excidissent e codice archetypo, a librario eiusdem transuerso ordine coeptos esse adscribi ad partem congruam folii proxime praecedentis et uersibus LII ante quam debuerit hoc est ad uersus LXI et LXII pro uersibus CXV et CXVI, mox correcto errore mansisse tamen pentametrum 'cum sene nos inopi' collocatum post carmen illud 'aut meruere necem,' quod quidem uitium in libro Puteaneo duodecimo saeculo sanatumst. igitur etiam hinc probatur librum archetypum operum amatoriorum Ouidii habuisse singulis paginis bis uersus uicenos senos. quod cum uia sat certa computarimus, age iam alias quasdam perlustremus

rationes, quibus aperte idem comprobetur. igitur quod a codice Puteaneo absunt epistularum uersus primi CXXVIIII, quis iam negabit defuisse eius scriptori de libro archetypo trium foliorum quinque partes? deinde cum remediorum pariter primo uersu et septingentesimo quinquagesimo paginas incohatas esse sat constet, apparet partibus harum saepius longe uicenos senos quam uicenos quinos adfuisse uersus. praeterea cum ex opusculo de medicaminibus formae hodie extent uersus C, dicentur nimirum de eo bina ex archetypo seruata esse folia. tum quod ex epistulis Paridis et Cydippae uersus CIIII et CCXXXVI omissi sunt membrana Puteanea, paginarum quae uulgo dicuntur quattuor et nouem agnoscemus defectum. quare meo iure egisse uideor, quod uersus proxime commemoratos non existimaui esse inutiles ad ueterum Latinorum illustrandam artem metricam. ceterum cum uix potuerit ordo librorum alius esse in archetypo quam quem initio disputationis indicaui, dubito tamen, quamnam ob causam uideatur uolumen de medicaminibus in serie operum Ouidianorum ultimum optinere locum, quod potius addendum fuerit remediis. quod si non casu uenisse dicemus, haud inepte statuetur disposita fuisse antiquitus Nasonis amatoria carmina locorum eo ordine, quo temporum interuallo fuerint ab illo propter limae studium retractati, de quo cum aliunde constat tum noto epigrammate amorum.

Hactenus de uersibus antiquitus traditis. restat, de diuersis epistularum auctoribus ut disputetur. quae tamen difficilior longe quaestio quam fructuosior. nam nec Lachmannus mihi satisfecit, qui quibus rationibus in libello academico anno MDCCCXXXXVIII scripto octo non amplius epistulas de uiginti Nasoni tribuendas esse statuit, ex parte tantum id effici quod uoluit ille indico, sicut et Bernhardyo [hist. litt. Lat. p. 493] ac Merkelio [praef. 10. 11] uisum. itaque non intercedo, quin epistulae Paridis Helenaeque et Herus ab Ouidio existimentur alienae, quippe quae aut elisionis ratione aut positis in fine pentametri polysyllabis huius distent ab usu. nec hercule quisquam libellum de Hypermnestra Nasone ac sano homine putabit digna. uerum ceterae, nisi fallor, Lachmanni argumentationes neque a codicum consensu neque a ratiocinandi firmitate tam sunt graues, certum ut sit inde et firmatum epistulas reliquas praeter illas octo nullo pacto posse uideri scriptas ab ipso Ouidio. ac de ceteris quidem in ipso opere ubi exponamus locus erit oblatus. unum nunc tangam, quo sane mo-

nemur ne nimis amplexemur minutias neue excidat animo poetas non criticorum in usum sed ad oblectandos homines liberaliter eruditos componere carmina et plurimum horum artis non morositate legis sed natiua elegantia oriri. itaque Lachmannus cum memorasset in epistula Herus nihil pyrrhichiace positum ut alienum ab Ouidii usu, quippe qui semper produxerit ultimam, cui tamen rei firmandae exempla non plus tria attulit, iam Merkelius recte notauit uno ex tristium libris uersiculo [V, 8, 2] correpta finali adhiberi nihil. sed et hunc alter eiusdem operis fugit uersus [IV, 8, 38], in quo aeque breuiatur ultima. itaque apparet Ouidii exemplum hoc [met. X, 520] 'et nihil est annis uelocius' non magis habere quo offendas quam tale [ep. e. P. III, 1, 113] 'morte nihil opus est nihil Icariotide tela.' et in hoc quidem per se quin contrahamus nihil non quidquam obstat nisi illud, quod amant poetae Latini praeeunte, si tamen sit uerum, Homero in his Ἆρες Ἄρες βροτολοιγὲ uocabula repetita diuersa efferre quantitate [ceterum cf. Lachm. ad Prop. II, 3, 43]. ita antiquissimo tempore Plautus in mercatore [928]

mauĕ manē Charine. — erras me iam decipere haud potes.

porro Terentius Andria [288]

et ād pudicitiam et ăd rem tutandam sient.

idem hautontimorumeno [977]

nec tibī nec tibĭ. nec uos est aequom quod facio mihi.

et Phormione [950]

nolo nolō. uŏlŏ nolo rursum. cape cedo.

mox certatim dactylici. ita enim Vergilius [eclog. 3, 79]

et longum formose ualē ualĕ inquit Iolla.

quod imitando repetiit Naso transformationum III [501] sic

dictoque ualē ualĕ inquit et Echo.

itaque idem Vergilius [buc. 6, 44]

clamassent, ut littus Hyla Hyla omne sonaret.

item alibi [aen. VI, 791]

hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis.

et Tibullus [II, 3, 27]

Delos ubi nunc Phoebe tuast? ubi Delphica Pytho?

quod in eadem uoce eodemque metro sectatus Statius ita [theb. VII, 213, 4]

ubi fletus, ubi tunc ars tanta precandi?

tum Horatius [c. I, 32, 11]

et Lycum nigris oculis nigroque
crine decorum

porro Ouidius [met. VI, 245]

ingemuere simul, simul incurvata dolore
membra solo posuere, simul suprema iacentes
lumina uersarunt, animam simul exhalarunt.

atque item [XIII, 607]

et primo similis uolucri, mox uera uolucris

nec aliter Manilius [II, 675]

sidera quadrata efficiunt non lege quadrati

porro Martialis [II, 18, 1]

capto tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, cenam

[II, 36, 2]

splendida sit nolo, sordida nolo cutis

[IV, 89, 1]

ohe iam satis est, ohe libelle

[XI, 12, 2]

dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

ita Claudianus eodem uersu ambo et producta o posuit et correpta sic [26, 338]

ambo habiles remis ambo glacialia secti.

sed ut redeam in uiam, persuasumst mihi ex epistulis illis quae in antiquo illo de quo disputaui fuerunt codice nullam praeter tres certis argumentis abiudicari posse Ouidio. nam ut arte uersus ita ceteris rebus adeo interse consentiunt, ut eiusdem rhetoris schola prouenisse eas semper habuerim persuasum. iam ex isdem opusculis quae quibus antecellant uenustate poetica, uiderint quibus otium et ingenium suppetet. qui si forte eo deciderint, ut in toto illo carminum genere non multum leporis et elegantiae inesse statuant, me quidem non ita grauiter habebunt aduersantem. sed bonitate aut prauitate incertorum librorum definire aetatem ea uero apertast temeritas. mihi autem, ut dicam quod sentio, certissimum uidetur nullam omnium epistularum post Augusti ac Tiberii esse scriptam tempus, plane ut dissentiam a Merkelio, qui statuit [praef. p. 10] quasdam earum indignas esse quouis Ouidii aequali aut amico. nec magis probo quod testatur idem [p. 12] se talia qualia sunt proprior et contempnere retinuisse epistulis spuriis. quae si fuerunt Latina, non hercule ab ipso Ouidio minus quam a ceteris epistularum auctoribus potuere scribi, sin

barbara, nec illis ullo modo conueniunt. illud tamen certum qui composuerunt epistulas illas fuisse adulescentes ingenio nondum satis firmato et ut solet fieri traditis regulis partaque scientia interdum utentes cupidius. cuius rei insigne exemplum extat in epistula Acontii [57]

hoc faciunt flaui crines et eburnea ceruix
quaeque precor ueniant in mea colla manus
et decor et uultus sine rusticitate pudentes
et Thetidis qualis uix rear esse pedes.

etenim quamquam inter omnes Nereidas pulchras ipsas excelluisse uenustate Thetin hoc constat uersu Catulli [64, 28] 'tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?' tamen numquam quisquam poetarum in laudanda forma feminarum Thetidis mentionem fecit. unde sponte apparet nec pedum eius decori iactando potuisse esse locum, nisi qui scripsit epistulam Acontii infeliciter prorsus atque intempestiue — nam omnino pedum iniecta mentio male habet — recordatus esset Homericum illud Θέτις ἀργυρόπεζα. quo cupide arrepto probauit iudicii errorem simul et aetatis infirmitatem simillimus eius, qui Messallae laudes hexametris dum persequitur itidem Homeri nec minus Thucydidis operum pueriliter iactat peritiam. — superest de epistula Sapphus ut dicam. quam ut temporum spatio paullo seiunctam a ceteris fuisse concedo, ita non possum satis mirari fuisse qui quinto decimo saeculo ab Italo nescioquo compositam esse diceret. omitto illud inesse ei res, quae ne potuerunt quidem ab istorum temporum homine commemorari, de quo dixit Hauptius commentariis de epicedio Drusi [p. 23]. sed quod modo de ceteris epistulis dixi interse esse eas simillimas, siue compositionem carminum seu uersuum sermonisque artem respexeris, id non minus ad istud pertinet poema. nec uero quisquam dubitaret Tiberii tempore eam minime esse recentiorem, nisi hoc efficeretur ea re quod Erichthus magae mentionem Lucani imitatione factam probabiliter statuit Lachmannus. at hercule potuit esse auctor eius sub Tito ac Domitiano, neque hoc incredibile cum Nerone principe et aequalem Lucano uixisse concedet, qui sciet in poemate Licentii circa a. p. Ch. n. CCCLXXXXVII conscripto quaedam sumpta e Claudiani carmine eodem fere tempore edito [Licent. 98 sqq. Claud. 1, 169]. — iam cum ita prout indicaui in epistulis habeat res, iure meo feci quod harum scriptores proxime adiunxi Ouidio. addidi nucis auctorem, ne ipsum quidem ab illius aetate alienum.

nam et similiter Lygdamum cum Sulpicia Tibullo, Maroni Ciris et culicis iunxi auctores.

Epicedium Drusi cur silentio praeterierim, dum enarro poetarum ueterum Latinorum artem, non poterit esse obscurum eis qui legerint Hauptii quem iam supra indicaui librum. nimirum quod princeps ille indicauit alienum ab antiquitate carmen istud — nam qui idem prius protulit O. F. Gruppius in libro de Latinorum elegia [I, 389] statim se ipse hac laude priuauit addendo disticha de Maecenatis morte etiam esse conscripta ab auctore neoterico, neque ulla apparet opinationis eius ratio — idem adeo confirmasse mihi uidetur argumentis, ut contra siquis sentiat nil sentiat. in uersibus tamen nihil inest quod arguat scriptorem ab antiquitate alienum, nec omnino quidquam memoria dignum nisi hoc partim sat politis aliquando durioribus hunc scriptorem uti numeris, quales ferme admittuntur ab eis qui imitatione docta et alieno sermone componunt uersus. cuius rei passim proponam exempla, totam auctoris illius non uulgabo artem, priusquam e parietinis Herculani aut remoto aliquo Hispaniae angulo antiqui huius carminis comparuerint libri.

At aliter hercule res habet in priapeis, de quibus iam disseram. et quidem dolendum, quod in eis emendandis tam exiguis et non fidis utimur librorum subsidiis — nam Lindenbrogii codex qui uidetur fuisse omnium optimus ex notitia hominum doctorum iam recessit —, et laetandum autem egregia eorum elegantia metrica id quodammodo compensari, ita ut illud certe possimus probe cognoscere, quid non debeat tolerari in istis. etenim ne quis statuat inesse illis plebeiae uenae conatus rudes ac barbaros, pro certo licet affirmari eum qui haec animi causa de sacellis ac fanis Priapi et saepius de statuis eius in hortis uulgo positis collegit, cauisse maxima cum cura, ne quid reciperet poematum aut dictionis puritate aut uersuum elegantia destitutum, nisi quis hoc potius sibi persuadebit me quidem non aduersante hunc ipsum aliquando sermonem uitiosum ac labantem artem corrigendo adiuuisse. sed illud utique certumst non de plebe profectos esse lusus istos sed doctam referre originem — neque alia fere his libris tractantur carmina, quam quibus doctorum proprie conueniat nomen —, idque unum restat quaerendum, cuinam tempori uideantur esse adscribendi. quam rem pertrectaturum primum ad-

uertet insignis numerorum simplicitas. nam praeter disticha et hendecasyllabos et iambos puros siue hipponacteos nullum inueneris metrum nisi illud quod a deo cui dicata sunt haec carmina habet nomen. qua ipsa continentia probatur illa et a Laeuii Catullique et a Septimii ac Terentiani aliena esse temporibus, quibus quam maxime uersuum uarietatem curauere poetae. sed angustioribus multo licet circumscribi priapeorum aetatem spatiis. etenim cum Martialis aperte sit imitatus horum praefationis initium, annis ferme C qui Augustum inter fuere ac Domitianum ea composita esse et conlecta omnino statuendumst. cui conuenit plane opinioni quae in o finalis quantitate reperitur norma. etenim praeter iambica puto peto lego non corripitur illa exceptis his quae sunt nemo [69, 25] et tenebo [5, 3]. nam quod alibi fertur tale [8, 1]

cur obscaena mihi pars sit sine ueste, requiris?
quaero, tegat nullus cur sua signa deus?

omnino falsumst illud quaero, quoniam nec Priapi interest sciscitari, deorum cur statuae habeant aperta signa, sed eius quem offendit habitus illius, nec omnino cuiquamst obscurum cur hoc fiat, ut appareat quae pentametro continentur per irrisionem ac ludibrium dici. quare non potest dubitari pro illo quod uulgo fertur scribendum esse quaere. iam qui tam modici fuere breuianda o, haudquaquam eandem producenda adhibuere cautionem. nam intenditur exemplis XVI in uocabulis quae sunt nemo [32, 8] uirgo [2, 7] consecro [87, 1] dedico [87, 1] expuo [25, 12] mandabo [56, 5] paedico [6, 2] puto [11, 2] quaeso [29, 2. 77, 20] uolo [38, 3] ecquando [18, 1] ergo [1, 9. 13, 9. 77, 12] porro [25, 1], ut omittam quae plane non potuere alio pacto suis inseri metris. iam obseruantiam modo propositam primi p. Chr. n. saeculi scriptorum esse propriam libro quinto demonstrabitur. quamquam satis est certum horum carminum pleraque ad Vergilii potius quam ad Petronii tempus esse referenda, ueluti haud incertis testimoniis cum quaedam eorum ad Tibullum et Ouidium referantur, alia ipso uersuum genere ab aequalibus horum uenisse declarantur ut puta iambis puris et priapeo scripta numero. omnino autem nulla causa est cur saeculo a. u. c. octauo recentiora esse opuscula illa existimemus. at uetustissimum omnium si requires, dicam esse illud, quo puellam omnibus opprobriis obrutam ita adloquitur Priapus [46, 6]

mantes hic licet ut libet perennis.
nam quamuis uidear satis paratus,
erucarum opus est decem maniplis,
fossas inguinis ut teram.

in quibus illud mantes uerissime dedere docti, pro quo in libris est manes. sed quod proxime legitur ut libet perennis est a me profectum, pro quo exhibent codices corruptissima 'ut libenter ires', quae critici aut intacta reliquerunt turpi neglegentia aut prauis temptauere coniecturis. nam mendosa illa esse nemo negabit. quid enim impedit puellam ne eat? aut quid sibi nolt coniunctiuus praeteriti temporis aut inepte positum libenter? — sed mantandi uocabulo qui post Caecilium comicum usus sit non habeo. unde non errabunt qui hoc saltem poema Varronis et Catulli aetati aut aequale aut proximum iudicarint.

De Maecenatis obitu et de moribundo Maecenate disticha quamquam fuerunt qui deterrimo tempore composita esse autumarent, equidem tamen cur multum post Maecenatem ipsum dicam prodisse minime inuenio. adeo et dictionis puritate nitent — neque enim quidquam inest in eis quod sequiorem originem arguat — et magis etiam castigatissima uersuum elegantia, quae quamquam ne posterioribus quidem prorsus inusitata fuit temporibus propria tamen est primi post Chr. n. saeculi. et conuenit o finalis quantitas. quippe in uersibus CLXXVIII non inuenitur correpta nisi in hoc puto, cui scilicet ab antiquissima inde aetate licuit esse pyrrhichiaco [109, 60. 66], at hercule producuntur ergo [ib. 10. 114] porro [110, 30] nemo [109, 16] discedo [110, 7] ero [ib., 18. 21] librato [109, 142].

De Manilio equidem mihi dicturo non comparet illud, quomodo et huic satis parcam et satis parcam Iacobo, nouissime qui libros eius edidit. quis enim mihi credet Manilium in plerisque rebus seuerissimam quamque sequi legem, nisi simul dixero in re metrica quotiens a Bentleio ac Scaligero desciscat Iacobus, totiens ferme turpissimo labi errore? quod sane non insolita ipsi fecit ratione. nam eiusdem fuit in Aetnam tales admittere uersiculos, qualis est hic [132] 'condita si redeunt, siqua etiam incondita surgunt,' siue hunc mauis 'hinc princeps magnusque qui sub duce militat ignis,' eiusdem in Manilio producta prima quater [III, 419: cf. II, 907] correpta ultima efferre scorpion nominatiuum [II, 213] et hiatus nomine trochaeos pro dactylis ingerere [III, 4.

III, 188]. quamquam bene haberet res, si in talibus substitisset facetiis. quid autem? num melius habent dictiones? sed quis feret probantem talia [IV, 110]

nam neque mortiferas quisquam magis oderit herbas,
quod non arbitrio ueniunt sed semine certo,
gratia nec leuior tribuetur dulcibus escis,
quod natura dedit fruges, non ulla uoluntas.

in quibus ille contemptis Scaligero ac Bentleio cum retineat illud oderit, probat aut dissimulat quod sententiae contrarium efficit sensum. quid dicam de talibus monstris qualia sunt [IV, 247] 'terramque exurere uenis' nec non tale [413] 'tumet qua largior humor quaque minor riuos torret.' possum pleraque addere, nisi iam pigeret operae. nam nec de codicum qualitate satis recte iudicauit ille. sed cum ita res haberet, eo sum acrius accensus ad percontandam artem Manilii, quam non sine multo meo spero et aliorum enucleaui commodo.

Ceterum uix dubito fore qui mirentur atque etiam indignentur, quod omnino ad has minutias quas Iacobo exprobraui attenderim animum. maiores equidem nostros mortales religiosissimos seuerius castigasse peccata talia, nunc uero reclusis immensis scaenicorum copiis ista ne flocci quidem facienda, iamque artis Latinae pristinum florem lautioribus munditiis obrui. itaque nunc nec offendi hexametris qualis est hic

lanigeras detonderi docuit tunicareque homullum

siue hunc males

nec furentem eculum Damasippo insanus equiso

nec trimetro tali

partem uapore flammae tribuit ueribus.

praeterea galliambi emersisse nunc nouam rationem, quam non poetae modo et metrici ueteres sed ipse parens artium Apollo pariter ac Musae nouem ignorassent. sed enim haec atque talia increpantibus respondebo non his qui illos uersiculos procudere instituendis mea me scribere.

Venio iam ad tragoedias Senecae, quibus accedit incerti auctoris qui sub Flauiis uixit carmen praetextatum Octauia. nam ceteras ab uno illo M. Annaeo qui sapientiae studiis inclaruit esse conscriptas mihi quidem certissimumst, plane ut probem, quod dixit Genthius meus, qui nuper de Lucani uita et scriptis accuratissime disseruit [Berol. 1859], distinguentem Sidonium a philo-

sopho tragicum decipi Martialis illo duosque Senecas unicumque Lucanum [p. 11]. nec tamen ignoro fuisse criticos permultos satis doctos illos satisque ingeniosos, qui complures harum fabularum auctores esse assererent. quid quod ipse Bentleius in dissertatione de poculis Thericleis scripta [p. 232 ed. Lips.] ut Octauiam ita Agamemnonem et Herculem Oetaeum a Seneca esse conscriptas negauit? ac de Octauia quidem facillime concedent omnes, nisi forte quis statuerit, quod res post mortem Senecae gestae in ea tanguntur, potuisse fieri, ut a defuncto illo in amoenis nempe piorum locis carmina pangerentur. sed in ceteris fabulis omnium rerum siue ad dramaticam artem siue ad dictionum proprietates spectantium certam claramque agnoscimus aequabilitatem, ut neque Hercules Oetaeus uel Medea siue Phoenissae deteriores sint tragoediis reliquis nec ab ulla eae absint uirtutes quibus pedestres eiusdem auctoris quantum potest fieri maxime florent libri scilicet acumina orationis ac lumina sententiarum. nec uero minus metricae rationes carminum illorum interse sunt similes et aequales. nam cum floreant pariter omnia elegantia numerorum ac uarietate, displicent eadem iugatis plerumque ad taedium usque uersibus melicis qui suis supplementis careant, qualia sunt continuata aut sapphicum metrum sine adonio aut sine glyconeo asclepiadeum, quibus parem incommodis iniucunditatem habent numeri quidam liberiores, quibus reperiendis conectendisque nulla prorsus est gratia adhibita. sed haec cum aliis quibusdam cum mouerent difficultates ea maxime re, quod de libri Medicei scripturis non semper constaret, ego adii Ottonem Ribbeckium, a quo scirem excussum proprio usui codicem eundem, pauca uti excerpta mecum communicaret. at ille cum magnitudinem negotiorum excusando rem prolatasset, mihi cui maximum longe esset negotium, de Senecae arte ut rectius iam indicaretur, pauca tamen adfuere aliena subsidia. et Florentini quidem libri usus bello eo quo tota iam Italia ad libertatem cooritur fuit interceptus. ceterum in libris Diezianis qui Berolini in publica bibliotheca asseruantur inueni quaedam e Medicea membrana enotata a Friderico et Iacobo Gronouiis. unde sumpsimus siqua protuli ex illo codice ignara ceteris. praeterea a F. Wollenbergio, dum per Galliam facit iter, accepi quaedam e libro Turonensi meum in usum perhumane descripta, qui quamquam neque uetustate excellit — nam scriptus est anno MCCCCVIIII — neque magis bonitate, tamen illud certe probauit melica liberioribus metris perscripta non ita

graues traxisse corruptelas, quae res uel hinc probatur quod quae Ritschelius ad Oedipi canticum tale attulit [parerg. Plaut. p. 306] excerpta de antiquissima charta palimpsesta ea nec ipsa ullam habent utilitatem. — praeterea copiis Diezianis etiam in aliorum poetarum libris aliquotiens sum usus, sed plerumque exiguo cum fructu. ueluti quae de Statii codicibus afferuntur dittographiae eae plerumque Behotii respondent membranis uel libro Casselano qui nuper est euulgatus.

Iam Auiani fabulas quod Lachmannus secundo p. Chr. n. saeculo adsignat, mihi quidem non probatur. etenim quamquam minime ignoro carmina illius per medium aeuum in scholis dum enarrantur grauibus esse deprauata uitiis, non tamen placet eadem qua illest usus audacia inuerti a bonorum poetarum usu quae sunt aliena. quid quod idem interdum, quae uiderentur ipsi falsa ut sanaret, certa addidit Auiano nec dubia uitia? credo autem maxime ea ratione permotum esse Lachmannum, plurima in opusculis illis ut mutaret, quod uersibus ut uitia quaedam et abnormitates ita non spernendae artis elegantiam et suptilitatem pariter adesse cerneret. sed enim similia etiam apud alios ultimorum temporum poetas inueniuntur uelut Aratorem et Maximianum. quod cum ita sit, priusquam scriptorum codicum testimoniis Lachmanni firmentur coniecturae, non erit quin ultimis imperii Romani temporibus adscribam fabulas Auiani.

At hercule plane mihi probantur, quae de Terentiani aetate ab eodem Lachmanno sunt prolata. cuius argumentis non inepte accedent noua, quae de tertii quartique p. Chr. n. saeculi placitis metricis primo a me libro exponentur.

Symposii aenigmata quonam scripta sint tempore quaesitum a Th. Paulo dissertatione Berolini MDCCCLIIII edita, qui tamen adeo a uero aberrauit, ut prorsus mihi sit ab eo dissentiendum. namque ille quarto uel quinto ista tribuit saeculo, ego nihil habeo cur a secundo aut tertio dicam ea aliena. quamquam concedo posse conscripta esse etiam posteriore tempore, nego ullum labantis artis et propriae christianorum inesse in eis uestigium. sed Paulum ut demonstrem rerum metricarum non satis amplum esse iudicem, primum grauiora quaedam eiusdem peccata afferam. itaque damnat [p. 36] in Claudiano tamquam uitiosum Italum producta prima immemor Horatiani 'miles sagittas et celerem fugam Parthi, catenas Parthus et Italum robur'. deinde Pru-

dentio exprobrat spei genetiuum quod pro iambo posuit et hic spreto Flacco cuius sunt haec 'contemptae dominus splendidior rei'. idem tamquam singulare in Venantio notat, quod illud quandoquidem breui adhibeat antepaenultima, quasi non omnes omnium temporum poetae dactylici certe corripiant eandem. neque ad Symposium ipsum quae spectant sunt ueriora. ac primum quidem quod ille dicit Symposio in uerbo quod est labor correptam priorem testari codicem omnium optimum, concedet profecto neque hunc librum interpolationibus carere nec spernendos esse illos qui habent trahor, quod per se multost aptius, ut omittam minime constare illud, quid alienis plerisque sit traditum libris uetustis, quos ipse enumerat Paulus [p. 12]. porro alibi [91, 2] cum sane tribus libris potissimis ex eis de quibus constat incohetur hexameter sic 'sex pedes habui', tamen quam sit improbabile poetam alioquin elegantissimum tam turpiter pecasse in uocabuli notissimi quantitate cum per se apparet tum inde quod idem ut pes semel [40, 2] longa uocali ita pedes pedibus identidem posuit eadem breuiata. sed finge potuisse illum admittere tam turpe uitium, tamen a sententia male habent illa 'sex pedes habui', ut ea quae Heumannus ad uerba eadem adnotauit ne legisse quidem uideatur Paulus. ceterum non melius est, quod Heumannus exprobrat auctori eidem correptam in conchylio y. nam quamuis ceteri, quos ego cognouerim, poetae dactylici in hoc uocabulo producant antepaenultimam, tamen apud Graecos est communis, unde corripuit Plautus Pseuduli u. hoc [147]

neque Aléxandrina béluata cónchyliata tapétia.

nec uero cetera recte habent, quae undique conquisita Symposio exprobrauit Paulus. e quibus est hoc quod bis [58, 2. 73, 1] in uersibus amplius CCC produxerit breuem ita

sed sum uersicolor albus quandoque futurus.
Deucalionis ego crudeli sospes in unda.

nam quod tertio loco addit iste uersum prooemii talem 'ponere diuersa uel soluere quaeque uicissim', quamquam illud diuersa firmatur libro optimo, tamen unicum conuenit sententiae 'diuerse', quod habet Pithoeus. itaque non rectius Paulus hunc uersum prooemii iudicauit quam Heumannus ultimos, quos quidem edidit tales

ast ego ne solus foede tacuisse uiderer,
qui nihil attulerim mecum quod dicere possem,

hos uersus feci subito de carmine. uoces
insanas inter sanum non esse necessest,

cum traditum sit uocis et insanos. et tale quidem inuentum falsum esse facile tibi persuadebis, cum nec post dactylum quintum plene interpungi soleat a poetis tam elegantibus quam fuit Symposius, nec ullam habeat concinnitatem homini insano insanas opponi uoces. sed his expulsis coniecturis non tamen habebit res bene. quid enim sibi uolt hoc 'subito de carmine uocis'? nam quod Heumannus ad eleuandam difficultatem arguit proprie positum de, discendumst huic ut plerisque de Africano sermone et dictionibus serae aetatis uix aliud innotuisse quam crebro adhibitam, qua praestigiatorum in modum abuti se posse credant, particulam istam. praeterea non satis aptumst illud feci, cum non meditati curate sed per occasionem subitam effusi significentur uersus. sed enim omnia praeclare habebunt, si ita scripseris haec lenissima mutatione adhibita

hos uersus ieci subito discrimine uocis.

ita dixit Horatius

tum meae, siquid loquar audiendum,
uocis accedet bona pars.

sed ad Paulum ut redeam, tam pusillis rationibus si sustinebis iudicare de carminibus Latinis, nonne multo recentiores Symposio uidebuntur Vergilius Ouidiusque qui uel hiatus aliquando binos in eodem uersu admiserunt? quodsi iste epici carminis grauitatem excusabit, at cogitet, ut alia mittam, in Diris et Lydia carminibus auctoris incerti sed optimo cuique adscribendis tempori, quorum sunt uersus minus CC itidem bis reperiri breuem productam sic

tuque resiste pater. en prima nouissima nobis

et porro

ausus ego primus castos uiolare pudores.

quare haec equidem sunt uana, et possem cetera Pauli commenta a metricis ducta rationibus, si uacaret, refellere omnia. sed sponte sine dubio concedet, si modo mea cum cura perlegere, quam temere sua malet defendere.

Carmen de Hercule quod incerto ab auctore profectum adiungitur libris Claudiani quo sit tempore scriptum uix definias. tanta tamen numerorum inest in eo elegantia, ut haud immerito ab Sereni Nemesianiue aut ipsius Claudiani doctissimo quoque aequali dicas esse confectum.

Sed haec hactenus. quid autem de Christianorum poetarum dicam scriptis? quorum ne unus quidem liber ad hunc diem ea diligentiast editus, qua iam in classicorum auctorum praesertim Latinorum operibus recensendis uti recte consueuere plerique? adde quod nec de metrica eorum arte extitit qui inquireret auctor idoneus, quod sane ne potuit quidem fieri nisi ab eis qui plurima et classicorum poetarum imbuti essent lectione. quippe horum artem seiunctam a prioribus aestimaturi non minus hercule erunt peruersi, quam qui iam cum uetustissimis scriptoribus Latinis operam nauent neglegunt Varrone posteriores. itaque sustinuere critici plerumque regulas aut ex parte ueras aut omnino falsas proponendo talem christianorum poetarum artis didere opinionem, ut ea quasi eximia et aliena a progressu ueteris metricae uulgo habeatur. accedit quod identidem pueriliter ipsi peccare quam pueriles librariorum errores corrigere maluerunt. nec magis tamen dictiones et grammaticas attenderunt minutias. quid enim ex his est certum et exploratum praeter pauca a Fabricio uel Arnzenio enotata? quis imitationem antiquissimorum, cum ex parte utique res satis esset aperta, qua decebat cura persecutus est? licuit crimina multiplicari, nisi possem uideri minus aequis iudicibus meam potius laudem eleuasse quam illorum exprobrasse uitia. quare hoc contenti erimus monuisse me quotquot parare potuerim subsidia critica ad istorum poetarum libros recte aestimandos acri collegisse studio et quod longe fuit utilius perlegisse multo plurium poetarum christianorum carmina quam quorum aequabili cura plene me persecuturum esse artem supra declaraui. ceterum obiter moneo Auieni et Prisciani solum me respexisse libros geographos, praeterquam ubi aliorum aperta iniciatur mentio. erunt fortasse, qui mirentur, cur ego Corippum exclusum noluerim a serie operis, quem ideo minus curiose habui, quod ille cum in plerisque rebus tam stricte Vergilium sequatur, ne Homerus quidem Latinus aut Silius ut magis, tamen haud raro temporum uitio — nam et in fine fuit litterarum Latinarum — labitur; unde curam magis et studium quam proprietatem arti eius concedas.

Iam ex fragmentis carminum perditorum praeter Ennii Luciliique ac Varronis libros, de quibus supra iam monui, maxime nos aduerterunt Laeuii ac Sereni reliquiae, qui quanto opere fecerint ad artem Latinam promouendam, nostris primum apparebit curis. multo minus commodi redundauit mihi ex inscriptionibus metricis,

quippe ex illis quae inseruirent recte aestimandae arti melius pleniusque ex alienis licuit percipi monumentis, quae propria differrent insolentia simul hoc ipso barbara et ab indoctis profecta auctoribus euincebatur. nisi forte amplis iudicibus digna uidebuntur indolis Romanae suptilitate admissa in dactylicum carmen uitia quantitatum aut proprietates scaenicorum aut nulla ratione coeuntes cum pedestri sermone uersus.

Iam metricam Latinorum qui plene enarrarit, equidem cognoui neminem. quod sane pudendum, cum praesertim tot tantosque uiros Graecorum ars aduerterit. quasi uero aut minus digni sint Romani, quorum penitus normam percipiamus, aut minus sit fructuosus talis labor. nisi forte crediderunt illos uelut imitatorum seruum pecus satis habuisse praecepta magistrorum alienigenarum quam fidissima imitatione scholicum in modum exprimere, ut Graecorum rationes qui probe teneat hac ipsa re habeat compertas Latinorum. — hac autem incuria euenit, ut erroribus a uetusto inde tempore traditis et per scholas propagatis iam puerorum improuida aetas imbuatur. quales ubi teneros animos penitus insinuati occupauerunt, quantillum iam loci relinquitur ueritati? mihi uero longe secus cum uideretur, eam ubique seruaui regulam, ne aliunde repeterem per ambages, quae possem ex ipsorum Romanorum indole explicare. praeterea quod semper euenit in rebus non satis expeditis exorti plerique qui lecto uno aut altero carmine Latino arcanas artis Romanae rationes et octo saeculorum diuersissima placita soli enarrare posse sibi uiderentur. quid quod nuper sunt inuenti, qui scaenicorum leges metricas parum compertas dactylicis ingessere quasi certas? contra alii in paucis locis communibus ac peruulgatis subsistere maluerunt, quasi ex sapientum templis serenis ut possent despicere omnia et uerbi quasi gladio secare metricarum quaestionum ut ita dicam nodos. quae adeo placuit plerisque ratio, ut uel in horum poetarum arte plurima hodieque manserint dubia, quorum libri commentariis uastis et doctrina sterili pridem essent obruti. nemo puto omnium hominum peius est post mortem uexatus Archyta Tarentino, quippe de cuius manibus quamquam re satis aperta tam multae ac mirae ortae sint doctorum disputationes, ut fere quidam uideantur statuisse de umbra ut ex ipsa excordi iudicaturis haud multum opus esse pectoris. fuit etiam qui animo usus satis crudeli quem sepulturae expertem fuisse probe sciret huic uel cenotaphium istud

quod Flaccus ei parauit carmine imminuere sustinuerit suspectando, hic quidem auerso deo. quanto autem fuerat utilius missis nugis saturarum uersus cum Lucilii Persiique ac Iuuenalis, melica cum Catulli ac Statii Claudianique et Prudentii numeris comparare. at hercule ego, cui maius longe uideretur ueracem esse quam esse ingeniosum, primum omnium illud induxi in animum, ne cupidius eorum praeceptorem agere uiderer, a quibus discere longe esset et iucundissimum et utilissimum, neue crederem aut me aut quemquam alium eorum, qui iam litteris student Latinis, melius posse dispicere, quid conuenerit sermoni Latino quam Vergilium et Ouidium et sequentium doctissimos. praeterea quid iniustius quam uituperare quae non sustinueris explorare?

Sed missis his qui priore tempore de arte dactylica Latinorum bene meruerint iam deinceps enarrabo. ac primum quidem Bentleium non hoc praestitisse ei, quod facile potuisse tibi persuadeas altitudinem elegantiamque spectando eius indolis, non est quod ita mirere. nimirum uir uariis turbis uitae iactatus plurimisque illigatus negotiis nec uoluit nec potuit singillatim enarrare aut scaenicorum aut dactylicorum Latinorum metricam, quippe in qua re etsi plurima insit ingenii ostentandi facultas uix minus opus sit diligentia quam maxime anxia ac taediosa animoque remisso et uacuo. quid igitur mirum Bentleium alia potius si non fructuosa magis, at magis speciosa et iucunda capessiuisse? quod sane dolendum. etenim quamquam mihi persuasumst eum non dactylicorum rectius quam scaenicorum artis perspexisse rationes, non tamen dubito eum omnium qui poetarum Latinorum libris nauarunt operam dicere *μετρικώτατον*. nec enim tantum laudibus eius detrahunt falsa placita quantum addunt obseruata recta. quid quod est certissimum haud paucas eum habuisse perspectas regulas, quarum nullam diserte iniecit mentionem et quae annis post plus C cum insigni laude quasi nouae rei et inauditae sunt prolatae?

Non ita multa mihi subministrauit notissimus in Terentiani librum commentarius Santenii, qui quamquam a Lachmanno paullo acerbius est arreptus [praef. in Ter. p. 18. 19], tamen a perfecto certe plurimum abest metrico. nam et inutilia praebet haud pauca et plurima in quae ut inquireret ipsa Terentiani uerba stimulare eum debebant, frustra apud eundem quaesieris.

Bentleii rationes fere secutus est Godofredus Hermannus, de cuius meritis dicere superuacuumst, nisi quod ea ipsa ad scaenicorum

magis quam dactylicorum pertineant opera. quamquam uirum tam excellenti ingenio praeditum uel eis rebus quas mediocriter attingeret, seu ueris rationibus utentem siue falsis plurimum luminis affundere par fuit. unde Bentleii Hermannique de erroribus interdum plus commodi capias quam aliorum obseruatis rectissimis.

Proximus Hermanno longo sed proximus interuallo Bentleii uiam tenuit Kirchnerus, qui Horatii saturarum libro primo ab ipso seorsum edito praemisit disputationem de hexametri et Latini et Teutonici arte et indole. sed enim homo uafer magno conamine pauca bene gessit, cum neque poetarum multa esset imbutus lectione et premendo rationem uanissimam nec ingenii elegantia adiutus ueris nonnullis plurima falsa aut mediocria immisceret.

At nouam quasi et quidem unice ueram ingressi sunt uiam ad recte tractandam artem dactylicam Carolus Lachmannus et Mauricius Hauptius hanc, ut nihil praeiudicando per arbitria fingerent, sed diuersorum tempore aut arte poetarum quam accuratissime exploratam artem non ipsorum potius placitis sed illorum aestimarent proprietate.

Igitur Lachmannus cum reliquis passim usum poetarum Latinorum illustrasset libris, tum commentario Lucretiano scientiam plurimis quaesitam annis simplicissima usus iudicii elegantia diuulgauit. nam cum iam ab ineunte inde aetate proba poetarum Latinorum esset imbutus peritia, perlectis tamen, ut refert Ma. Hertzius in uita eius [p. 146], denuo eorum tantum non omnibus plurima eos illustrauit obseruationum copia, quae ad caesuram synizesin elisionem alia spectant, et diligentiam praeclaram et notum eius acumen testantibus. ac tamen acriter cauendum duxi, ne amore huius uiri laberer. quippe nec falsa neque dubia abesse a disputationibus eius uidebam, nec collectanea, quamquam egregiam plerumque fidem prae se ferunt, nusquam eum fefellerunt. ceterum cum aliquando tenerer dubius, quonam usque spatii processisset Lachmannus in poetarum placitis perscrutandis, aliquantisper cunctatus unice sum amplexus, quod dixit ipse [p. 414] eos qui post Iuuenalem scripserint poetas a se non curari, quod quidem ubique uerum sum expertus exceptis nimirum locis eis, ubi posteriorum unum atque alterum nominatim ipse memorat.

Proxima sunt Hauptii merita, qui ut alia alibi sic in obseruationibus criticis primus poetarum plerorumque elisionem quae longam cum breui copulando admittitur suptili distinxit cura, unde

profecto licebat uniuersas synizesis Latinae rationes, quae ut olim Niburio satis est uisa difficilis ita nunc plerisque obscurissimast, haud ita magno labore explicare.

Tertius autem illis compar laude addendus est Augustus Meinekius qui cum alias de arte dactylicorum Latinorum bene meruit tum in praefatione carminum Horatii iterum ab eo editorum de huius arte pleraque suptili indicauit cura. — horum igitur uirorum in rationes penitus insinuandum existimaui, horum si tamen potui premendo uestigia incohatum perpetrare iter. nam illud maxime decere sum arbitratus modestiam adulescentuli sicut hominum mediocrium falsa tamen laude sublimium detegere leuitatem et ignorantiam ita bene prolata ab eximiis et examinare accuratissime et si uera esse uiderentur libentissime probare.

De hexametro solo nuper disseruit amicus meus F. Froehdius in philologi parte XI [533—543]. qui quamquam ueram huius uersus condicionem non magis perspexit quam ceteri, tamen et accurate haud pauca et quaedam habet suptiliter obseruata. idem cum composuisset libellum de elisione Latina mihi ex hoc ipso quae digna memoria uiderentur inserenda operi permisit. pertinuerunt autem eius curae ad poetas M. Antonino priores omnes exceptis Martiale Calpurnio Statio. — iam pleraque minora quae melius silentio tegentur aut suis adferentur locis ut praetermittam, Corsenii librum, a quo scirem similia studiis meis haud pauca tractari, non tamen usquequaque adhibui. quod cur sit factum breuiter declarabo. nempe quamquam non nulla uere huius anni hoc est millesimi octingentesimi undesexagesimi quaedam etiam nouissimo tempore enucleaui, tamen summam si spectes proxime praecedente hieme ita omnia apud animum meum composueram, ut aegre ferrem quidquam immutare. quid quod alterum illius libri uolumen, quod quidem priore multo magis pertineret ad rem meam, satis longo post interuallo prodiit, quo tempore uariis corporis animique fessus malis uix eram aduersurus, si liceret artis Latinae rationes ab ipso Vergilio seu Nasone perscriptas accipere? porro identidem adserebant amici a Korsenio scaenicorum multo magis quam dactylicorum libros respici, quod apud me plane accidit contrarium congruumque rationibus istis, quas initio exposui operis. quae cum ita essent, omnino curas huius declinandas esse censui. itaque quae nobis communia fuerint, iam duplici stabunt auctoritate, quibus in diuersa abscedimus, haec uter utro rectius gesse-

rit uideant, qui habent harum rerum et aequum satis et amplum iudicium. — omnino propter eas quas supra iam tetigi causas ex illis libris qui a fini inde anni praecedentis prodierunt nihil in usum meum conuerti nisi paucissima et quae nominatim prodam. quodsi una atque altera res occupata erit libris talibus, nos uero non inuidebimus. licet enim mihi non perinde superbiae crimine adito usurpare illud Niobae 'fortuna ut multa eripiat, multo mihi plura relinquet'. praeterea in immenso cumulo librorum aliorum super alios aceruuatorum siquid uidebitur a nobis neglectum, quod dignum esset curis nostris, id quamquam ne accideret sedulo caui tamen quo modo erit mirum in adulescentulo uix XXIIII annorum? quare haec potissimum ac talia qui incusarit, uideat, ne minuta uitia impotentibus exagitantem odiis magna et aperta bona fallant.

Sed ut mittam hoc, in exemplis memorandis poterit fieri plerisque ut uidear fuisse aequo liberalior, quae tamen non cumulaui, diligentiam nostram ut iactarem, sed ut tandem summorum auctorum olim obliuio mox contemptu obrutorum arti suus redderetur honos. neque erit hercule, cur excerpta si non utilia aliquando at semper innocua supprimamus, quae non facile eueniet simili qui paret usus morositate, cum indoctissimus quisque philologorum periturae utique chartae multa per uolumina nunc illudant. praeterea nihil curans inanis eruditionis gloriam quod perquam fui modicus grammaticorum criticorumque erroribus refellendis, nemini id ingratum fore spero. nam ut illustrium uirorum notare peccata ingenii uidebitur esse superbi ita pusilli mediocrium. et hercule quid refert, qualem informarint animo speciem Lucretianae artis Gifanius Lucilianae Gerlachius? itaque non fere notaui opiniones alienas, nisi quae ludibrio quodam seu nimia auctorum claritate possent capere homines imprudentes. quare quod paullo inclementius sum inuectus in Kochium Roeperum Vahlenum, id non feci odio illorum, cuius causas procul habeo, sed ut deterrerem alios, ne simili horum grassarentur incuria. est ea quasi pro aris et focis dimicatio. quid enim? a Plauto primum ad Ennium transiere. iam Varronem arripiunt. quid superest nisi ut idem Augustae aetatis carmina floremque artis Latinae inuadant, cui Aboriginum de licentiis addant pyrrhichiacum nempe seu voluptatem delitescente prima siue longas finales eas, quae annis ducentis ante essent breuiatae? quod caue longe abesse credas periculum. certe nuper Froehnerus quidam Catullo genetiuum 'Castorus,'

Horatio 'cotior' et 'semol' formas ridicula usus iudicii prauitate tribuit. scilicet exciderat huius memoriae uetus ille incerti comici uersus quadratus [Gell. praef. 19]

nil cum fidibus gráculo, nihíl cum amaracinó sui,

nec umquam legerat iste quae scripsit Bentleius in eos, qui Flacco addidissent 'maled ominatis.' cur illi suos fines transiliunt? habent materiam quam exerceant satis amplam nemini ignotam. illa se iactet in aula Aeolus. quodsicui in notandis quibusdam uidebor fuisse acerbior, at cogitetur, quam lenibus impudentibusque iam uexent nonnulli iudiciis Bentleium ac Lachmannum et primum quemque philologorum, quorum studia non talium modo curis uirorum sed etiam his quos manibus tenes de metrica Latina libris longe inferiora esse appareat. ceterum omnibus pignoribus affirmo me ubicumque sim lapsus sola peccasse uirium tenuitate nec aut amore cuiusquam aut odio scientem deflexisse a ueritate. nec magis suppressi quidquam de excerptis meis, quod facere uideretur ad res dubias recte aestimandas. quod cum ita sit, iure meo poscere uideor, ut credant homines docti curis meis neue prius fidem suspectent quam certis prorsus argumentis neglegentiam seu fraudem euicerint. at hercule siquis mediocri doctrina et futilibus usus ratiunculis per ludibrium contradixerit placitis nostris, non patiar impune tot annorum lacessi studia.

Sed iam mihi ipsum opus ingressuro licet laeta omnia spondere. nam diligentiam industriamque ne quis desideret, parum ueremur. ingenio iudicioque ut quisque erit potior obtrectabit. quodsi has meas curas probaro cum aliis quibusdam uiris summis mihique carissimis, e quibus Augustum Meinekium et Mauricium Seyffertum honoris causa nomino, tum Augusto Boeckhio et Mauricio Hauptio, quorum alterum cum Godofredo Hermanno uniuersae metricae antiquae ueneramur instauratorem, alteri quantum debeam supra iam indicaui, iam, ut librum circa poetarum artem versantem poetico dicto incohem, quis me uno uiuet felicior aut magis hac res optandas uita dicere quis poterit?

Scr. Berol. id. Dec. a. MDCCCLVIIII.

II.

LIBER PRIMVS.

QVAERITVR QVO INTERSE CONEXV FVERINT IVNCTA STVDIA POETARVM LATINORVM METRICA.

Versum longum dactylicum catalecticum sex arsibus totidemque thesibus constantem, in quo neque arsis posset dissolui et pro pyrrhichio posito in thesi ubique posset substitui syllaba longa, seruata etiam incisionum firmitate et finiti ordinis licentia — hunc igitur uersum, quem incertae originis a Graecis tamen inuentum princeps nobilitauit Homerus, Romanorum poeticae Latinaeque linguae Q. Ennius Calaber addidit. idem et disticha primus composuit.

Ceterum paullo etiam prius, quam hic uir quae dixi metris adhibitis artis priscae uias ac rationes prorsus inuerteret, uidetur uetus illud uatis uocabulum, quo usi sunt antiquissimi ad poetam significandum, abisse in contemptum. certe Naeuius epigrammate sepulcrali et oratione grandi grauique maluit se dici poetam

> immortales mortales si foret fas flere,
> flerent diuae Camenae Naeuium poetam,

cum liceret poni manente numero

> flerent diuae Camenae Naeuium uatem.

at fuisse aliquando uatis uerbum eo quem dixi usu adhibitum, id non quidem certo satis declaratur Enniano illo 'scripsere alii rem uersibu' quos olim Fauni uatesque canebant', sed ea re quod Varro in libro de lingua Latina septimo [p. 323 Sp.] diserte illud affirmat. et exempla quidem non iam suppetere cum alias ob causas non est mirum tum ideo, quod eiusdem Varronis de poematis libri, quibus se probaturum rem istam promiserat, sunt deperditi. nam quod uir doctissimus undecumque Henricus Grauertus in libello academico

Monasterii a. MDCCCXXXXVIII edito [p. 8] dicit a Gerlachio deceptus apud Lucilium inueniri uatem pro poeta in his 'nec si te pectore uates accipiam,' uiderit, quomodo ipsi cum Lucano conueniat. sunt enim ea uerba ex huius primo. immo certissimumst non potuisse ad Vergili usque aetatem uatem autumari poetam nisi forte risus ergo et cum contemptu, sicut putarunt plerique factum esse uersibus illis Ennii, quem tamen magis adducor ut credam ita dixisse uatem, prout est apud Horatium 'annosa uolumina uatum dictitet Albano Musas in monte locutas.' alioqui scaenicorum uersibus porro apud Lucretium et ceteros qui fuere uigente etiamtum libertate uates nihil significat praeter sacerdotem uel augurem, at poetae uocabulum cum alibi tum maxime occurrit oratione graui et augusta. ita habes apud Ennium

Enni poeta salue, qui mortalibus
uersus propinas flammeos medullitus.

tum Pacuuius uersu sepulcrali

hic sunt poetae Pacui Marci sita
ossa.

Catullus ad Furium et Aurelium

nam castum esse decet pium poetam.

unde apparet, quam sit inelegans et a uero alienum, quod coniecit Creechius apud Lucretium [III, 420] esse scribendum 'digna tuo pergam disponere carmina uate.' uerum ab Augusti inde aetate prorsus immutata consuetudine euenit ut uatis uocabulum pridem desuetum ambitioso repeteretur studio, nec parili modo cum poeta frequentaretur usu, sed quasi grandius et elatius sublimi plerumque orationi adhiberetur. et quidem augustius fuisse optime declaratur Maronis his [ecl. IX, 32]

et me fecere poetam
Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt
uatem pastores, sed non ego credulus illis.

quare honoris causa ita appellati, qui pangerent uersus, quod sic confirmat Ouidius [am. III, 9, 17]

at sacri uates et diuum cura uocamur.
sunt etiam qui nos numen habere putent.

hinc et Vergilius in aeneide [VI, 662] dixit uates non poetas, et Horatius in melicis numquam poetae uerbo usus est nisi binis locis, e quibus prior hic est [IV, 2, 33] 'concines maiore poeta plectro Caesarem'. ubi apparet ne potuisse quidem uatem dici ei

sine crimine arrogantiae. alter uero talis est [IV, 6, 29] 'spiritum Phoebus mihi Phoebus artem carminis nomenque dedit poetae.' hic uero Flaccus aperta antiquorum imitatione certoque consilio dixit poetam. neque enim potest dubitari, quin hanc ob causam poetae sibi uocabulum illi addiderint, ut uel uerbo alienigeno diuersos se a priorum rusticitate et totos ad Graecorum imitationem conformatos declararent. nam et similest, quod praedicat Lucretius Ennium primum ex Helicone detulisse coronam, Italas per gentes quae clara clueret, nimirum relinquentem nemora fontesque Camenarum patrios; id quod sane ipse innuerat Ennius referendo notabile illud de Homero in Parnaso sibi uiso somnium, de quo dixit uir summus Otto Iahnius commentarii Persiani initio. iam cum Horatius plane eandem sequeretur rationem atque illi ueteres, quos quidem arte longe superauit, sequitur eum aptissime poetae uerbum usurpasse in carmine, quod faceret ad proprias ipsius studiorum uias tutandas praedicandasque. — ceterum quam breui tempore uariata sit cantorum appellatio, apparet uel hinc, quod in Q. Caecilium grammaticum utilem illis, qui ad poeticam tenderent, talem composuit uersiculum Marsus

Epirota tenellorum nutricula natum,

cum in Valerium Catonem similem Caecilii sed qui aetate paullo fuit prior ferrentur haec

Cato grammaticus, Latina Siren,
qui solus legit ac facit poetas.

iam ea quam dixi aetate ita rursus increbuit uatis uocabulum, ut etiam aliquando non praeclarum magis quam quemlibet de grege significaret poetam. sic enim de eis, qui sunt nimis poetae, Horatius [epist. II, 1, 118]

hic error tamen et leuis haec insania quantas
uirtutes habeat, sic collige. uatis auarus
non temerest animus. uersus amat, hoc studet unum.

tamen tenendum illud proprie uatis uocabulo uel sera aetate altioris spiritus significari poetam. hoc cum ea re deliquatur, quod et Persius et Iuuenalis uatum se excipiunt numero, tum binis dialogi a Tacito conscripti locis, quorum prior hic est [c. 9] 'quis Saleium nostrum egregium poetam uel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum uatem deducit aut salutat?' alter non minus insignis talis [c. 12] 'aureum saeculum poetis et uatibus abundabat'. ni-

5*

mirum sicut non omnes aues lusciniae ita nec poetae omnes sunt uates. quid quod post aetatem Augusti uel pedestri sermone reperitur uates pro poeta cum alibi tum apud C. Plinium naturalis historiae auctorem et apud Tacitum? quamquam hunc uatis uocabulo delectari eo minus mirabimur, quod ut poetam ita omnino Graeca uocabula ut aliena a grauitate operis in libris historicis fere deuitauit, de qua re dixit nuperrime Nipperdeius [ad ann. XIV, 15]. unde factumst, ut poetae ille uocabulo non uteretur praeter dialogum diuersum scilicet in hoc magisque humile dicendi genus secutus. est etiam ubi circumscribendo poetae expresserit notionem [ann. V, 8 fin.]. et haec quidem de uatis uocabulo. ceterum simile apud nos extitit, quod cum antiquissimo tempore fuisset in usu ad scribendi artem significandam uerbum quod est rizan, mox praeualente fide christiana et adnitentibus presbyteris monachisque, ut pristini cultus quam maxime aboleretur memoria, illa uox eo quem dixi modo adhiberi planest desita. pro qua externum scribendi uerbum ita optinuit, etiam flexionem eius ut arriperet, quod inauditum paene uoci alienigenae, fortem quam dicunt coniugationem secutum. magis etiam ad haec pertinet, quod, cum poetae uerbum ut priore ita uel Ramleri et Goethii aetate satis haberetur decorum et graue, iam magis magisque in contemptum uenire coepit, ita ut nostrorum temporum uates, si qui tamen iam sunt omnino, neque hac appellatione neque uetustiore longe illa, a dictando quae descendit, sint contenti, sed nullum praeter cantoris uocabulum satis amplum sibi existiment. nam quod olim Teutonicorum quidam reperire sibi sunt uisi bardorum et uatum similitudinem, silentio praeteribo.

Sed ut iam redeat in uiam oratio, idem Ennius cum nouas atque integras poeticae uias reperiendo illud insigni conatu commouisset certamen ingeniorum, quo antiquissimorum Latinorum rationes metricae primum acriter concussae mox funditus sunt euersae, acquiesse ferme uidetur translatis hexametro pentametroque uno equidem addito uersu sotadico, qui tamen qualis ab Ennio ipso et a ceteris Latinorum poetis ad Varronem usquest habitus tot abundat licentiis, proxime ut accedat libertate ad eorundem iambicos ac trochaicos numeros. futilis autem et uix memoria dignast Alberti Langii opinio qui in quaestionibus metricis Bonnae MDCCCLI editis [p. 42] suspicari se ait fuisse uetus genus senariorum apud Romanos, cuius in uniuersum eadem fuerit natura, quae in ele-

gantiore Varronis. nihil enim ad hanc rem firmandam affert praeter binos Ennii binosque Porcii uersus. e quibus Enniani sunt hi

> Enni poeta salue, qui mortalibus
> uersus propinas flammeos medullitus.

porro Licini

> Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
> intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

de his quod statuit Langius refellitur illud fragmento eiusdem auctoris, quod item e libro de poetis petitum legitur in uita Terentii, at quod de Ennianis refellere nihil attinet. — sed continentiam illam utrum adhibuerit Ennius satietate gloriae an ob difficultatem operis, non iam licet certo definiri. illud tamen firmiter tenendum ut feliciore longe ita difficiliore conatu in transferendis hexametro pentametroque esse usum Ennium quam Klopstokium. hic enim habuit sermonem uariis grammaticorum curis perpolitum, ille continua neglectum iniuria. hunc praecesserunt poetae plurimi si non magni certe non poenitendi, ille anno antequam fuit natus primum Tullio teste fabulam docuit Liuius. denique Klopstokio licuit uel malos uersus cum prospera spe emittere barbaris scilicet gentibus destinatos, quae minime Graeci seu Latini hexametri callerent elegantiam nullo quantitatis syllabarum uel hiatus sensu praeditae sed digitis computantes numeros quaeque oculis magis quam auribus libros tererent, Ennius temptauit iudicium gentis quamquam rudis non tamen degeneris. degeneres enim ab arte metrica ueterum eos tantum nominabimus, qui in uersibus pangendis grammaticum accentum sunt secuti, id quod primum saeculo p. Chr. n. altero euenit.

Neque tamen crediderim statuisse Ennium subsistendum in eis quae ipse nouauerat neque digna esse imitatione lyricorum metrorum pleraque. alia enim sermonis Latini alia Theotisci ratio. sed cur sotadico potissimum etiam fuerit usus uersu idem, uix definias. potest id materia libri uel imitatione Graecorum esse factum. an potius lusuum ac facetiarum quendam arguemus amorem? sane ab hoc non alienus Ennius.

Praeterea in libris eiusdem non scaenicis inueniuntur solum iambici et trochaici septenarii. quod ne casu uenisse statuamus, et numero fragmentorum haud ita paruo et Lucilii ceterorumque ad Sullam usque poetarum non scaenicorum uetamur exem-

plis. licebitque statim pro certo affirmari illud diuersis atque adeo contrariis placitis fuisse usos in uarietate numerorum digerenda scaenicos et dactylicos ad Augustum usque qui uixere. nam cum ex illis uetustiores, id quod Plauti maxime apparet libris, diuersitati studerent metrorum, non perinde quidem elegantiae uersuum et proprietatum sermonis Latini ratione habita, recentiores ad sapientiora conuertere, ut Terentii hominis perelegantis fabulae testantur, quem quod non constitisset intra trimetros paullo inclementius arripuit Fabius. at diuersi longe dactylici. e quibus priores quam maxima fuere usi simplicitate metrorum prorsus quidem constantes illi in placitis Ennii. at a Sullae inde morte qui sunt exorti nouelli ante omnia studuere multiformi numerositati. scilicet uetustissimis maximam partem curarum collocandam esse uisum in lima ipsa cultuque uersuum, neque ulla re magis superantur scaenici antiqui ab aequalibus dactylicis quam iudicio. usus autem his quae dixi metris promiscue si non in carminibus singulis certe in libris Ennius, ueluti tertio uolumine, cui inscriptum fuit Scipio, praeter hexametros dactylicos et iambici et trochaici inueniuntur numeri. — iam dignissimum memoria illud, quaenam fuerint eiusdem Ennii in adornandis quae nouauerat ipse metris merita. de qua re cum singulis libris copiosius sim expositurus, in uniuersum tamen praemonebimus illud, tanto esse potiores huius hexametros quam Klopstokii, quanto aptior est Latinus sermo Teutonico ad leges metrorum et quantitatum rite optinendas, ut non iniustus uidear futurus arbiter, si in pari uersuum numero totidem bonos apud Ennium reperiri affirmaro quot malos apud Klopstokium. nam nec illud satis amplum satisque honorificum esse existimo, quod Niburius de arte Ennii tulit iudicium [Vorles. üb. röm. Gesch. II, 196 sq.], nec est magni momenti, quod eundem Gellius refert [XIII, 23] minime fuisse solitum seruare numeros hexametrorum. fuit enim Gellius plane ut Quintilianus uix suorum nedum antiquorum temporum artis metricae satis ampla peritia. quare hunc specie deceptum fuisse existimo. tantumque abest, ut Ennium diuersae a posterioribus licentiae uias pangendis uersibus optinuisse credamus, ut potius eius artis, quam uarie mox perpolitam ad finem adduxere Vergilius et Ouidius, illum ipsum fuisse primum auctorem satis certo constet pignore. nam et iambi eiusdem et trochaei alienissimi fuere ab scaenicorum.

Iam de Lucilii metris quae Lachmannus exposuit libello aca-

demico uere anni MDCCCXXXXVIIII emulgato, paullo copiosius enarrabimus. igitur apud illum cum reperiantur praeter hexametros et disticha haud dubie trimetri iambici et trochaici tetrametri, quae diuerso ab his feruntur metro numquam carent fraudis suspitione. ueluti cum Nonius s. u. distrahere quasi ex Lucilii XXVIIII petita habeat haec [287] 'diuidant differant dissipent distrahant,' neque creticos numeros ut Lucilio aptos neque distrahere pro eo quod sit uendere positum agnoscemus, sed excidit aperte cum Lucilii uerbis lemma ut puta tale 'distrahere discerpere'.

Sed ex eis numeris, quibus usus est Lucilius, pentametrorum non plus duobus extant exempla, e libro XXII petita. sunt autem haec 'Lucili columella hic situ' Metrophanes' et porro 'Zopyrion labeas caedit utrimque secus'. nam hunc uersum non rectius sollicitauere plerique quam quae apud Nonium leguntur s. u. praeficae [67] perperam ascripta libro eidem iambico metro contineri putauerunt, cum sint aperte trochaica

mercede quae conductae flent alieno in funere
praeficae, multo et capillos scindunt et clamant magis.

porro statuit Lachmannus uersuum genera sic fuisse disposita per singulos libros, ut priores XXV cum trigesimo hexametris continerentur, excepto quod uigesimus alter aut totus aut ex parte constaret distichis, at e reliquis XXVI et XXVII trochaeis, sequentem iambis undetrigesimum utroque perscriptum metro. — et cetera quidem, quae nec Scaligerum omnino fugere, satis sunt aperta, neque umquam in eis libris, quorum proprium statuit Lachmannus metrum dactylicum, alius si reperiatur numerus, caret res suspitione. ex his quae apud Nonium [103] leguntur s. u. eleuit — ex quibus posterior uersus sic est scribendus 'adeo risum magnum inprudens ac cachinnum subicit' — iam Scaliger uolumini XXVI potius quam VI tribuenda esse uidit. quae apud eundem feruntur s. u. praecox [150] quasi e tertio desumpta libro 'anicula aspera atque praecox' — nam quae secuntur 'est fuga', ea ad Varronis uerba pertinere, quae nunc alieno loco ad eandem glossam adscripta extant [157], cum priore per errorem librariorum sint hausta, intellexit Palmerius —, haec igitur si corruptela uacant, hac ipsa re apparet non ad istum pertinere librum. porro quae uolumini XVIIII tribuuntur uulgo sic perscripta [436] 'cupiditas ex homine cupido ex stulto numquam tollitur,' ea et ipsa falso insigniri numero cupiditatis uocabulo iniecto euincitur. cete-

rum pessime haec esse affecta et metri uitio et sensuum peruersitate apparet. nam et hoc ineptumst opponi homini stultum, quasi nulli essent stulti homines, nec si Tacitus scripsit de Agrippina 'filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat', ideo Lucilii simplicitati conuenit ex eo quod est numquam in prioribus suppleri aliquando uel simile. quare uidendum an haec sint magis digna Lucilio

[quouis] cupiditas
ex homine [aliquando], cupido ex stulto numquam tollitur.

ceterum simillimum uitium in eis trimetris delitescere existimo, quos apud Charisium [250] extantes primus detexit Hauptius. ibi enim cum haec ferantur sub zeugmatis exemplo 'nihil hominum te fortunae, nihil commiserescit meae? finge aduenam esse, nihil fraterni nominis sollemne auxilium et nomen pietatis mouet?' non recte opinor huius qui uerba facit, quisquis est, sors hominum opponitur fortunae, quasi nec ipse esset homo, scribendumque existimo omnium mox tete, ceterum Hauptii inuentis utendum, ut sic sint constituendi numeri

nil omnium
tete fortunae, nil commiserescit meae?
finge aduenam esse. nil fraterni nominis
sollemne auxilium et numen pietatis mouet?

Iam quod Lachmannus in libris a uigesimo sexto usque ad undetrigesimum suptilius distinxit iambos ac trochaeos, non credo rem esse satis certam. quid enim obstat, quin Lucilium, plane ut fecit Ennius, uariis unius libri partibus diuersa adhibuisse metra statuamus? et maior est numerus exemplorum Lachmanni praeceptis repugnantium, quam ut satis probabiliter eum Nonii leuitate aut errore librariorum prouenisse credamus. unde ne hexametros quidem ex uolumine XXVIIII qui afferuntur non ita pauci ab hoc esse alienos existimo.

Similis Lucilio parque modestia numerorum fuit Attius, cuius didascalica sotadico metro pragmatica trochaico fuere composita at annales hexametris. quippe hoc opus cur suspectet Bernhardyus [hist. litt. Lat. p. 394], cum nihil insit in reliquiis, quod sinceram abneget uetustatem, non magis perspicio quam qui potuerit Kraussius [de hist. Lat. p. 176] statuere eo sicuti Enniano Romanorum res publice gestas fuisse celebratas, cum priuata potius horum uita uideatur fuisse descripta libris istis addita quidem cultuum

morumque priscorum origine ac serie. — denique proximus aetate Porcius Licinus amatoria carmina metro elegiaco librum de poetis tetrametris trochaicis composuit.

Hi cuncti sicut paucitate metrorum ita limae studio quin imitati sint Ennium non est dubium, quamquam merita eorum inopia librorum, simul ob tantum insequentium temporum nitorem non perinde plerisque innotuere. quare sunt falsi et digni reprehensione, qui ut Ennii ita proxime insequentium hexametros pentametrosue omnibus abundare licentiis existimarunt, cum haec potius inter illos et Sullani temporis auctores sit differentia, quod priores seueritatem normae certasque leges cum sanxissent, at nouelli leporem et elegantiam addiderunt carmini Latino. quorum iam omnino perlustremus exersa. — igitur antiquissimo tempore apud Romanos cum pauci operam nauassent carminibus nec fere alia re quam laudis cupidine ducti, quod propriumst toto animo ad poeticam tendentium, iam ab Sullae inde aetate magno, ut ait Suetonius, studio iniecto omnibus et ualescente cura rei grammaticae prouenere homines liberaliter eruditi ceterum ab omni spiritu ac furore alienissimi, qui ad otium oblectandum parandamque dicendi copiam post epulas et in balneis et quandocumque taederet crassiorum uoluptatium uersus factitarent, ut abstinere a pangendis carminibus ineptos non modesti haberetur ingenii sed indocti, plane ut apud nos iuuenes facultate poetica nulla, metrorum peritia diuersum in modum praediti aliquando Brutum ac Demosthenem plerumque Meleagrum et Clytaemnestram fatigant tragoediis. quod studium illa aetate apud Romanos adultum mox adauctum et coalitum, ad interitum usque imperii ut permaneret, non caruit equidem sua utilitate. primum enim homines nobiles et cum cura instituti non tulere tales in carmine licentias, quas ad summam caueam et faecem Romuli spectantes cum Plautus et Terentius recepissent etiam Ennius et insequentes rudi etiamtum ciuitate identidem admiserant. porro nouellorum plerosque quantum ingenio esset negatum tantum cura adsequi uerum erat. auctumque studium elegantiae collegiis ac scholis poetarum, quarum ab Attii inde tempore fit memoria. his enim potissimum Alexandrinorum et similium istis Latinorum orta imitatio, his neoterica carmina propagata et quae suo decore carerent mitigata aut reiecta. hinc euenit, quod quae extant ex illa aetate carminum reliquiae plurimum parilitate artis sunt tali, uix ut possint dignosci. — quare

non ita difficile accidet homini sollerti ac prudenti poetarum illorum, ab Attii inde fine usque ad Ciceronis mortem qui prouenere, aperte declarare rationes metricas, licet carmina eorum et paucissima ferantur et plerumque corruptissima. — iam quae mihi multum et acriter quaerenti pro compertis uiderentur posse poni, haec ferme fuere.

Cum ea de qua agimus aetate transitus sit factus a priorum simplicitate et ruditate ad perfectionem artis, quae ab Augusti inde tempore optinuit, non erit mirum ambiguos esse aliquando ac medios Laeuium et Catullum cum aequalibus inter placita ueterum quae damnantur citius quam migrantur et tantam nouarum rationum nouique cultus dulcedinem. igitur in melicis quidem et satiricis carminibus incognitam prioribus metrorum numerositatem sunt secuti, nulla ut alia re magis differant a ueteribus. auctores uero et duces eis fuere poetae plerumque Alexandrini, praeterea Iones et Aeoles. Dorensium et choricae poesis ad imitationem qui concesserit non inuenio. sunt quae exemplis iam careant Graecorum uelut Catulli iambi ei qui spondeum ac tribrachum non recipiunt, quos tamen ab ipso inuentos uix inducor ut credam, quamquam minime negabo potuisse fieri ut Laeuius, quem ingenio ampliore et magis proprio quam ceteros fuisse ne nunc quidem obscurumst, nouaret quaedam metra conuenientia equidem ceteris. praeterea inuenitur quosdam in tanta uersuum Graecanicorum multitudine ne Ennii quidem et Lucilii prorsus aspernatos esse numeros, qui in scaena etiamtum soli optinerent. quin etiam intendendo artem ad occasum uergentem scazontes iambicos et trochaicos admissis qua non decebat spondeis Varro composuit, quod nunquam quisquam ausus est Graecorum. — porro quanam arte fuerint usi in uersibus pangendis auctores illi si quaeretur, apparet Catulli et Varronis Atacini exemplis hexametri decorem et nitorem eum, quem Vergilii primum curis uenisse falso existimant, iam fuisse in carminibus aequalium Ciceronis. quin suptilitas peritiae metricae ea quam nunc in Marone admiramur pariter et adspernamur non ipsius potius propria indole quam Attii Varronisque et ceterorum exemplis uidetur prouenisse. at reliquis metris perpoliendis quamquam etiam cum studio laborauere nouelli, tamen difficultate operis uicti non ubique proposita animis optinuere, ut insequente demum aetate plurimorum uersuum ars stabiliretur.

Iam quae de uniuersis exposui in singulis ut probem, Laeuii

potissimum Varronisque et Catulli examinabimus reliquias ceterorum passim adhibitis.

Ac primum quidem de Laeuii et aetate et studiis quas protulere quidam homines doctissimi opiniones equidem non possum satis mirari. ueluti aliorum sententias quas enotauit Weichertus ut omittam, quod statuit uir longe ingeniosissimus G. Niburius [Vortr. üb. Röm. Gesch. II, 389] uideri Laeuium priore parte saeculi a. u. c. septimi floruisse, quem esse credibile popularibus usum modulis summum suauitatis et elegantiae optinuisse, paucissimis uerbis tres grauissimi insunt errores. nam nec Lucilio aequalis fuit ille, fuit Lucretio, nec propriis Latinorum modis sed siquis alius Graecorum imitationi studuit, nec lepore et suptilitate potius quam audacia et difficultate carminum praestitit. et quidem eo quod dixi tempore non alio uixisse illum ut Gellii [XVIIII, 9, 7] testimonio satis aperto cum Hortensii et Catulli plerisque aequalibus ipsum iungentis ita omni ratione studiorum eius constat haud dubie. nam cum summa Laeuium metrorum uarietate usum esse extra controuersiam sit repositum, non potest fieri quin uixerit ille aut ante Augusti aetatem aut post Hadriani. sed enim eum non Anniano modo etiam Horatio fuisse priorem Ausonii et Porphyrionis [fin. cent. nupt., ad Hor. c. III, 1, 2] firmatur testimoniis.

Venit autem ad nos notitia duorum Laeuii operum, quorum alteri erotopaegnion polymetrorum alteri fuit nomen. ex quibus erotopaegnia complesse uolumina non minus senis Charisii asseritur auctoritate. qui cum Phoenicem nouissimam dicat oden erotopaegnion, haud absurde statuemus constitisse illa carminibus non ita magnis, quorum compluribus singuli libri conficerentur. unde nec Alcestim aut Inonem ac Protesilaodamiam uel cetera mythici argumenti carmina epyllia potius quam idyllia fuisse putabimus intertexta equidem illa plerumque diuerbiis. haec enim non proprios explesse libros sed partem et ipsa erotopaegnion satis aperte puto declaratur exemplo Phoenicis, quo non est dubium res Venerias et Briseidos fata enarrari, nec minus uersibus a Prisciano [903] ex libro erotopaegnion V seruatis, quibus Hectoris et Andromachae amores describuntur. sed sicut fabulosam uetustatem etiam sui temporis res et homines perscripsit eodem uolumine Laeuius, in quo et Varronis nescio cuius et Liciniae legis inueniatur facta mentio [Prisc. p. 922. Gell. II, 24]. at cetera quomodo instituerit ille non satis comparet, nisi quod leuem tantum et iocularem

placuisse illi materiam nomine ipso operis declaratur. de polymetris nihil omnino habemus compertum nisi quod ipso titulo indicatur. quos equidem quod dicit Bernhardyus [h. l. L. p. 507] partem fuisse erotopaegnion non magis probo quam quod esse conuersos e Graecis. nam de hoc nihil constat. illud uel ideo parum probabilest, quod tota omnino erotopaegnia uariis fuere composita numeris. sed praeter illa an recte tribuatur Laeuio ab Mercero carmen de pullis cuius tria fragmenta seruauit Nonius [72. 513. 139] — nam in codicibus est pro Laeuio uaeius seu ueius uel suis — non ausim certo definire. illud tamen constat fuisse hunc librum poeticum, quod apparet exemplis his aperte trochaicos referentibus numeros — nam tertium quod est s. u. assulatim quamquam et ipsumst ἔνρυθμον ob foeditatem transibo uitiorum —

> ubi tu nequaquam cubares asperiter.
> sic incedunt et labellis morsicatim lusitant.

quibus uulgo uerbis ante illud labellis additur in, quod ex praecedente incedunt illatum pariter sensus respuit ac uersus. placet autem Merceri opinio ideo, quod aperte libello isto describuntur amores. et trochaeis Ennianis ac Lucilianis uti et ipsum Laeuium mox comprobabo. tamen ne eorum similes esse uideamur, qui in colligendis fragmentis quaecumque auctoribus incertis aut nullis feruntur ascribunt eis quos ipsi adamarint, rem temporum iniquitate obscuram in medium relinquemus.

Ceterum in tanta fragmentorum paucitate si certum licebit statuere de Laeuio, satis profundi satisque amoeni uidetur fuisse ille ingenii. Quid quod unus inter aequales uidetur recte perspexisse idem, quid conueniret poeticae quid non, cum uel Varronis opuscula et Catulli interdum solis numeris a pedestri sermone differant? sed age iam eiusdem scrutemur rationes metricas. itaque primum omnium ostendam uti Laeuium etiam trochaeis sine iambis Italicis. etenim cum Prisciani l. VII [739] recte iam feratur 'Laeuius in Sirenocirca nunc, Laertie belle, para ire Ithacam' — ita idem Laeuius librum Protesilaodamiae et Varro Oedipothyestae inscripserunt nomine —, non potest dubitari quin tetrametro tali 'delphino cinctis uehiculis hippocampisque asperis', quem Nonius seruauit s. u. hippocampi [120], praeponendum sit 'Laeuius Sirenocirce' pro eo quod antiquitus traditur naeusus si-

reno cicer uel citer. et Laeuii nomen, qua fuit ingenii sollertia, expediuit Godofredus Hermannus. his recte compositis simul illud apparet diuersis eodem in odario metris usum esse Laeuium, cum fragmentum prius aperte constet tetrametris dactylicis, ut uersus finiatur post illud para. ita in Protesilaodamia inueniuntur et dimetri iambici et ionici a maiore.

Iam quam multiformis metris fuerit Láeuius uel paucissimis illis quae supersunt plene comparet reliquiis. etenim praeter trochaeos Italicos habet nuper adscita a Graecis dimetros iambicos anapaesticosque et scazontes trimetros ac dactylicos tetrametros praeterea hendecasyllabos et alienum a ceteris Latinis decasyllaborum quoddam genus denique ionicorum uersuum ternas species. sed idem rectone fuerit iudicio in digerenda multitudine metrorum plane non apparet. magis certum illud elegantiae numerorum curate studuisse eum sicut Catullum et Varronem, plerumque ut prae uersuum difficultate contemneret dictionum uenustatem ac modestiam, cuius uitii haud obscura exempla proferuntur a Gellio l. XVIIII [7].

Quae cum ita sint, nihil obstat, quin ad Varronem transeamus, nisi haud absurde uidebimur fragmenta, quibus insunt uersus, suo restituta decori, hoc loco posse addere. sunt autem haec

Andromachă perdudum manu
lasciuula ac tenellula
capiti meŏ trepidans libens
insolita plexit munera.
complexa somno corpora
operiuntur ac suavi quie
dicantur.
humum humidum pedibus fodit.
lex Licinia introducitur,
lux liquida haedo redditur.
nunc quod meum admissum nocens
hostit uoluntatem tuam.
nunc quaepiam alia te Ilio
Asiatico ornatu affluens
aut Sardiano aut Lydio
fulgens decore et gloria
pellicuit.
philtra omnia undique eruunt.
antipathes illud quaeritur,
trochiscili ungues taeniae

radiculae herbae surculi
sauri illices bicodulae
hinnientium dulcedines.
delphino cinctis uehiculis hippocampisque asperis.
corpore pectoreque undique obeso ac
mente exsensa tardingenulo
senio oppressum.
meminens Varro corde uolutat.
scabra in legendo reduuiosane offendens.
seseque in alta maria praecipem inmisit
mente impos aegra sanitatis herois.
nunc Laertie belle para
ire Ithacam.
hac qua sol uagus igneas habenas
inmittit propius iugatque terrae.
omnes sunt denis syllabis uersi.
inibi inruunt cachinnos
ioca dicta missitantes.
lasciuiterque ludunt.
Venerem igitur alinam adorans,
seu femina isue mas est,
ita ut alma Noctilucast.
gracilenti' colorem.
ex hoc gracilans fit.
Vénus amoris .áltrix genetríx cuppiditátis mihi quaé diem serénum hilarula praépandere crésti opseculaé tuae ac ministrae,
étsi ne utiquám quid foret éxpauida grauís dura fera ásperaque famúltas potuí dominio ego áccipere supérbo.

De Varronis saturis dicturus quod asperius iam istos arripiam, qui nuper eas pessumdederunt, id cur factum sit et supra exposui et nunc breuiter declarabo. nimirum ratiocinationibus eorum quae incertum stolidiores sint an uaniores ita sum ipse impeditus in Varronis arte recte aestimanda, re alioqui difficillima, sic illusum ac turbatum ut ira commoueri non sit mirum. praeterea cum illi haudquaquam conuenientem uiribus ipsorum et studiis in iudicandis aliorum sententiis adhibeant modestiam, nulla sum eis uerecundia obstrictus. sed iam ad rem ipsam ueniamus. itaque Roepero placuit totos Varronis libros Menippeos uersibus fuisse conscriptos. unde sponte sequitur, quotquot extant horum fragmenta numeris reconcinnanda esse poeticis. quam sententiam fortiter si dis placet plusculis est libris persecutus. et quidem uersus eius quam sint belli utique comparebit eis, qui legerint iam quae

ego de Varronis cum aliis metris tum trochaeis et iambis italicis sum enarraturus. quamquam uel nulla tali eruditione imbutae aures aspernabuntur uelut disticha haec

solus rex solus rhetor solus formosus
fortis diues ad aedilicium modium
puru' putus. si ad hunce charactera Cleophantus
conueniat, caue ne attigeris hominem.

siue has males particulas hexametrorum

in castris permansi, inde caballum
redduxi ad censorem.

sed finge uersus eius tam esse bonos quam sunt foedi ac ridiculi, tamen non melius habebit res. quippe ad eos conficiendos tanta usus est iste audacia immutandis traiciendis supplendis uerbis, ut hoc ipso refellatur eius opinio. sane ad excusanda haec eo usus est idem praestigio, ut diceret minime lateribus parcens sed amplissimo sonorum circuitu [phil. IX, 225] nullum esse uitiorum genus siue ab antiquis inde temporibus inueteratum siue per saecula posteriora inuectum siue oculorum siue aurium siue intellectus errore natum siue in litterulis apicibusque permutatis siue in uerbis nunc temere omissis nunc praue adiectis nunc uel casu uel aliqua ratione loco suo motis positum, quin passim aut inuestigandum lateat aut aperte profligandum sit in saturarum Varronis reliquiis. credas hominem in Plautinis sordibus uersari. tam monstruose corruptos iactat iste libros Nonii. addit praeterea ita se in animum induxisse, ut neque Nonium neque uno fortasse excepto Gellio reliquorum quemquam ipsas illas tractasse saturas statuat, sed collectanea superiorum grammaticorum pro sui quemque consilii ratione compilasse. in quibus illud habet scitissime, quod dubitat num Gellius usus sit ipsis libris Varronis, cum narret hic se adstantem grammatistae cuidam enarranti saturas Menippeas forte tenuisse librum ex illis qui inscribatur ὑδροχύων cumque alibi iubeat uersus lepidos positos in libro περὶ ἐδεσμάτων illis quibus otium esset ex hoc ipso uolumine repeti. nec hercule nisi qui prorsus corde caruerit dubitabit de Gellio, si aut legerit libri XIII eiusdem caput XI aut cogitarit nullam profecto esse causam cur saturas Varronis minus integras illo tempore extitisse quam alia eiusdem scripta statuamus, quae ipsa se tractasse idem testatur Gellius. neque hercule probabilest ullum nobilis scriptoris Latini circa exitum saeculi a. u. c. noni defuisse Romae

exemplar flagrantibus etiamtum studiis litterarum, adeo ut imperator Domitianus homo minime aequus doctorum ingeniis initio principatus magna cum cura et petitis etiam Alexandrea codicibus absumptas incendio bibliothecas in urbe reparauerit. — sed enim Nonium facile largior non ipsius potius Varronis libris quam excerptis grammaticorum esse usum. quem tamen si recte statuitur uixisse saeculo p. Ch. n. tertio, non credibilest syllogen eius multorum grammaticorum transisse per manus, quoniam Hadriani primum tempore antiquissimorum renouatum fuit studium. sed utcumque res habet, nihilo melior eueniet Roeperi opinio. — equidem nisi nequissimae lenitatis uellet iste grauari crimine, ante omnia debuit quaerere, num ceterorum apud Nonium quae extant poetarum reliquiae tantam prae se ferrent corruptionem, ut asperrimo quoque et periculosissimo opus esset remedio. qualis quaestio facillime potuit institui adhibitis exemplis eis, quae petita sunt ex libris hodieque integris. huic si applicasset sese ille curae, intellexisset utique haudquaquam magistros a quibus sua deprompsit Nonius usos esse grauiter corruptis codicibus ueterum auctorum, quod nec per se credibilest, cum uerum sit a grammaticis antiquissima quaeque et emendatissima conquiri exemplaria. itaque satis constat praeter leuia quaedam uitia scripturae prisco genere orta haud sane alienas infuisse exemplaribus illorum labes exceptis quidem Plauti ac Terentii libris. nec uero quod idem Roeperus dicit litteratos illos pleraque excerptorum suorum ex arbitrio mutasse umbram habet probabilitatis. etenim praeterquam quod aliquando unius aut alterius uerborum ordinem migrari ab isdem credibilest, non uidentur grauius quidquam sibi indulsisse in scriptis ueterum — id quod probatur eis fragmentis quae feruntur e libris etiam nunc prostantibus —, sed imitando hercule exemplo abstinuere ingenia a momentis ipsorum dissimilibus. quare haec equidem sunt uana. nisi forte statuemus antiquissimos magistros aut librarios nescioquos, cum malignitate quadam morum mallent probum sermonem pedestrem quam foedos et Aboriginum artem referentes uersus, eo usque fraudis esse progressos, ut immutarent pleraque, quae multis post annis restitueret is, qui ne meridiem quidem quanam esset quantitate antepaenultimae didicisset.

Sed misso Roepero age iam uideamus, qualem ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς Iohannes Vahlenus de forma saturarum Varronis anti-

qua animo imbuerit opinionem. qui sic uoluit a sese adiutum M. Varronem, ut et capitulo toto libri de saturis Menippeis et passim eiusdem locis alienis de metricis illius disputarit rationibus. unde tamen exiguum cepi fructum. nam illarum quas ego iam tibi pandam obseruationum nec uola nec uestigium illic apparet. at quae ille scribit placuisse Varroni tantum non omnia ut barbara reicientur. an credes mihi tali opus esse magistro qui hunc protulerit [p. 162] octonarium iambicum primo pede mancum 'sed quae necessitas te iubet aquam effundere', et qui, ne ignorantiae uitio non adderet impudentiam, hiatum paenultimae uoci additum Lachmanni [c. L. p. 130. 194] uoluerit firmari testimoniis?

Itaque et hic et ante eum A. Kochius — nam ne proprietate quidem errorum insignis est Vahlenus sed sola monstrositate — statuerunt a Varrone in eiusdem sensus circuitu ne interpungendo quidem separata continuari pedestria cum uersibus atque horum sententiae accessit nuper O. Ribbeckius qui musei Rhenani parte XIIII de saturis Menippeis est commentatus. uerum hunc statim praetereamus. nam imprudentis est certe hominis, nequid grauius dicam, Varronis illa fragmenta difficillima tractare opera, ut ipse fatetur, desultoria et commentis subitariis. ceterum ut appareat, quam sit amplus metricarum rerum iudex Ribbeckius, afferam specimina quaedam uersuum eius. itaque [p. 109] hunc profert hexametrum

nec furentem eculum Damasippo insanus equiso.

idem [p. 113] uersum trochaicum septenarium probat talem

iam acciti sumus ut depontaremur, murmur fit ieis.

sed hic uersus qualis uenerit a Varrone suo loco ostendemus. Ribbeckius quanta sit peritia numerorum et alias declarabitur. interim hoc et similibus spretis afferam potius eius qui nil in rebus his molitur inepte testimonium. dicit enim Lachmannus libello academico quo de Lucilii saturarum metris disputauit [p. 4] Varronem uersus suos cum summa elegantia excoluisse. ceterum Vahlenum Kochiumque et Ribbeckium eandem quam dixi sententiam amplexos esse ut certo appareat, cognoscantur primum omnium quae Vahlenus de ea re tradit. sunt enim haec [p. 72] 'ne hoc quidem suis exemplis caret Varronem eodem sententiae ambitu prosario sermoni uersus continuasse uel iniicem'. accedat igitur iste grammaticis eis, qui e Cicerone et Tacito tales eruerunt uersiculos

uero éxpugnatió fani antiquíssimi
donec consensu patrum deterritus est, ne

ut omittam eum, quem quidam in eodem detexisse sibi uisus est hexametrum

fŭturi testamentum pro pignorĕ scribam.

cui similest, — nam quid uetat et nos aliquando nugari? — quod scholasticus olim mihi iactauit magno gaudio talem in Curtio inuentum ab se hexametrum 'septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat'. — sed quod idem dicit Vahlenus non carere rem ab ipso firmatam suis apud Varronem exemplis, agnosces rhetorum praestigiis probe imbutum, qui ea dicunt omnibus notissima, quae nemo ne fando quidem audiuit. iam tali normae obsecuti quonam peruersitatis processerint Kochius Vahlenus Ribbeckius siquis uno uolet exemplo plene percipere, uideat ille quaeso quale constituatur a Ribbeckio fragmentum Varronis illud, quod legitur apud Nonium s. u. *mansuete* [483]. nam integras inserere huic libro ineptias tales indignumst meque illisque quorum honori operam meam dedico. — equidem nisi fallor, qui audent scribere de fragmentis, quorum quae fuerit prima forma non satis constet, debebunt ante omnia anquirere quid placuerit similis materiae scriptoribus, quorum integra ad nos peruenerint opera. itaque oportebat istos primum Luciani ac Iuliani, qui itidem Hippocentaurorum in modum pedestria cum uersibus coniugarunt, considerare morem aut, si Graecos fastidirent, certe de Seneca Petronioque et Martiano ac Boethio quam accuratissime quaerere. quamquam ne his quidem erat opus ambagibus sed aliquo pectore sensuque pulchri, qualem qui non habet, ei tuto suadebitur, ut omnino poetas ueteres ne attingat. quis enim credet hercule praeter illos potuisse componere soluta numero cum adstrictis modo ab omni concinnitate et elegantia diuersissimo quemquam poetarum nedum Latinorum, qui iudicio etiam magis suptili et sobrio usi sunt in digerendis rebus metricis quam Graeci? sed similia Varronis librorum iam consideranti exempla apparet primum quidem omnes pedestrem sermonem a poetico graui disiunxisse interpunctione, neque umquam quemquam poetarum aliam optinuisse rationem praeter quosdam auctores inscriptionum sepulcralibus monumentis uel alienis hodieque extantium titulis. sane in illis frequenter occurrunt talia sicut et alia non minus lauta, ueluti spondei pentametri parte

posteriore positi et quantitatum uitia non quidem Varronem sed enarratores eius aequantia. sed quis taxanda arte Menippi lapides sequetur duces nisi ipse siliceo corde praeditus? nam quod aliquando a Varrone unius sententiae ambitu iugantur cum pedestribus uersus seu particulae uersuum ab aliis sumpta scriptoribus, id nihil pertinere ad quaestionem quae iam uersatur nec Varronis magis quam omnium scriptorum esse proprium haud erit qui eat infitias. neque fugit hoc Merclinum hominem prudentem ac bene de Varrone meritum, qui item docte dubitauit [philol. XIII, 724, cf. 723], certisne possit comprobari exemplis haec saturarum Varronis species, qualem proposuerunt animis Kochius Vahlenus Ribbeckius. nego autem ac pernego inueniri talia, et postulo iam flagitoque, ut proferantur ab istis quibus Merclinus et ego aperte erroris conuincamur. quod si detractarint, apparet cum omnes in re difficillima foedissima usos esse leuitate tum mentitum Vahlenum, qui dixerit non carere Varronis scripta exemplis eius usus, quem contendo et Varrone et quouis poeta indignissimum.

Sed ego, qui neque altitudinem et sagacitatem istorum ingenii optineam et multo minus temeritatem et fiduciam, credo haud inutilem me rem esse acturum, primum omnium si demonstraro, quibus difficultatibus impediamur in aestimandis Varronis rationibus metricis. itaque ut omittam de quibus supra exposui incommoda, quae pariter Varronis atque ceterorum ad Lucretium usque dactylicorum euenient artem perquirentibus, iam de illo dubitatio oritur, quibus signis interse possint discerni pedestria a poeticis. quae quidem ipsa quaestio satis est spinosa ac plena casuum. nam cum alioquin ad eam dissoluendam duae res quam maxime faciant, scilicet rerum colores floresque a prosa ferme alieni et dictionum proprietas numerorum uigorem et metri necessitatem arguens, longe minus prosunt signa talia ad uersus qui sunt in Varronis saturis dignoscendos. etenim quod suarum et Lucilii saturarum proprium esse testatur Flaccus, si tempora certa ac modos dempseris uerbis, non iam inueniri quasi frustula poetica, id longe magis ad Varronem pertinet, quippe quem sit certum libris suis etiam rerum ad fabulas et historias uel antiquitates seu grammaticam aliaque a poetica diuersissima pertinentium addidisse doctrinam, quod quidem non falletur qui minus Lucilii aut Attii exemplo quam ipsius proprietate et ratione Menippei operis factum esse existimarit. itaque siquid erit humile et solutae orationi

aptum, non sequitur certo id non contineri uersibus. sed alia praeterea non minor difficultas inde nascitur, quod Varronis tempore noui moduli exorta arte cum pleraque ueteribus intemptata aggrederentur poetae Latini, illud accidere oportebat quod semper fit in re simili, ut animi inusitata uoluptate capti nimisque indulgentes incondito incogniti carminis non satis curarent illud, quid pedestri potius quam poeticae conueniret orationi. itaque et Catulli quaedam repperiuntur opuscula [e. g. 10. 12. 46], quibus si absint numeri non iam restet uestigium carminis, nec Varroni desunt humilia, quae cur uersibus contineri noluerit eo minus apparet, cum pro libidine uti ei liceret sermone soluto. qualia sunt trochaica haec

candidum lacte e papilla cum fluit, signum putant
partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor,

sine mauis sotadica talia, quibus uidetur uoces animalium interse distinxisse ille

mugit bos, ouis balat, equi hinniunt, gallina
pipat.
grundit tepido lacte satur mola mactatus
porcus.

quibus non magis sunt incerta a me restituta suis numeris fragmenta duo, quae seruantur a Nonio s. u. febris [46] et eumuchare [106]. e quibus alterum tetrametris constat hipponacteis

ideoque alterum appellamus a calendo caldorem,
alterum a feruore febrim.

in quibus praeterquam quod Rothii uerissimo obsecutus inuento scripsi ideoque, reposui caldorem pro eo quod antiquitus fertur calorem. sed id ne quis necessitate metrica uel de coniectura me nouasse arguat, statim addito Nonii cauebitur lemmate, quod cum sit tale 'febris proprietatem a feritate morbi uel mali ut a calendo calorem uel caldorem Varro Andabatis aperiendam putat', apparet haec uel caldorem aut perperam esse translata ad uerba Nonii, cum in libro archetypo dittographiam subsequentis illius calorem indicassent, aut, si recte proprium optinent locum, ideo addi a grammatico, quod caldoris potius quam caloris ueriloquium declaratum fuit insequente fragmento.

Neque hercule magis quam versus modo constituti a pedestri oratione discedunt illa

siqui patriam
maiorem parentem extinguit, in eo est culpa, quod facit
pro sua parte is qui se eunuchat aut alii qui liberos
perducit.

de quibus curatius exponetur lib. VII. — porro in dictionibus Varronis multa quidem insunt a ceteris eiusdem temporis auctoribus pedestribus satis aliena, sed quae non omnino sit certum an posita fuerint in versibus. namque illum etiam in soluta oratione plerumque secutum esse antiquos cum aliunde certumst tum ipsis saturarum libris. quin ne potuerunt quidem hac parte nimis differre poetica a pedestribus nisi suptilitate morosa et scholasticorum in modum pleraque vellet metris indulsisse videri ille. qualem licentiam quamquam sciunt homines poetis adesse tamen malunt tegi quam declarari, id quod non nisi aequatis prorsus interse dictionibus potest fieri in libris, qui prosa uersuque constant mixtis, cum praesertim haud pauca in Varronis saturis solis numeris a pedestri sermone distare docuerim. praeterea credibilest haud pauca ex eis, quae ut prisca contempserunt scriptores aequales Varronis, non perinde e vita atque e litteris euanuisse. qualia equidem Varronem adhibere in libris sermoni proximis non est quod mireris. deinde noua oritur difficultas eo, quod et hoc incertumst, quibusnam uersuum generibus usus fuerit Varro, nec magis apparet quonam idem modo diuersa metra interse coiugarit. quippe hoc solum fragmentis eius aperte indicatur magna eum usum fuisse numerorum uarietate. cetera quaerendo ratiocinandoque extricanda. accedit quartum, quod de rationibus metricis Varronis quaestiost longe impeditissima, primum quia ille cum sat multis rebus nouellorum et aequalium sibi poetarum sequatur placita, tamen alibi aperte prae se fert imitationem antiquiorum, quam quidem etiam in uersuum regulis ex parte eum tenuisse facile credamus. uerum de hac ne probe nobis constet, efficitur eo, quod ueterum dactylicorum carmina non magis quam ipsius Varronis ad nostra tempora peruenerunt. quod cum ita sit, apparet tamen flagitiosissimae neglegentiae subire crimen, qui ante de Varronis arte seu licentia metrica quidquam protulerint, quam Lucilii usum et uiam penitus sint perscrutati. itaque quali iam poena digni uidebuntur Kochius Roeperus Vahlenus Ribbeckius, quorum in uastis commentis nullum talis studii apparet uestigium?

Tantae igitur cum nobis obiectae sint difficultates, non erit

mirum esse in Varronis saturis quae non modo illis, qui nuper eis operam dederunt, etiam peritis desperanda sint indicibus. porro inueniuntur, quae, cum magis pateant natura ipsa, possint tamen facilius ad similitudinem ueri quam ad certam adduci probabilitatem. sed primum omnium aliquid profecturo in hac quaestione opus est et peritia rerum metricarum sat ampla et sensu pulchri auriumque indicio quam castigatissimis. quae bona utrum magis insint in nobis an in istis, quorum obuiam iimus placitis, facile uiderint prudentes existimatores.

Iam coortis ad emendandas ingenuas Varronis reliquias ut in quouis alio conatu incipietur ab illis, quae sunt plana et uacua a suspitione, hinc ut sensim procedatur ad difficiliora. omnium enim et stultissimum et perniciosissimum hoc est a corruptis et dubiis profectum aeque incerta ac suspitiosa uelle extricare, plane sicuti illud, quod iam optinet apud permultos, non uoluptatis causa aut utilitatis tractare scripta ueterum sed iactando ingenio.

Sed ut tandem ad rem perueniamus, extra controuersiam positum illud est ita misceri a Varrone solutam orationem cum adstricta numeris, numquam in unius sententiae spatio utraque ut inueniatur, sed ut graui utique interpunctione altera separetur ab altera. iam quonam modo pedestria cum poeticis iugarit Varro etsi non satis apparet, tamen haud absurde statuetur eodem, quo Petronio et Senecae cum ceteris, digesta illa fuisse ei, ita ut iniectis carminibus aut inceptos sensus intenderet seu finiret aut incoharet nouos, utque singulas dispositionum partes utroque instauraret orationis genere. praeterea illud non indignumst memoria, quod in diuerbiis oratio directa ut apud ceteros sic apud Varronem numeris saepe continetur poeticis, cum quae praecedunt habitu sint pedestri. talest apud Senecam 'et quo terribilior esset tragicus fit et ait

> exprome propere sede qua genitus cluas,
> hoc ne peremptus stipite ad terram accidas.'

porro apud Varronem 'iurgare coepit dicens

> quae scis, age quei in uulgum uulgas artemque expromis inertem?'

ceterum credibilest hoc eiusdem fuisse proprium, ut plura longe quam ceteri insereret libris poetica.

Iam cum Seneca et Boethius eam optineant rationem, semper ut singula uersuum genera aut systemata pedestri sermone interse disiungant, et cum Petronius ac Martianus audeant sola in-

terpunctione sed grani distinctam continuare metrorum uarietatem, utram in partem Varro concesserit non satis apparet. nam sicuti inueniuntur quae sensu cum sint similia metris uarient, alia itidem arte interse iuncta carmina aperte secernuntur interposito sermone pedestri [cf. e. g. Eum. 35—47. Prom. lib. 9—11]. de qua re eo minus licebit certum statui, cum haud sane constet, quaenam argumenta et quos conexus habuerint eius saturae, nec magis qualis fuerit digressionum licentia in isdem, nisi quod credibilest illum aliquantum a Senecae et ceterorum simplicitate discessisse. quare illud tantum constat delectari Varronem uarietate metrorum, quam probabilest eum breuitate potissimum carminum adiuuisse. ueluti in Eumenidum libro finitima inter se fuere trochaica et dactylica haec

in somnis uenit, iubet me cépam esse et sisýmbrium

et porro

hospes quid miras animo hoc curare Serapim?
quid? quasi non curet tanti idem Aristoteles.

in quibus sisymbrium scripsi de coniectura eximia uiri docti nescio cuius, quam profert Gerlachius. nam in codicibus est fessiminum. at Vahlenus et Ribbeckius posuere Iunium secuti 'uesci cuminum' ut puto et ipsi nocturno uisu Serapidis consternati. alioquin intellegi debuit illis inepte habere uesci, cum proximum antecedat edere. sisymbrium ut a facilitate commendatur — nam si altius introspicias, nihil nisi una mutata litterula pro i ponitur b — sic uel hac re probandum quod eo admisso sponte uides prodire ingenuum uersum trochaicum. placet enim ea ratio emendandi fragmenta Varronis, ut in corruptis locis, si cetera numeros arguant, eae potiores habeantur coniecturae quibus uersus constituendi iuuetur ratio, etiam ubi alia inuenta aeque erunt bona sensu, nedum ubi inepta. in priore uersu distichi habes a me additum hoc, quod ad aegrotantis malum qualecumque fuit pertineret. potuit autem eo facilius inter o et c litteras excidere, quod ut alibi ita in Nonii libris a pronominis demonstratiui formis abest saepe aspiratio. sed in pentametro cum uulgo legatur tantidem, Vahlenus iam noto nobis inuento hoc monstrum procreauit uersus [p. 60]

quid? quasi non curet tantidem Aristotelis uis,

scilicet quod sese puero legerat apud Homerum ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο, qualis dictio quam bene Varronis fragmento conueniat, iudicium erit penes peritos. siquis tamen offendatur hiatu, so-

lita permittit facilitate sine leuitatem dices [p. 180] ante Aristotelem inseri et. quod ego posui ut lenitate mutandi ita sensu commendari existimo. nam bene habet, indignans quod ait hospes ridiculum esse sanando uitio per superstitionum uanitatem Serapidis miraculosam emi opem, cum eodem uel minore pretio liceat parari non minus certe salutares philosophorum libros. — item in Serrano honorum uanitatem descripturus Varro et hexametros dactylicos et scazontes tetrametros adhibuit. — iam metrorum uarietate quis magis Varrone excelluerit apud dactylicos non inuenio, quippe etiamnunc XXIIII non minus appareant uersuum genera, quae non alienum duxi enumerari. itaque praeter hexametros et disticha et hendecasyllabos fuere anapaestici cum dimetri tum tetrametri deinde glyconei galliambi sotadei porro ex Italicorum uersuum genere iambici trimetri et tetrametri hi quidem siue pleni seu catalectici et trochaici septenarii et octonarii. accedunt bina scazontum uersuum genera. quae quidem cuncta metra excepto uno etiam Graecanica arte perpolita adhibuit. sunt tamen quae utri generi numerorum adscribas non satis possit discerni. denique haud obscura uersuum et bacchiacorum et creticorum et saturniorum apparent uestigia. in quis incertiora quaedam omisi, sed summam reputanti non minus XXXX uersuum speciebus usum fuisse Varronem probabilest. ceterum quos Italicorum iamborum siue trochaeorum libertate instaurauit ille uersus scazontes non dubiumst quin ipse nouauerit propriis rationibus motus, non ut Heliodorus grammaticus Graecus corruptis deceptus codicibus. praeterea quod saturnio numero eundem uti dixi, paullo curiosius persequar. itaque cum Hermannus et Meinekius uerissime statuerint inesse metrum illud fragmentis Varronis, hoc ne Roeperi et Vahleni abutantur inuento, ita ut quaecumque non potuerint in sotadicos uersus aut trimetros Plautinos redigere, ea dicant saturnio rhythmo teneri, hoc ipsum genus metri qualibus circumscripserit Varro finibus diligentius ostendam. igitur si quis sibi persuaderet tales uersus saturnios inseruisse libris suis Varronem, quales olim triumphaturi in Capitolio fixere qualesque Appius Caecus et uates Marcius mox Liuius Naeuiusque composuere, is ualde foret homo ridiculus. etenim numeros tales satis antiquo tempore non modo e poetico etiam ex uulgari usu recessisse et eo apparet, quod de tribus illis uetustissimorum auctorum poematis sepulcralibus quae refert Gellius solum Naeuii non Plauti aut Pacuuii istis uersibus est

compositum, et magis inde, quod in carminibus popularibus quae ad finem usque liberae reipublicae pertinentia conseruarunt Suetonius Velleius alii nullum illius metri apparet uestigium. uerum eodem tempore magno grammaticarum rerum studio iniecto hominibus cum et uetera Latinorum metra plerosque aduertissent, extiterunt utique qui uel saturniorum uersuum scrutarentur dispositionem. unde uix dubiumst quae de hoc metro inueniuntur apud posteriores auctores artis ea quin nitantur doctrina aequalium Ciceronis et Caesaris. neque enim mehercule illi metrici quorum iam extant libri elaborarunt in perscrutandis uersus istius rationibus aut euoluerunt ipsi carmina uetustissima, quod a summa studiorum mediocritate, quae inest in eis, omnino alienumst. quare quod dixit Atilius [2680] sese uix inuenisse apud Naeuium quos poneret pro exemplo uersus saturnios, id aut uanitate ingenii iactauit aut potius nimis fideliter Caesii Bassi usus commentis. nam hunc hominem semidoctum et plebeium quin primum putemus statuisse e Graeco repetendos esse uersus saturnios non moror — de qua re dixit Hauptius obseruationum criticarum libro [p. 43] —, cum Horatius uetustiorum utique secutus indicium eos proprios Latinorum satis aperte significarit epistula ad Augustum [157]. — itaque in uiam ut redeam, minime a uero abhorret Varronem sicut longe etiam posteriore tempore Terentianum tantae numerorum uarietati et saturnium adiecisse metrum, cuius potuit fieri ut ipse primus leges constitueret. et uero quotquot inueniuntur apud eum uersus saturnii respondent doctrinae ueterum quam iam traditam habemus de talibus. sunt autem uel ab aliis uel a me notati ferme hi [Eum. 6. 7. 8. 9. sexag. 3. 6. 4]

primum iste qui merét sestertiós uicenos.
quia plús inquit merére debet, ín quo est uirtus.
nunc córius ulmum túu' depauit? — pérgis? heia.
prinsquam résponderem,
foris nescioquis óccupat res índicare.
ubi túm comitia habēbant ibi nunc fit mercatus.
tunc núptiae uidébant ostreám Lucrinam.
auidus
iudéx reum ducébat esse *Κοίνὸν Ἑρμῆν.*

ultimo uero horum fragmentorum etiam illud probatur, ut in alienis uersibus ita in hoc resoluisse trochaeum ultimum Varronem. hactenus de saturis Menippeis.

Iam a Laeuio et Varrone ut tempore ita rationibus paullulum

fuere diuersi Catullus Caluusque et Cinna ac Bibaculus et qui studiorum eis extitere consortes. e quibus Catulli certe de placitis satis plene potest iudicari. itaque cum Laeuius et Varro adeo non fuisset contemptores artis ueteris, ut eam potius nouella elegantia perpoliendam quam penitus abiciendam existimarent, Catullus cum suis ut dictionum ita metricae antiquae apertissimum declarauit taedium. ad quos utique pertinet quod dicit Tullius iam contemni a cantoribus Euphorionis Ennium, quem satis constat ut ipsi ita minime ingratum fuisse Varroni. — itaque Catullus et ceteri metrorum non uarietatis magis quam elegantiae summae ubique fuere studiosi, Graecam quidem ut plurimum affectantes proprietatem. quorum rationes nescio an nulla re apertius significentur quam coalitis tum primum hendecasyllabis uersibus et hipponacteis, quorum ne nimis increbresceret usus grauitatis uetustiorum interfuerat. congruum autem horum euenit curis, quod seueritatis eius, qua mox Horatium et Vergilium cum ceteris uidemus excellere, prima apparent apud Catullum uestigia, quodque adsunt quae hic uel maiore quam illi gesserit cautione.

Iam ad Augusti tempus priusquam transeamus, paucis age illud consideremus, quid commodi quidue exempli redundarit ex illorum de quibus modo dixi studiis metricis ad tempora posteriora. et primum hoc notandum multiformem illam numerositatem ab insequentium duorum saeculorum poetis plane fuisse alienam, qui non magis fuere ambitiosi in longinquis aut abstrusis uersibus adhibendis praeter galliambos ac sotadeos. uerum duo saltim metra euenere tam popularia studiis istis, ad finem usque Latinarum literarum aequabili ut durauerint usu. sunt autem uersus phalaecii et trimetri scazontes. hi enim mirifice iam placuere cuiusuis temporis poetis Latinis, quod inde factum uidetur, quod Calui et magis Catulli qui plurimum delectati sunt eis semper mansit honora memoria. an potius hinc euenisse arguemus idem, quod metra illa cum carerent elatiore spiritu et leuiculis conuenirent carminibus fuerunt apta studiorum mediocritati illi, qua plurimum homines Latini animi causa utque uacuum otium oblectarent carmina composuere?

At de Augusti aequalibus ut recte iudicemus, quorum longe studiosissime per omne deinceps tempus obseruatae uiguere rationes metricae, primum illud diligenter tractandum, qua cura qua ele-

gantia sint usi in perpoliendis metris iam usitatis, porro quo iudicio quane audacia in adsciscendis constituendisque nouis.

Et primum quidem hexametri pentametrique ea euenit hoc tempore perfectio, haud quisquam posteriorum poetarum migrare illorum placita ut sit ausus, sed mansere Vergilius et Horatius ac Tibullus cum Ovidio diuersorum carminis generum et in uersibus pangendis duces, neque summa placitorum ipsorum labefactarunt posteriores, cum singula pro diuersitate ingenii uario modo haberent. et Vergilii quidem in rebus metricis, nouitatem et grauitatem si spectes inuentorum, perexigua sunt merita. nam adhibendo potius paratam artem quam addendo nouam etiam hic ut in aliis rebus diligentiae ac doctrinae at non perinde ingenii floret laude. sane illud ne iniquissimi quidem eius obtrectatores abnuent qualibet eum seu lege seu licentia uersus cum summa esse usum peritia et diligentia. sed uideris, an summus sit poetarum, qui summo sit iudicio praeditus et quam sit alti ingenii in minutis rebus collocata sollertiae tenuitas. uerum ab hoc ut aliis rebus plurimis ita metricis rationibus diuersissimus fuit Ouidius. nam et licentiarum pleraque recidit et caesurarum atque elisionum primus eas leges constituit, quas ut necessarias uniuerso artis Latinae progressu ne ei quidem insequentium contempserunt, quibus magis placeret Vergilius. idem distichorum artem, quam incohasset post Catullum Propertius, promouisset Tibullus, perfecit talem, non ut iucundius cogitari possit singulis. nam uniuersis isdem ipsa quodammodo officit praestantia, minus tamen illius culpa quam nostra, cum plerique sic natura simus constituti, ut quasi amphibia constantiam receptaculorum ita ipsi nec bonarum rerum nec malarum continuatam feramus aequalitatem. at in saturis cum Ennius ac Lucilius uariis usi essent metris, Horatius solum eis tribuit hexametrum, quod nemo posteriorum iam migrauit placitum. cumque illi plerosque uersus scabros fecissent et inelegantes, ipse multa in sermonibus et magis in epistulis ad seueriorem reuocauit normam, quae etiam probauit insequentibus.

Sed iam age consideremus, quid nouiciae tum artis prouenerit. ac primum dicendum de melicis, quorum quidem quod iam solum testem habemus Horatium, minus id iniquo casu factum, quoniam ipse de studiis suis satis aperte et plene exposuit. cuius quae huc pertinent uerba quamquam nota adscribenda duxi. sunt autem haec

Parios ego primus iambos
ostendi Latio numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia uerba Lycamben.
ac ne me foliis ideo breuioribus ornes,
quod timui mutare modos et carminis artem:
temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
temperat Alcaeus sed rebus et ordine dispar. —
hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
uulgaui fidicen.

in quis quod paenultimo uersu legitur hunc ad Alcaeum non ad Archilochum pertinere uerissime statuit Bentleius. — itaque Horatius dum auctorum modo indicatorum potissimis sese applicat placitis, ex iambis reiecit longiores trimetros. unde iam illi ab insequentium poetarum libris item exulant. praeterea talis est differentia inter hunc et proxime praecedentes, quod cum illi ab systematis uersuum plerumque abstinuissent, ipse omnia carmina praeter unum stropharum certa aequalitate distinxit bina in epodis at alibi quaterna continuando cola. quarum legum alterius auctorem cum habuerit Archilochum alterius fuisse exemplum Alcaeum satis speciose statuit Lachmannus [zeitschr. f. alterthumsw. 1845. n. 61. 62]. sane nullo modo potest probari aut Catullum praeter Sapphonem aut Horatium praeter Alcaeum alios imitari poetas Aeolis. porro cum seueritatem artis in hexametro pentametroque iam stabilitam etiam ad melica transferre conati essent Laeuius Varroque et Catullus, Horatius et progressum artis legitimum et propriam Romanorum ingenii sermonisque indolem obseruando intendit in plerisque rebus decorem lyrici carminis. nam et ancipitem quorundam uersuum basin firmauit unice admisso spondeo et in mediis quibusdam metris pro communi longam posuit syllabam et quae caesura prius carerent certa distinxit incisione, cum praeisset sane haud pauca Catullus. iam non ultra Iones et Aeoles processisse Horatium satis constat, quamquam processere alii. e quibus Pindarici carminis sectatores praedicantur Titius [Hor. epist. I, 3, 9—13] et Rufus [Ouid. pontic. IV, 16, 28], quibus quomodo euenerit res non iam licet discerni, nisi quod alterum eorum urbana quadam irrisione uidetur tetigisse qui solus mentionem eius facit Horatius. sunt enim eius uersus tales

quid Titius Romana breui uenturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus
fastidire lacus et riuos ausus apertos.

sed dignius longe memoria quod eiusdem temporis tragici iam missis Aboriginum Plautique et Terentii placitis eadem qua Seneca proprios iambos et trochaeos arte composuerunt, quos secuti sunt posteriores omnes. de qua re quod uerissime statuit Bentleius [ad Hor. art. poet. 260], confirmatur illud et fragmentis poetarum et Horatii uersibus, quibus dicit Ennium propter trimetros abundantes spondeis pari loco positis aut neglegentiae aut ignorantiae turpi premi crimine. quis enim credet tam inclementer de hac re iudicaturum fuisse Flaccum, si amici eius Asinius et Varius tersissimi poetae idem cum Ennio Accioque sumpsissent sibi licentiae? quamquam uereor, ne nostrorum temporum criticis plerisque Bentleio longe potioribus aegre persuadeam ueritatem istius praecepti. certe apud scholiastam Statii cum extent haec 'Pomponius in armorum iudicio tum prae se portant ascendibilem semitam', ea uel nuperrime Ribbeckius L. Pomponio Secundo, qui fuit aequalis Senecae, nulla dubitatione adtribuit, docte tamen addens illud fortasse γραφικῶς admissos esse spondeos. sane amat spondeos Ribbeckius ponere ubi metrum eis corrumpitur, ueluti talem idem proposuit Laeuii quasi galliambum 'tu qui pĕrmensŭs ponti maria alta uĕliuola', quem iste si cautius quam citius retractarit, apte recordabitur illud Catulli uerius galliambicum 'iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet'. ceterum notam etiam ut perstringam eius, quam in tempore subueniunt uerba graeca, ubi sensu proferantur cassa. nam si talibus indulgebimus facetiis, rationem ueterum metricam funditus euerti quis negabit? sed pudendumst neminem intellexisse non esse Pomponii hunc uersum, esse Pacuuii. quae res etiam inde confirmatur, quod adiectiuorum in ibilis exeuntium eis quae plus habent quattuor syllabis post Vergilium Horatiumque nullus usus est poetarum nisi ultimo tempore christiani, quorum sunt conuertibilis [Prudent. apoth. 276] impossibilis [ib. 833] inmarcescibilis [Paul. Nolan. XV, 360] inuisibilis [ib. 36, 207] incomprensibilis [ib.] alia. at hercule antiquissimi Latinorum haec ut similia cum magna adhibuere uoluptate. unde quis ignorat Pacuuium ipsum a Persio fuisse carptum his uersibus 'sunt quos Pacuuiusque et uerrucosa moretur Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta'? sed quid Ribbeckio facias, quem certum sit in paucissimis Pomponii fragmentis quattuor grauissimos admisisse errores?

Porro sicut in iambicis et in choricis satis similes Senecae

extitisse Augusto aequales suspicabimur tragicos, quos quidem credibilest uariis pro libidine Laeuii et Catulli mox Horatii usos esse metris, ut tamen anapaestos certe monometros ipsos nouasse existimem. denique comicorum ab illa inde aetate quae iam fuerit norma quamquam in tanta reliquiarum paucitate non licet definiri, tamen haud absurde nouam tribuemus artem his et ipsis, quorum non prodierint in publicum libri. e ceteris mimos saltem quin semper spondeos eis sedibus quibus non decebat et tunc et omni tempore inmiscuisse credamus, non intercedo. quid quod Claudio imperitante horum potissimum libertate fisus Phaedrus plebeiae sortis homo trimetris suis admisso locis paribus spondeo alienam ab aequalium placitis normam uidetur constituisse? nec uero fuit absurdum fabularum genus proximum comoediae isdem atque illam eleuari ipsum licentiis.

Iam sequentium temporum studia metrica probe aestimaturis primum omnium acriter tenendum illud nullo pacto uideri probabile a Tiberii inde aetate quemquam poetarum Latinorum conformatum ad imitationem Graecorum petitis, ut ita dicam, ab ipso fonte aquis denuo quasi irrigasse artem Latinam, nisi forte Verginius ille, qui Plinio teste [ep. VI, 21] non solum Menandrum et aequales huius, etiam priscam Graecorum comoediam facetissima expressit aemulatione, uel metrorum nouitate Aristophanis multiformem quam dicit Terentianus imitatus est sollertiam. sed neque nos scholasticorum ad ineptissima quaeque materiae defectu prolabentium habemus rationem, nec Senecae uel Ausonii libris aut siqui alii metrorum uarietate excellunt ullum apparet Graecorum imitationis uestigium. nam quod apud hos subinde extant uersuum genera, quae non prius apud Latinos inueniantur, minime hac re infringitur obseruatum istud. etenim ut omittam Laeuios et Varrones haud dubie usos fuisse plurimis metris, quorum nunc quidem tertio demum quartoue post Christum natum saeculo composita reperiuntur monumenta, apparet enchiridiis grammaticis quae iam extant multas numerorum species fuisse edoctos in scholis pueros, quae aut nullo aut perexiguo apud poetas ueteres fuissent usu. et qui per tantum spatium temporis primum Graecorum hominum mox suorum accommodarunt se praeceptis, eos abhorrebit a probabilitate aliquando ipsos noua protulisse? neque uero Vergilius Horatiusque metricorum solum placitorum similitudine Theocriti et Alcaei noscuntur imitatores. abstinuere autem aemulatione

Graecorum principis p. Chr. n. saeculi poetae modestia elegantiaque ingenii, insequentes antiquissimorum auctorum Latinorum studio, cui adeo effuse optemperarunt, ne popularium quidem libris post Augusti mortem qui prouenissent ut iam uacarent. idem ultimorum imperii Romani temporum scriptores amor, praeterea ingruens undique barbaries a pernoscendis Graecis prohibuit. itaque cum in eo subsisterent a Tiberii inde tempore auctores, ut paratis priorum uterentur copiis, dignum tamen memoria istud, quod miro consensu Aeolica uersuum systemata repudiarunt. quin adeo fuere ueteris artis seu non gnari siue incuriosi, ut ne tum quidem Horatii placerent ipsis systemata, cum uersus eorum eodem quo ille iugatos adhiberent ordine [cf. Prudent. perist. 12. epilogus]. sane uerae Horatii metrorum rationes ut primo contemptu ita mox inscitia uidentur esse obrutae. nam ne in Caesio quidem Basso qui distat ab eo annis non amplius LXX recta earum inest peritia. neque tamen inde repetemus illud, quod dicit Fridericus Schlegelius [ges. w. I, 237] metrorum quae a Graecis sumpsissent Romani praeter hexametros et disticha uix aliud euenisse populare et acceptum in uulgus. nam illi de quibus his libris exponitur auctores cum scriberent omnes non indoctis et ultimae sortis hominibus uerum liberaliter eruditis et apud quos quo quis esset magis imitator Graecorum eo esset celebratior, apparet nihil ad hos pertinuisse, quid faeci Romuli et plebeiis auribus probaretur. neque uersibus Horatii abstinuere poetarum plerique, abstinuere systematis, quae quidem quaternorum essent uersuum. ea uero quod plerique quo uidimus contemptu omiserunt, dubito plerumque, an inde dicam euenisse, quod fuere studiosi artis tenellae mollis delicatae, quae longiores uersuum nexus ut grauitate nimios aspernaretur. praeterea cum systemata numerorum constent arcana quadam metrorum ratione, quam nos quidem alienissimos ab ingenio iudicioque musico perspicere licet facilius quam percipere, credibilest uergentium ad occasum temporum homines ut aliarum legum carminis ita illius quae nonnulla uersuum genera latentis artis contineret uinculo perdidisse sensum, qui nescio an ea re contineri systemata crediderint, ut certus uersuum ex arbitrio selectorum numerus etiam sensus clausula ille distinctus identidem repeteretur. tales enim christianorum plerique nouas confecerunt strophas. — praeterea ut systematis iunctorum ita synaphia cohaerentium uersuum plane euanuit memoria.

Superest ut exponam, in eligendis priorum exemplis quomodo interse diuersi fuerint diuersorum temporum homines. mox quid idem praestiterint in ornandis perficiendisque metris propriis declarabo. itaque poetae, a Tiberii inde principatu ad Hadrianum et Antoninos usque qui uiguerunt, elegantissimi iudicii homines, parci ac modesti fuere adsumendis uersibus. ueluti Petronius praeter hexametros et disticha usus inuenitur trimetris iambo seu spondeo finitis porro dimetris catalecticis et numeris anacreonteis ac sotadicis phalaeciisque. eadem modestia etiam fuit Martialis, qui in tanta epigrammatum multitudine septem non amplius genera uersuum adhibuit. at ex eis qui grauiora tractauere argumenta Statius in siluis semel systemate sapphico semelque alcaico usus, alibi hexametris et hendecasyllabis. tum Senecae in tot milibus uersuum metrorum genera praeter chorica quaedam inueniuntur paullo plus decem. quantillum hoc est, si cum Laeuii Varronisque compararis ubertate.

Verum sana haec mediocritas ualdest immutata eo tempore quo ad ignauiam paullatim dilabentibus ingeniis magna uetustissimorum auctorum ortast admiratio, cuius primus disciplinae auctor uidetur fuisse homo scholasticus ac prouincialis Probus, qui uixit aequalis Neroni. mox eiusdem uindex ac patronus extitit Hadrianus insolentia ingenii ac prauitate. nempe hanc studiorum inuersionem ad pedestrem solum orationem noue conformandam pertinuisse nec per se probabilest et refellitur eis quae mox exponentur. ea autem res ideo minus aduertit doctos quod poetarum Frontoni aequalium tantum non omnis intercidit memoria. quo magis est notandum illud qui soli memorantur uates eius aetatis Annianum et Iulium Paullum disertis uerbis praedicari à Gellio litterarum ueterum hoc est Augusto priorum admodum fuisse peritos [VI, 7, 1. XVIIII, 7, 1. cf. XX, 8, 4]. itaque uarietati numerorum quam maxime studuere et quidem, quod dignissimum memoria, Laeuium Varronemque potius quam Horatium et Catullum secuti. fuere autem poetae isti in metris multiformes tenelli arguti. unde et minima quaeque et maxima uersuum genera mirificum in modum eis placuerunt. porro idem abstrusis laetati numeris, siue quos dixi duces etiam hoc praeierant, siue ipsi primi probauere. cui non dissimile studiost, quod iambi ac trochaei Italici, qui olim ignorantia mox contemptu essent obruti, iam docta imitatione et uanitate gloriae sunt repetiti, quali ne fingi quidem potest conatu

absurdius. ac primum quidem Appuleium satis constat in libro ludicrorum iambis ac trochaeis fuisse usum Italicis. e quo alterum fragmentum ipse seruauit in apologia [226 anthol. Mey.], alterum a Nonio [68] exhibetur s. u. abstemius trochaico constans septenario 'nise fuisti quondam Athenis parcus atque abstemius'. in quibus nise posui pro eo, quod in libris fertur in se uel in sise, contentus tamen uersum significasse. — et in ioculari libello Frontonem puto usum fuisse senario tali

et illae uestrae Athénae Dorocórthoro.

quae male orationibus assignantur, cum et numeri sint certi et alienae sint a grauitate actionum facetiae istae, quibus irridetur aperte homo prouincialis, cui Abdera sua uiderentur Athenae Atticae. ceterum diuersissimumst illud quod ultimis temporibus non Prudentius quidem uel Auienus seu Boethius sed Ausonius Paulinus alii aliquando ubi non decebat admisere spondeum, id quod sola neglegentia euenisse constat. nam ne in ludo quidem sapientum qui per diuerbiast dispositus consulto credo quasi scaenicae artis similitudine ab Ausonio uitiari iambos sed potius elegantiae defectu, qualem passim euenisse constat ultimis imperii temporibus.

Principes autem rationum harum fuisse uidentur Florus qui fuit amicus Hadriani et Annianus cuius supra inieci memoriam. hunc qui et argumenti similitudine et uersuum numerositate sectaretur extitit Septimius Serenus. de cuius aetate cum non constet diserto testimonio — nam qui eius in carmine ad Magnum Felicem scripto [263] cum aliis plerisque fecit mentionem Sidonius, temporum rationem omnino non habuit —, plane tamen accedendum existimaui ratiocinationibus Lachmanni, qui eum priori saeculi p. Chr. n. tertii adscribit parti [praef. in Terent. Maur. p. 12—15]. cuius opuscula ruralia libris pluscnlis composita quod interierunt, satis id acerbo casu factum. nam et numerorum elegantia et sensuum proprietate excelluit. quare abstrusa quaedam et contorta imitationi ueterum et imbecillitati saeculi facile condonabuntur. quae cum ita sint, placet etiam huius potissima fragmenta hoc loco apponi. ea autem fuere talia

inquit amicus ager domino
'si bene mi facias memini.
pinea bracchia tum trepidant,
audio canticulum zephyri'.
rure puella uagat uirido.

pingere collibitumst. graphidem date. promite bolarum.
callent senium arte bibendi.
culicellus amasio Tulle.
labiumque insigne reuellit.
cedo testula trita solo. cor iet tibi per speculum Panope.
quod si tibi uirgo furens reseret cita claustra puerperii.
qui nauigium nauicula aufers Picenae marginis acta.
animula miserula properiter abiit.
perit abit auipedis animula leporis.
aut zonulam aut ricam aut acum.
non dignus in quem debeam
saturam calentem adcingier.
occatio occaecatiost.
pusioni meo
septuennis cadens.
ad mercatum eo, uilice.
quid uis inde uehi aut agi?
et nihil est quod amem Flaminia minus.
quando flagella iugas, ita iuga,
uitis et ulmus uti simul eant.
nam nisi sint paribus fruticibus,
umbra necat teneras Amineas.
Iané pater Iane tuens diue biceps biformis,
o cate rerum sator, o principium deorum,
stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.
tibi uetus ara caluit Aborigineo sacello.

in hisce, ut minora quaedam omittam, uersus septimi illa uirgo furens uocandi casu constant. deinde fragmenti eius quod incipit 'qui nauigium' plane non comparet sensus, nisi quod acta littus significari manifestumst. praeterea illa 'non dignus in quem debeam' uerissime Sereno attributa cum Lachmannus septenariis iambicis constituisset, sic ut poneret calente uiro ingerere pro eo quod antiquitus traditumst calente ui adingerere, ego non ausus illi obsequi dimetros iambicos digerendos esse indicaui. — intellegitur iam opinor quam multiformis et tersus fuerit in metris Serenus. cuius quidem in uersibus nihil reperitur, quod Laenii imitationem non arguat. quanta uero fuerit auctoritate insequentibus temporibus, inde declaratur, quod saepe huius et Anniani metris usi noscuntur posteriores, et quod ex tam paucis eius fragmentis duo imitando expresserunt Ausonius et Boethius exemplis hisce 'et amita Veneria properiter obiit', 'qui serere ingenuum uolet agrum, liberet arua prius fruticibus'.

Congruus autem uarietati ei metrorum, quae Frontonianorum

ab aetate usque ad ultima tempora optinuit, reperitur liber Terentiani quem quod Lachmannus Diocletiani dixit aequalem, id omnes probabilitatis habet numeros. cui proximi ratione et tempore fuere Auitus ac Marinus, qui dimetris iambicis res populi Romani enarrauere. in quibus omnibus agnosces rationes metricas conuenientes temporibus illis, quibus obsoleta ac trita arte uulgari iam insolita quaeque captarentur, siue ut obruerentur lectorum animi metrorum uariantium mole seu ut deciperentur eis quae non deceret uersuum generibus adhibitis. — iam Sereno similes paresque multitudine metrorum fuere Ausonius Prudentiusque et Martianus ac Boethius. ex ceteris ut quisque plura minuta carmina composuit, eo propius ad horum numerositatem accedit, puta Sidonius Eugenius. — neque habeo quae addam nisi pauca de hymnis et psalmis Christianis. ei secundum morem orientalium ut canerentur ab Ambrosio primum esse institutum auctor est Augustinus [confession. lib. VIIII, 7]. quod ita recte interpretabimur, ut dicamus illum hominum liberaliter eruditorum in usum magis magisque peruulgato cultu christiano pro carminibus rythmicis quae uulgo tum optinerent sanxisse talia quae quantitatum legitimis obseruantiis essent composita. quod quo facilius posset custodiri praeceptum, ipse hymnos quosdam composuit, qui in tanta huius uiri auctoritate celeriter optinuerunt. sed horum quid ad nos peruenerit, in magna talium carminum multitudine tantaque artis dictionumque et argumentorum similitudine admodumst incertum. itaque Benedictini cum duodecim ut proprios eius reliquis operibus iunxissent hymnos, sextum tamen non immerito suspectauere ipsi. nec magis sunt certi quattuor ultimi. sed fuit utique efficacissima claritas huius uiri ad promouenda ista studia. nam et Prudentius eum secutus et Venantius et alii, qui hymnos et psalmos usitatissimo quoque per illa tempora numero hoc est iambicis dimetris trimetrisque plerumque non catalecticis et trochaicis tetrametris composuerunt, quos ipsos quidam dimetris dispescuerunt [Beda 2379. 80].

Sed haec hactenus. superest ut addam illud eos, qui per medium aeuum uersus Latinos panxere non rythmicos, multo minus Vergilii Horatiique quam Prudentii Boethiique et Fortunati sese ad exempla accommodasse.

Iam quales in stabilienda augendaque arte uersuum per eadem tempora optinuerint rationes exponendum. ac primum quidem in uniuersum monendum quae modo de metrorum eligendorum uarietate obseruauimus eadem plane pertinere ad artem uer-

suum. scilicet etiam hic maiorem curam in retinendis et exornandis eis quae erant parta quam noua ut pararent collocauere, neque quisquam fuit ausus leges carminis a Vergilio Ouidioque et Horatio constitutas propriis innertere placitis. unde sequitur hoc fere solum meritum eorum potuisse euenire ut, siqua ferrentur prioribus minus curata — quamquam quid profectius disticho Ouidiano? — ea iam ipsa horum ipsorum rationibus emollirentur, et quae in hexametro pentametroque ars plerumque optineret, iam ad cetera transferretur metra. quae cum ita sint, longe dignissimumst cognitione illud, quibus auctores illi priorum usi sint exemplis. sed de hac re cum copiosius libro insequenti simus expadituri, hoc tantum monebimus Ouidii plurimum uiguisse placita, cui proximi accessere auctoritate sed longo internallo proximi Vergilius Horatius. ceterum ut primi p. n. Chr. saeculi auctores ne in hac quidem parte propriam elegantiam non probarunt, ita insequentium temporum auctores magis magisque scholastica optimorum ducum imitatione degenerarunt, cum postremae imperii aetatis hominibus suptiliores leges sermonis Latini pridem intermortu uix magis paterent quam nobis.

Superest ut quaeramus, quod iudicium quam elegantiam declararint poetae Latini eligendis adhibendisque metris singulis. in qua re quamquam Romani et Graecorum ut plurimum carpsere uestigium nec sua se praestitere elegantia destitutos, apparet tamen eos non satis prosperis condicionibus fuisse usos. primum enim quamquam ut sanguinis cognatione ita uersuum ratione longe proximi fuere Graecis Latini, tamen cum sero Musa, ut Licini uerbis utar, pinnatum gradum intulerit Romuli ferae genti, neque iustum et natiuum poeticae ortum progressumque fieri uerum fuit et scholica ratione percipientes artem externigenam iam ab initio inde libidini et arbitrio plurimum indulgere oportuit. adde quod et Laeuii aetate et post Sereni aperte poetae doctum uariandi metra aut abstrusa quaeque seligendi secuti sunt studium, quo et ipso plurimum migratur necessitas. accedit quod mutatione ut mihi quidem uidetur longe importunissima synaphia coeuntium systematum usus ac peritia statim post Horatium euanuit. hinc enim lyricorum metrorum uigorem et robur infringi par erat et quod peius multo fuit eam uenire poetis opinionem ad systema conficiendum nulla re opus esse praeter coiugatos paris aut similis ambitus numeros. sed longe turpissimum illud, quod Horatii melicorum

cum systemata aspernarentur uersuum pleraque genera usque continuata adhibuerunt Seneca et insequentes. quid enim foedius usque repetitis sine internallo numeris glyconeis uel sapphicis? aucta uero facilitas peccandi primum cum aetate Augustum praecedente non satis constaret poetis quae inepta essent carmini hec tractata possent nitescere, deinde inopia argumenti, quae non hercule historicos magis [Tac. ann. IV, 32. XIII, 31] quam poetas oppressit Caesarum imperio optinente, cum in quantum rerum tennitas iucunditati carminis officeret, tanto magis animos metricis facetiis allici conduceret. unde non fuit mirum abstrusa et absurda aliquando uersuum genera delecta esse poetis, uacua ut oblectarent ingenia. accedit quod cum ars hexametri pentametrique Augusti tempore, ceterorum uersuum primo post Christum saeculo ad perfectionem esset adducta, nulla iam patente noua uia ceteros eo descendere uerum erat, ut pleraque artificiorum a priorum grauitate aliena iam temptarent nouandi studio, quibus indulgentes facile potuit fieri ut simplicissimam quamque iudicandi rationem prae difficilibus et alienis spernerent ludibriis. praeterea obseruasse mihi uideor in omni poesi temporibus illis, quibus studia metrica ad lusus et amoenitates diffluant, parum iam attendi singula uersuum genera cuinam potissimum animi affectui exprimendo sint apta, siue illud ignorantia fit poetarum, — neque enim prius fere eis quos dixi indulgetur lusibus, nisi uera et natiua arte iam obsoleta —, seu consulto ab usitata uia deflectunt auctores, hebetem nimis suetis dapibus gustum et sensum assiduitate luxus eneruatum iam inusitatis illecebris et lautioribus foturi deliciis. nisiquis dicet difficultate ipsorum artificiorum, quibus iam studeant isti, effici, cetera ut non possint perinde attendere. ac primum quidem reuerentia magistrorum cum nobilissimos uersus hexametrum pentametrumque dactylicum ac senarium iambicum pari ferme atque Graeci adhibuerint usu Romani — nam ne saturarum quidem ad numeros constituendos illorum prorsus caruere exemplis —, apparet minus ad horum litteras pertinere, quam apte diuersa poeticae genera illis metris fuerint instaurata. nec multum profecerint ad aestimandum, quonam fuerint iudicio in ceteris metris eligendis idem, qui illud monuerint, cum adstrictiore omnino arte sint usi Latini quam Graeci, facile potuisse fieri, non ut apud hos qui apud illos idem perinde numeri paribus rebus describendis possent inseruire. nam cum aucta normae Romanae seueritas pariter ad omnia

pertineret metra, potuit equidem fieri, ut quorundam rythmorum intenderetur grauitas, lepos imminueretur, sed cum minime essent efficaces Romani ad nouos uersus inueniendos, similibus plerumque Graecorum metris et in leuibus argumentis uti eos oportuit, sane illis haud raro auctorum potius proprietati quam iucunditati rerum describendarum idoneis. — praeterea ut omittam quaedam quae praeierant externigeni duces subabsurda, qualia sunt sotadicum metrum et miurum, uitia haud pauca Latinorum inueniuntur propria. quae tamen ne nimis studiose persequar, uerecundia cohibeor, cum praesertim interdum ad argutias aut arbitria saltem res relapsura esse uideatur. itaque et pubescentis artis auctores omittam nec istud quaeram, quam conueniat mollitiae Ionicorum uersuum [cf. Odofr. Müller hist. litt. Graec. I. 310 ed. pr.], quod Horatius in Neobulae carmine longam Bellerophontae fortitudinis descriptionem addidit, aut in singulis metris adhibendis quantum idem ab Aeolensium recesserit norma, quae quidem plerumque casu ac uariandi libidine digessisse eundem satis constat. sed missis his ad saeculi tertii quartique auctores transeo. quibus sicut plurimum in lyricis offecit studium et maxima quaeque et minutissima captandi metra, ita non mirificumst quasi prorsus iam euanida antiquitate non satisfecisse uersum heroicum ad res gestas conscribendas, cum praesertim eiusdem prauitatis exempla apud Graecorum aequales occurrant. itaque ut certis ordiamur exemplis Auienus teste Seruio Vergilium et totum Liuium iambis scripsit, sicuti Prudentius fata Romani martyris, qui liber non rationum modo parilitate, etiam spatii circuitu sustinet paene epici carminis proprietatem. quamquam hic sua defenditur nenia, magis incusandus Auienus et deficientis manifestus artis. simillimus autem prauitate fuit Alfius Auitus, quem quamquam non satis certo dixit Lachmannus [praef. Ter. p. 12] a Terentiano poetam sui temporis autumari, tamen referendum esse ad decimum u. c. saeculum apparet. nam nequis tam ineptos conatus aliquo antiquiorum dignos habeat non ueremur. cumque iam Frontonis aequalibus mirifice placuerint dimetri iambici, id quod recte notat Bernhardyus in historia litterarum Latinarum [p. 510] — unde Hadrianus imperator ne mortis quidem ingruentis metu ab eis est deterritus —, adaucto captandi insolita studio hos uersus iam tempore Sereni plerumque optinuisse ubi non decebat non est quod mirere. neque enim soli Auito placuisse inepta constat Terentiani testimonio, qui sic tradit de hoc metro 'ple-

rumque nec carmen modo sed et uolumen explicat, ut pridem Auitus Alfuis libros poeta plusculos usus dimetro perpeti conscribit excellentium'. persecutum autem esse hunc Liuii renarrando libros res Romanas ab origine inde urbis incertum quidem per aetatis spatium ne in tanta quidem reliquiarum paucitate inepte coniectabitur. nam in primo libro ad captum Sabinarum spectantia fuere haec 'marite si sanguis Curis, Sabina si caedes placet, in me oro conuertas manum'. dein secundo Faliscorum litteratoris perfidia fuit relata. huic autem non argumenti magis ac metrorum quam temporum similitudine iunctum fuisse suspicor Marianum Lupercalium poetam, cuius quod unicum extat fragmentum a Vergilii interpretibus seruatum [Seru. et Philarg. ad eclog. 1, 20] cum dimetris iambicis contineri diuino Scaliger ingenio persensisset [ad Manil. IV, 775], nos suo restitutum nitori hoc loco adscribi uoluimus

sed diua flaua et candida
Roma Aesculapi filia
nomen nouum Latio facit,
quod conditricis nomine
Romen ab ipso omnes uocant.

in quibus tamen quod ultimo loco posui, non tuebor pertinacius, nisi quod non ueremur ne quis saluum dicat illud quod legitur apud Philargyrium 'ab ipso omnes Romam uocant'. dignum autem memoria, quod saeculi tertii poetae amauere et res gestas populi Romani ueteres nec minus antiquitates enarrare, quod et hoc fragmento confirmatur et Sereni de Iano uersibus. nam et Albinum, qui de rebus Romanis conscripsit carmen, huic fere tempori esse adscribendum infra demonstrabitur. iam ad propositum ut redeam, cum sit probabile saeculi tertii scriptores ut doctrina ita elegantia iudicii praestitisse insequentium plerisque, quod minus in dies iam attenderunt poetae insequentes, uel si constaret etiamtum, quibus animi affectibus exprimendis inseruirent numeri singuli, non erit mirum. ueluti ut hoc exemplo utar, quantillum grauitatis in metris habent Ausonii parentalia quaedam [27. 28], at quam nimium de professoribus Burdigalensibus carmina systematis constantia sapphicis [7. 8]. porro quotusquisque spondebit non posse Prudentii carminum lyricorum cuncta interse immutari metra, non ut detrimentum capiant tamen arcanae rationes musicae, quarum aut nulla aut nulli simillima cura fuit ei habita?

itaque non fallemur dicendo saeculi quarti quintique auctores excepto uno fortasse Claudiano nullo ferme delectu diuersissima pro arbitrio adhibuisse metra solam equidem narietatem nitoremque uersuum spectantes. apparet etiam hic scholicam plurimum ualuisse doctrinam. proxima uerost intermortuae arti ars ea, cuius ignores rationes ac facultates.

Superest ut conspectum metrorum dactylicorum addamus, primum simplicia uersuum genera mox systemata cum Senecae quibusdam canticis liberius habitis enarraturi. et cum ita ferme res instituatur libris metricis, ut a trochaeis inde et iambis ad ceteros procedatur rythmos, nos tamen ab dactylicis et anapaesticis descriptionem ordiemur numeris, primum quod apud Romanos heroico demum metro translato euenit ea studiorum ratio, quae his libris perlustratur, deinde quia persuasumst nobis apud ipsos Graecos pares rythmos prius quam impares concinnatos esse carmine. et cum ceteri sensim singulorum adauctum metrorum ab origine inde sint persecuti, nos quidem ferme a nobilissimo quoque metro exorsi reliquas eiusdem aut similis numeri perlustrabimus species. dignum enim existimamus altitudine indolis Graecorum perfectissimos quosque uersus — et certe hexametrum dactylicum et iambicum trimetrum qui inuenere, me quidem si audies, summis cuiuslibet aetatis exaequandi sunt ingeniis — abundante diuersissimorum pedum ac rythmorum copia inuentos esse primos, ut ex ipsis originem traxerint plerique ceterorum uario successu temporum artiumque. quare qui scindendo secandoque hexametri membra principalia inuenisse sibi sunt uisi, mihi quidem, ne quid dissimulem, non uidentur prudentiores illis, qui brachia aut pedes aut aliquam partem corporis humani reliquarum parentem esse dixerint. placet rem alieno illustrari exemplo. ueluti apud Iudaeos praecipuam gentem ad religiones antiquissimi monumenti initio cum dicatur homo imago dei, hanc sententiam, quam simili simplicitate et suptilitate nemo extitit inter paganos qui proponeret, num quasi atomis opinionum conflatam an potius insita illis facultate recte componendi diuina et humana ortam esse existimabimus? ita non existet umquam hexametri patrem matremque qui possit indicare nisi rythmon ac melos et propriam Graecorum indolem. nam omnia perfecta ex se nascuntur. — praeterea accedit illud, quod poetae Latini, cum mirum quantum scholica eruditione niterentur, epiplocae artificio non cognatos modo etiam

alienos plane numeros ex nobilissimo quoque metro repetere sunt soliti, quorum migrando rationes sine ulla utilitate haud ita parua contrahemus incommoda. — quae cum ita sint non ueremur, nequis inutiliter et uanitate gloriae nouasse nos uersuum ordinem incuset.

Igitur primum omnium memorabitur nobis uersus heroicus quinque dactylis et trochaeo uno constans. de cuius uirtutibus dicere uidetur superuacuum. sed cuinam potissimum materiae sit aptus, sic expressit Horatius

res gestae regumque ducumque et tristia bella
quo possent scribi numero monstrauit Homerus.

eidem didactica et bucolica ut plurimum cessere carmina, e satiricis antiquiores passim, Horatius et qui eum secuti sunt semper eodem utuntur metro. idem plerumque epistulis optinuit, at non perinde epigrammatis. certe Martialis non usus eo nisi quatuor [I, 53. II, 73. VI, 64. VII, 98] carminibus. e quibus duo singulis constant uersibus. cetera iocosam quandam habent grauitatem, ut appareat ob id ipsum adsumi metri insolentiam. nam et ipse testatur fuisse quibus heroico uersu scripta displicerent epigrammata [VI, 65]. a tragoedia exulat fere hoc metrum. quo tamen memoria dignum Senecam uti et in choricis ad concinendas laudes deorum [Oed. 403, 4. 429—431. 445—448. 466—471. 503—508. Med. 110—115] et in dialogo ad referendum oraculum [Oed. 233—238. ceterum cf. de Graecorum usu Odofr. Mueller hist. litt. Graec. II, 74].

Sequitur pentameter et in medio et in ultimo uersu catalecticus. quo continuato qui sit usus, non habeo nisi ultimae aetatis auctores Ausonium et Martianum, qui uenustatum metricarum haud sane ampli fuere iudices.

Proximi sunt tetrametri dactylici, uariis hexametri incisionibus qui procreantur. quibus integris primi usi Pomponius et Seneca, una syllaba minutis Horatius, eis quorum quartus pes sola arsi constet iam Varro, siquidem integrum uersum uidetur explere fragmentum eius tale 'aerea terta nitet galea'. haec tamen metra cuncta parum placuerunt Latinis.

Raro etiam trimeter catalecticus reperitur, qui completur duobus dactylis et semipede. primus autem adhibuit Horatius.

Superest numerus Adonius, qui constat ex bucolica incisione, quo integrum carmen composuisse Sapphonem narrant Terentia-

nus [n. 2159] et secuti eum Victorinus [2564] et Columbanus [carm. ad Fedol.]. at apud Latinos Terentianum primum continuasse hoc metrum ipsius constat testimonio [2177]. mox eiusdem auctoritate adducti usi hoc uersu Martianus Boethius Columbanus [carm. ad Fedol.].

Iam uersus dactylici hexametro catalectico ampliores cum habeant nescioquam inelegantiam, non potuerunt facile placere nisi auctoribus lusuum studiosis et ab ingenua elegantia alienis.

Tali metro usus Serenus ita 'pingere collibitumst. graphidem date. promite bolarium'. cuius numeri Diomede teste superius commast tetrametrum dactylicum, alterum dimidium uersus elegiaci.

At ex anapaestis primum nos aduertent dimetri, quibus solis sine monometris additis composuerunt carmina Ausonius Luxorius Boethius. paroemiaco uersu continuato qui sint usi primos inuenio Annianum et Serenum. hoc metrum quam placuerit saeculi p. n. Chr. tertii hominibus demonstrat Terentianus dicendo dulce, nec minus eo laetati insequentes. sed missis his iam de Senecae anapaestis nobis disserendumst, quos quidem pessime credunt hodieque synaphia quadam nexos dimetris contineri, post priorem dipodiam ut incidatur. et illud quidem minime dubitatur post binos oportere orationem finiri pedes nec licere posteriorem solui arsin. nam uix dignumst memoria ferri in Octauia [782] 'aut quid pectore portat anhelo' pro eo quod uenit ab auctore 'aut quid portat pectore anhelo'. at reliqua metri eiusdem non perinde recte aestimantur uulgo. et cetera alibi nunc illud monebo ideo monometris dimetiendos esse uersus eius, quod, cum certum sit illum numquam alienis metris aut hiatum aut productam breuem arsis ui admisisse, hanc normam octiens deciens migrasse existimandus est idem, si dimetros potius quam monometros adhibuit anapaestos [Herc. fur. 1134. 1136. Thyest. 832. 881. Hippol. 30. 43. 327. Troad. 135. Med. 342. 827. Agam. 314. Oct. 67. 273. 309. 320. 662. 890. 965]. quod quis facile adducetur ut sibi persuadeat? itaque monometris, quibus iam recte dispositum fertur carmen in ludo de morte Caesaris, etiam tragoediarum instaurandi sunt anapaesti. hac autem qualitate metrorum euenit illud, quod incusauere plurimi explicauit nemo, ut qui sapphicis uersibus adonios et glyconiis pherecrateos admiscuisset Seneca numquam anapaestis adderet paroemiacos. quae cum ita habeant, facile patiemur diuersam a nobis et uulgatae similem sententiam afferre uideri Diomeden [511

cf. 516], cuius in hac re auctoritas plane nullast, cum satis constet canticorum pleraque antiquis temporibus continua scriptura fuisse exarata, ut appareat illum proprii potius ingenii imbecillitatem quam testimoniorum ueterum sequi firmitatem. ceterum debuit aduertere homines doctos uel hoc, quod dimetris constitutis numquam constante ratione remanent usque monometri. eodem autem metro usus est Ausonius. praeterea anapaesticum tale fertur Sereni

cedo testula trita solo. cor iet tibi per speculum Panope.

nobilissimumst metrum Aristophanium, quo usi Varro et Serenus. superest mirus quidam uersus proceleusmaticus, cuius haec est species

perit abit auipedis animula leporis.

quem quidem assentior Hermanno item ad anapaesticos referendum esse numeros, quamquam a Latinis alioqui talis licentia soluendarum arsiumst aliena. sed nimirum adhibitus est imitatione Graecorum et a ludibundis poetis Sereno et Ausonio. et huius quidem carminis initium talest

et amita Veneria properiter obiit.
cui breuia melea modifica recino.

scripsi melea, pro quo uulgo mendose fertur mela.

Iambicorum uersuum longest usitatissimus trimeter siue senarius. de quo haec tradit Horatius

Archilochum proprio rabies armauit iambo.
hunc socci cepere pedem grandesque cothurni
alternis aptum sermonibus et populares
uincentem strepitus et natum rebus agendis.

satis bene quidem ille, quamquam ultimo imperii tempore etiam didactico et epico carmini porro hymnis adhibuere hoc metrum. hunc primi nouarunt Varro et Catullus. cui simillimus fit uersus detracta una thesi, quo primus usus Horatius. hic autem numquam solus proprio constat carmine. sequitur dimeter iambicus hypercatalecticus, qui tertius est systemate alcaico. proximus dimeter iambicus acatalectus. qui cum initio non magis quam pentameter dactylicus perpetuo carmine esset continuatus, hanc tamen obseruantiam satis maturo tempore ipsi migrauere Graeci. mox idem quam indecoro apud Romanos incremento coaluerit supra indicaui. sequitur uersus eiusdem metri catalecticus, aeque tenellus, quo primus usus Arbiter mox plerique alii [cf. Terent. Maur. 2484].

At numeros longiores trimetris nemo adhibuit post Varronem

et Catullum, quibus certe septenarios Graecanica arte compositos esse constat. unde eiusdem metri usus exemplis Terentianus in paucissimis uersibus identidem euenit ut neglegeret caesuram. ceterum octonariis iambicis pleno pariter ac minuto constantia Boisci haec

> Βοίσκος ὢπὸ Κυζικοῦ παντὸς γραφεὺς ποιήματος
> τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον·

paribus expressit numeris Iuba

> Boiscus iste Cyzico noui repertor carminis.
> nam primus octonum pedum uersum deo dicauit.

in quibus uulgo fertur laesis numeris ὁ ἀπὸ et dicauerat.

E trochaicis uersibus octonarius catalecticus — nam acatalectum eundem qui adhibuerit praeter Varronem non inuenio — ualde fuit acceptus in uulgus. hunc memoria dignum a Seneca non usurpari nisi ad res augustas ac sublimes uel quae horrorem incutiant describendas [Hippol. 1201—1212. Oed. 223—232. Med. 740—751]. porro eiusdem numeri legitima incisione procreantur dimetrorum binae species, quarum breuiorem primus Horatius per epodum, mox continuo carmine adhibuit Seneca [Oed. 882—914]. at longiorem non nisi ultimorum temporum auctores admiserunt. restat uersus ithyphallicus, qui cum satis sit decorus in compositione, ubi continuetur solus non inuenitur nisi opusculo quodam Bacchi honori dicato [Mey. 573] quod sic incipit

> huc ades Lyaee
> Bassaren bicornis.

Secuntur numeri ionici a minori. e quis longe sunt usitatissimi dimetri qui anacreontei dicti. quorum uaria genera ab Laeuio inde satis placuere auctoribus Latinis. — sed longe mollissimum st metrum galliambicum. quo ueteres Latini non sunt usi praeter laudes magnae deae uel Attis. nota res de Catullo et Maecenate, nec minus apparet eodem esse argumento Varronis quotquot extant reliquias. nam de Atti ad Cybelae nemus tendente aperte dicta sunt haec

> tua templa ad alta fani properans citus itere.

nec non pertinent ad eundem gallorum uerba talia

> tibi typana non inani sonitu matri' deum
> tonimus.

et ad gregem ipsius referenda sunt quae s. u. cirare sic ferme tradita sunt in libris Nonii [46] 'spatula eiurauit omnes ueneriuaga

pueros'. — sane dicit Vahlenus [p. 19] integrum hunc si dis placet galliambum non comparem quidem sed similem esse Catulli tali 'dea magna dea Cybebe dea domina Dindymi'. sunt autem hi sic interse similes ut Vahlenus similis est Lachmanni, qui uidit illud ueneriuaga collocandum esse post pueros. qua admissa traiectione cum constet uersus, displicet tamen nobis pariter ac Lachmanno ipsa illa uox ueneriuaga, quam facillime amoliemur diducendo partes ut Veneri' sit pro Veneris. ita priscos et ferarum similes homines dixit Horatius Venerem incertam rapientes. — denique etiam gallis, dum immaturam Attis mortem memorantes quasi fato fieri queruntur, cito ut obeant amasiones dearum, cantata fuere haec [Non. 158]

sic sic ille puellus Veneris repente Adon
cecidit cruentus olim.

quibus alterum sic de meo addidi. ceterum sicut a Varrone item a Martiano [II, 192, 26] ac Venantio [misc. VII, 12, p. 248] et Corippo [iohann. IV, 514] aemulatione antiquissimorum dicitur nominatiuo casu Adon. porro Cybebae honori et saeculo post Christum primo destinata fuisse carmina galliambica constat his uersibus Martialis [II, 86, 1]

quod nec carmine glorior supino,
nec dictat mihi luculentus Attis
mollem debilitate galliambon,
non sum Classice tam malus poeta.

sed saeculi tertii poetas uanescentibus placitis antiquitatis non moror. hi enim aperte usi sunt hoc uersu etiam ad alienam materiam. ita poetae nescio cuius fertur hic uersus [Diomed. 514]

rutilos recide crines habitumque cape uiri.

item alterius [Atil. 2677]

o qui chelyn canoram plectro regit Italo.

praeterea Lachmannus [p. 276] statuit a Varrone ad exemplum Anacreontis integros tetrametros Ionicos admissa quidem anaclasi esse compositos. sed res incerta, cum eodem iure uersus ab illo propositos possis habere pro dimetris. in hoc tamen utique falsus idem, quod dicit metrum tale iambionicum a Varrone nominari. nam in illis quae Diomedis l. III [517] feruntur sic 'iambico nonum carmen refert Varro cuius exemplumst tale pedum rythmumque finit' etiamsi recte iudicauerit Lachmannus scribendum esse iambionicum, tamen apparet non pertinere appellationem istam ad uersus quos

ille uoluit. suspicor tamen recte habere, quod placuit Keilio, ex iambico nonum, ita ut significetur dimeter iambicus catalecticus, quod neoterici potissimum poetae Graecorum et Latinorum eó sunt usi. ceterum haud dubie inueniuntur tetrametri ionici apud Martianum carmine quod sic incipit 'uenerandos mihi fatus reuerendosque locuta'.

At ex ionicis a maiore qui aliquanto sunt inelegantiores, quippe quorum initia claudicent, dimetros catalecticos admisit Laeuius ita

gracilenti' colorem

idem

ex hoc gracilans fit.

quibus potest uideri pares habere numeros fragmentum tale [Prisc. p. 869] 'cupidius miserulo obito', ut solutis longis praeter ultimam cupidius expleat tribrachum, sicut melius apud Varronem pyrrhichium. sequitur metrum subabsurdum quod nomen habet a Sotade. huic quod mirificum in modum indulsere antiquiore aetate Romani — quippe non doctorum modo [Lachm. prooem. Berol. 1849—50] etiam uulgi usu optinuit [Meinek. specim. alter. in Athen. deipnosoph. p. 24] —, utrum ludibriorum quodam amore an alia prauitate euenisse dicamus haud facile definiam. accedit tetrameter acatalectus quem usurpauit auctor non satis certus [Victor. 2537. Atil. 2694] exemplo tali

uuas nitidis frontibus Euhan hederis inligat.

Restant uersus choriambici et cretici quorum perexiguus fuit usus apud dactylicos Latinos. ita dimetri choriambici inueniuntur Claudiani hymenaeo illo [12] 'age cuncta nuptiali redimita uere tellus', at cretici in Sereni carmine

pusioni meo
septuennis cadens.

quae graui lapsus errore dicit Diomedes [517] constare epitrito et iambo siue pariambo.

Iam antequam ad compositos numeros transeamus perstringenda sunt mira quaedam metra ultimi pedis inuersione orta illa hexameter dactylicus miurus — quem ecaudem uocat Diomedes [499] — et hipponactei trimeter iambicus siue trochaicus tetrameter. ac primum ille quo sibi modo constet cum narie sit disceptatum [cf. Herm. elem. doct. metr. II, 354—356], equidem firmiter contendo eum nullam omnino habere compositionem numeris et arte modulatam sed ortum esse poetarum Alexandrinorum

ingeniis et praua interpretatione uersuum quorundam Homericorum. in quibus principem locum optinet ille a grammaticis decantatus

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν.

sane idem metrum apud ueteres auctores omni aetate perexiguo fuit usu. nam e Latinis solus illud habet Terentianus nec nisi exempli ergo et deceptus a Basso [1922 sq.], qui eodem metro Liuium Andronicum esse usum hominibus doctis frustra firmauerat [cf. Haupt. obseru. crit. p. 43]. nec tamen est mirum doctorem mediocrem et digitis non auribus computantem numeros pleraque elicuisse ex monumentis uetustissimis metra aliena, cum sane saturnii uersus mira fuerit licentia, ut uel ex reliquiis quae hodieque extant paucissimis possint quaedam sine ulla mutatione ad aliud metrum reuocari. ita quae ex Naeuii bello Punico sumpta afferuntur a Charisio [103] nulla addita mutatione explent trimetros iambicos

Marcus Valerius consul partem exerciti
in expeditionem ducit.

quid quod terna Liuii illius fragmenta apertam hexametri habent similitudinem? sunt enim haec

at celer hasta uolans perrumpit pectora ferro.
cum socios nostros mandisset impiu' Cyclops.
inferus an superus tibi fert deus funera Vlixes?

quamquam tales species plerumque non Saturnii magis metri libertate quam ignorantia interpolatorum prouenisse non abhorret a uero. simile autem poterit uideri miuri uersus metrum illud 'qui serere ingenuum uolet agrum', quo usi sunt Serenus et aemulatione huius Terentianus ac Boethius. nec tamen derunt qui dicant constare idem penthemimeri hexametro et cretico cuius prior arsis perpetuo soluatur ludibrio, quamquam monendumst non semper post tertiam arsin orationem incidi. — longe scitius habent claudicantes iambi ac trochaei, primum quod pedum ita permutatorum maior est similitudo quam iambi et dactyli, deinde quia ibi duae iam continuatae sese excipiunt arses. itaque illi uersus cum nec prauitatis expertes sint cuiusdam nec leporis, haud sane exiguo uiguere usu. trochaicos tamen claudicantes apud Latinos qui assumpserint praeter Varronem non inuenio. de iambis supra iam monui. quamquam poterunt uideri minus placuisse ultimorum temporum hominibus, cum et quarto quintoque ac sexto p. Chr. n. saeculo raro reperiantur, et sic de eis tradat Terentianus [2416]

hoc mimiambos Mattius dedit metro
nam uatem eundem iste Attico thymo tinctum
pari leporest consecutus et metro.

quippe minime solitus ille scabrae iactantia eruditionis prisci usus memorare exempla in metris eis quae ipsius placerent aequalibus.

Iam de mixtis et compositis numeris dicturi omittemus quidem pentametrum sapphicum cuius haec est species ἠράμαν μὲν ἐγὼ σέθεν Ἀτθὶ πάλαι πότα porro uersum archebulium et eum qui ab Archilocho inuentus constat uersibus paroemiaco et ithyphallico. nam hi plurimum sane apud grammaticos Latinos at non perinde optinent apud poetas. neque uero enchiridia aut centimetros puerorum in usum perscribimus, sed libero ingressu, ut quaeque digna memoria et frequentia arte Latina euenere, exponimus. ceterum ex numeris illis longe sunt iniucundissimi, quibus sociatur cum trochaeo uel iambo anapaestus, qui proprietate naturae ne cum dactylo quidem amet sociari. ita paroemiacum metrum corrupit Platenius identidem imminuto pede paenultimo in Oedipo romantico exemplis hisce [IV, p. 101. 102. 182]

an die duftigen zehn des dichters.
des erhabenen spielers anmut.
auf jede geburt des fruehlings.
ein poetischer regenbogen.

sed missis his ad uersus glyconios atque hendecasyllabos sapphicos et alcaicos transeamus, hinc facili opera pleraque metra logaoedica enucleaturi. itaque clarissimus et a Catulli inde tempore usitatissimus fuit uersus glyconius octo syllabarum constans trochaeo in basi posito et dactylo cum cretico. hic cum systematis similium numerorum plurimum uigeat continuo solus carmine primum adhibitus est a Seneca qui quanto praestat elegantia et seueritate uersuum tanto minor est eligendis digerendisque numeris. hunc utique secuti sunt auctorem saeculi p. n. Chr. tertii poetae et alii. — iam glyconio si dempseris syllabam oritur pherecrateus. tum in unum collato utroque nascitur uersus mollis et delicatus, sicut decet Priapi a quo traxit nomen honori dicatum. hoc metrum statim post Augusti tempora in desuetudinem abisse hinc apparet, quod Terentianus exempla eius scilicet obliuione diutina alieni mirificis turbauit ineptiis. addito uero ad glyconium choriambo oritur asclepiadeus minor, quo usus integro ad carmen conficiendum Horatius, qui primus hoc metrum nouauit, mox alii. proximus est choriambicus

maior, quem princeps adhibuit Catullus mox Horatius tum paucis uersibus Terentianus denique Prudentius hic quidem praepositis glyconeo et asclepiadeo minore. his affinis metris uersus phalaecius postquam semel receptus est quam placuerit Romanis supra iam declaraui. unde et proprie plerumque hendecasyllabi nomine significatur [e. g. Cat. 12, 10. Auson. ep. 4, 82 sq. Prudentius perist. VI, 162]. hoc uix minus populare fuit alterum hendecasyllaborum genus cui a Sapphone nomen inditumst. id, si systematis cohibiti uersus dirimantur metro adonio, longe iucundissimumst. at plerumque interit leporis exempta uarietate. huic si primam dipodiam detraxeris numero, oritur uersus sapphicus minor, quo integra carmina composita non inuenio praeter illud ab Augustino seruatum [Mey. 620] 'ite igitur Camenae'. per systemata adhibuere eum Horatius et Claudianus. idem alibi cum dimetro choriambico coalescit in unum sic 'Iane pater Iane tuens diue biceps biformis'. de quo sic tradit Terentianus [1889] 'qui multos legere negant hoc corpore metri Romanos aliquid ueteres scripsisse poetas'. tamen uidentur apud Terentium modicae alioquin audaciae in metris auctorem in adelphis tales reperiri uersus [612, 13]. mox isdem usi Serenus Terentianus Ausonius Martianus. superest metrum sapphicum maius quod fit ex uersu sapphico minore cum hendecasyllabo praeter ultimum amphibrachum copulato. quod Horatius nouitate ductus nec tamen ineleganter semel adhibuit. post nemo eo usus. iam peruenimus ad alcaicum metrum. quod a Flacco et Statio pro systematis parte a Prudentio et Claudiano etiam simplex adhibitum non ita ingratum fuisse uulgo ea re apparet, quod etiam in hymnis reperitur [Dan. I, 89. 131]. hoc autem metro inuerso sine anaclasi oritur hendecasyllabus, quem et praeter systema alcaicum adhibuit Boethius. — iam cum Seneca choricorum liberius habita sic fere instituerit, ut singulos uersiculos non Graecorum exemplo sed dimidiatis fere uersibus alcaico et sapphico hendecasyllabis nec non asclepiadeo minore uel aliquando adonio continuasset, obsecuti sunt ei posteriores iugando in unum duo talia cola sic

heu quam praecipiti mersa profundo.

hoc metrum, mihi quidem ut uidetur, fractum et elumbe, non aliud ut magis, mirifice saeculi tertii et insequentium temporum hominibus placuit. unde et in hymnis optinuit. praeterea metra simili compositione constantia ipsa apud Boethium habes talia [IV, 5]

siquis Arcturi sidera nescit.
mergatque seras aequore flammas.

porro apud Luxorium [Mey. 316]

monstrent nolatu praememores famulo.

ceterum similes facetias poterit uideri adhibuisse Laeuius decasyllabo illo 'omnes sunt denis syllabis uersi', quem uulgo foeda neglegentia et quasi non legissent uerba ipsa iambicis discerpsere dimetris.

Superest de uersibus asynartetis ut dicamus. e quibus hic qui quattuor dactylis et tribus trochaeis constat ab Horatio primum usurpatus non nimis certe displicuit ultimorum imperii Romani saeculorum hominibus. at aliter res in elegiambico et contrario habet metris. de quibus sic tradit Atilius [2684] 'cum Archilochus heroi partem priorem cum iambici priore parte commiserit, ita ut antecederet heroum in hunc modum scribere uersiculos amore percussum graui, Horatius immutauit, ut antecederet iambici pars sequeretur heroi sic occasionem de die dumque uirent genua, ut cum ex galliambo sotadeus fit ex sotadeo galliambus, ut iam demonstraui'. quod si uere tradidit ille, habet Horatius quo laetetur, nam et elegantius longest hoc metrum altero, quippe in quo insurgant et inualescant numeri. quibus equidem aptissime usus Horatius in carmine quo hortatur oblitos uitae laborum periculorumque hilaritati et conuiuiis dare animos. sed horum de quibus modo expositum metrorum utroque nemo usus posteriorum, nisi elegiambico per unum carmen Luxorius [Mey. 304].

Iam procedimus ad systemata uersuum in quibus enarrandis non unam ob causam potius mihi uidetur omisso priore modulo temporum sequi ordinem, quorum pro diuersitate insignis hac in parte poetarum Latinorum extat differentia. quod nec casu factum sed necessitate. sed prius, si tanti tamen est, dicam eos qui nuper Varronem pessumdederunt ne in hac quidem parte a solita iudicii imbecillitate desciuisse. ueluti quis credet in saturis Menippeis fuisse coiugatos septenarios iambicos Italicos cum hexametris dactylicis? quod tamen persuasit sibi Vahlenus hos uersiculos comparando [p. 12]

dum sermone coenulam uariamus,
interea tonuit bene tempestate serena.

quorum quidem priorem notis additis eo quod dixi significauit contineri metro. est autem sermo pedestris. in quo fragmento obiter monebo ridicula istum sicut sane et Oehlerum neglegentia illud

interea notauisse quasi Ennianum, cum ipse addiderit Ennii uersum, cuius maximam partem in suum conuertit usum Varro talem

tum tonuit laeuum bene tempestate serena.

aliud autem systema Kochius sibi indagasse uisus est, cuius prior uersus octonario iambico, alter constaret fortasse creticis [p. 26]. idem hexametrum dactylicum et scazontem Italicum iugatos proposuit tales [p. 30]

uix effatus erat, ultro cum more maiorum
arripiunt casnares. in Tibrim de ponte deturbant.

sed missis nugis ad uera transeamus.

Itaque simul cum hexametro uix impar nobilitate uenit Romanis systema elegiacum. de cuius nomine sic tradit Plotius [2634] 'elegiacum metrum dictumst, quod εε sonat interiectionem flentis, et hoc metro mortuis fletus componebant antiqui'. in quibus εε scripsi de coniectura, pro quo cum uulgo circumferatur sine auctoritate illud 'esset', Santenii codice uerius scriptum extat esse. scilicet bonis librariis addita supra εε uirgula, qua significaretur nota esse Graecas litteras, est impositum. at de usu distichorum haec tradit Horatius

uersibus impariter iunctis querimonia primum,
mox etiam inclusast uoti sententia compos.

addas epigrammata et amatoria carmina, in quibus tamen non semper eodem metro usi Latini.

Iam Catulli Varronisque aetate quotquot reperiuntur admissa systemata habent uersus synaphia iugatos, quod tamen ex parte casu euenit. quis enim in tanta reliquiarum paucitate statuet metro sapphico Catullum maiorem ipsa Sapphone seruasse seueritatem, quae pro arbitrio illius uersus habet asynartetos? sed quae praeterea inueniuntur systemata anapaestica glyconea ionica non casu fuere comparata eo quem dixi modo. e quibus anapaesticis dimetris aliquando addito monometro et in fine paroemiaco usus Varro compluriens, porro Laeuius et Memmius. e quibus Laeuii sunt haec

ne ardua nitens
fortunae escendere cliua.

nam quamquam facile possunt haec uerba in hexametrum redigi illa ne et ardua migrando interse, tamen nihil opus. ceterum non alind in quantum sciam e Memmii carminibus prostat fragmentum. hoc autem non aduertit doctos. sed hoc anapaestorum systemate

haud quisquam usus posteriorum. iam systematis ionicorum a maiore denorum ac nonorum catalecticorum quidem usus est Laeuius in Phoenice, cuius uersus ab antiquissimo inde tempore pessime habitos quod nos in integrum restituimus mutatione facta aut nulla aut nulli simillima, ecquid erit praemi? — itaque in capite Charisii nuper reperto [288 Keil] ubi de inconditis agitur numeris haec extant 'sunt item saturnii quinum denum et senum denum pedum. in quibus similiter nouum genus pedum est et ipsum ametron. de quibus nihil praecipitur, eoque nomine artis quidem res non est. et solent esse summi pterygiorum senum denum sequentes quinum denum, quales sunt in pterygio Phoenicis Laeuii nouissimae odes erotopaegnion Venus amoris altrix genetrix cupiditatis mihi quae diem serenum hilarula praepandere cresti opseculae tuae ac ministrae. tum etsi ne utiquam quid foret expauida grauis dura fera asperaque famultas potui dominio accipere superbo'. haud sane apposuissem Charisii uerba ipsa hominis uanissimi, nisi eis declararetur systemata quae iam dixi inuicem se excepisse. etenim pterygiorum uocabulo quamquam satis miro tamen non aliud uidetur posse significari nisi binis systematum ordinibus inuicem se sustentantibus constitisse carmen Laeuii, sicut simili ratione exercitus dicuntur alae. iam quales inesse pedes in uerbis illis existimarit grammaticus haud sane constat, nec refert uero nouisse illud, quanta cum imperitia a Caesio ueterum monumenta fuerint digesta. sunt autem ut memoraui numeri ionici seuerissima arte culti, quorum tamen crebro sit soluta arsis. quibus reconcinnandis nihil nouaui nisi in cupiditate duplicaui p, ut Lucretius dixit cuppedinem, nec non addidi illud ego, quod quam facile potuerit absorberi uoce praecedente nemo non uidet. deinde cum testetur Keilius non satis constare hilarula an hilarulum constet codice Neapolitano, quod nos posuimus unice esse uerum necessitate metri euincitur. praeterea plerumque dubito an pro illo subabsurdo expauida scribendum sit quod ad Chryseidem referatur experta. nam uocabulorum interse mutatorum audaciam apte defendemus et Alexandrinorum auctoritate et hoc uersu Catulli 'non ita me diui uera gemunt iuerint'. huic similia licentiae exempla Horatii nuper enotauit Meinekius [praef. p. 37]. ceterum unus ueterum poetarum quorum extant libri Laeuius synaphia iunctos continuauit ionicos a maiore, quos tamen ipsum nec solum nec primum admisisse probabilest. nam et narrat Victorinus [2537]

metrum illud stare etiam per se integrum cum synaphia. tertia accedit stropha glyconeis composita et pherecrateis, qualibus usus est Catullus in hymno Dianae laudibus dicato et carmine nuptiali. qua in re conuenit ei cum Ticida, ex cuius hymenaeo afferuntur hi uersus [Prisc. 673]

felix lectule talibus
sole amoribus.

ceterum ex illius carminibus binis prius quaternorum uersuum alterum ternorum et binorum constat systematis, quod praeeunte Lachmanno primus apte distinxit Hauptius. nam nisi post tertium glyconeum finiueris partem strophae, non constabunt leges synaphiae seuerissime a Catullo seruatae [cf. e. g. u. 158. 173. 223]. praeterea idem auctor sapphico usus est systemate, nec non illo quod binos habet asclepiadeos maiores etiam aemulatione Sapphus, quae librum tertium talibus composuit numeris.

At enim non potest demonstrari epodica illius tempore carmina prouenisse. quae primum nouasse Horatium ipsius adseritur testimonio illo

Parios ego primus iambos
ostendi Latio numeros animosque secutus
Archilochi.

namque haec haudquaquam ita possunt accipi, ut dicamus gloriari Flaccum iambis exclusa ueterum licentia cultis. id enim ne statuas Varronis Catullique prohiberis exemplis, qui et ipsi tali arte plerumque composuere trimetros, ut omittam quae de Asinio et aequalibus Horatii tragicis supra memoraui. sed neque hoc credo uerum esse, quod statuit uir summus Augustus Meinekius [in opusculo de Varrone supra commem.] significare illum se primum iambo in ludicris esse usum carminibus. nam ut omittam numerorum additam mentionem aperte ad artem carminis pertinere, non Horatius ipse primus iambos tali adhibuit materiae sed Catullus cum Bibaculo. neque uero ullum epodici metri apud poetas Augusto priores reperitur certum uestigium. contra cum illud reperiatur in catalectis Maronis, apparet idem quam cito usu increbuerit nec minus quam fuerint proni nouellis metris aemulandis illorum temporum poetae. praeterea Flaccus adiecit arti Latinae Aeolensium metra pleraque. iam cum sit certissimum eximio Meinekii et Lachmanni inuento in melicis eum omnia carmina quaternis uersibus continuasse, illud solum non prorsus constat, num omnia systemata

quibus usum eum inuenimus, ab Aeolensibus et Alcaeo assumpserit, an quod minime a uero alienumst quaedam ab Archilocho epodice posita ad ceterorum carminum exempla aeque quaternorum uersuum continuarit systematis. tamen res incerta nec eadem magni momenti. instituit autem metra sua sic, ut epodicis metris plane uteretur pro asynartetis, at ionicos numeros totos continuaret synaphia, cetera teneret suspensa utramque inter rationem. nam Neobulae carmen plane adsentior Lachmanno uno quaternorum uersuum contineri systemate. ceterum non indignum memoria Flaccum plena synaphiae licentia quae euenit elidendis in fine uersuum rythmum non claudentium aut discerpendis uocabulis uti rarissime, de qua re libris III et IIII curatius exponetur.

Iam quod supra breuiter tetigi Aeolensium systematum incuriam minimo post Flaccum interuallo optinuisse exemplis comprobabo. igitur synaphia iunctorum uersuum a Tiberii inde aetate praeter paucos Ionicos Terentiani et alius auctoris ignobilis quos affert hic [2060 — 2071] nullum prorsus extat uestigium nisi in canticis quibusdam Senecae liberius habitis. sed huius anapaestis quandam adfuisse synaphiam quod statuit Bentleius, numquam mihi probabitur. nam si ulla certior iunctura in illis euenit, quid facias, ut similia pleraque mittam, metris talibus

spargeret astra
nubesque ipsas.
colit impense
femina uirque
numen geminum.
iura pudorque
et coniugii.

haec quis umquam alia quam finiti plene ordinis excusatione stare posse credet? at non ita frequenter euenit breuis syllaba in fine anapaestorum. audio. nec tamen tam raro quam uisumst Bentleio. est autem haec norma antiquae artis ut uel per se stantes ac libere agitantes numeri si breuiculi sint nec propinqui longioribus nulla causa aperta sed arcana elegantiae lege communis finalis infrequenter fruantur libertate. — praeterea sapphica quidem stropha aequabili ad ultima usque tempora usu uiguit, sed aliena eiusdem Horatii systemata tetrastropha qui adhibuerit non inuenio nisi semel alcaicum Statius Seuerus choriambicum illud quod constat asclepiadeis tribus et uno glyconeo. quod et hymnis pauculis reperitur. reliqua uero metra Aeolica cum tanta arte

tantoque iudicio fuissent culta a Flacco prorsus abiere ex usu, magis uiguere epodica. de quibus notandumst illud quod Martialis ex trimetris hipponacteis et dimetris iambo exeuntibus conflauit [I, 61]. praeterea nouae species systematum sunt ortae, quarum primus auctor fuit Seneca, qui semel in Medea [607—669] stropham uersibus octonis sapphicis et singulis adoniis constantem adhibuit. nam quod in fine feruntur continuati decem et septem sapphici et adonius unus, foedissima illud interpolatione uenit uitium. etenim cum nonus ex his uersus talis esset traditus 'patrioque pendet crimine poenas', plerique ut tollerent uitium ceterum clauum clauo expellentes sapphicum metrum instaurauere. satisfecerit Senecae qui pro uerbis istis aperte glossam continentibus substituerit uelut 'crimine amoris'. iam Anniano et Sereno et tertii p. Chr. n. seculi auctoribus quatinus placuerint systemata uersuum etsi non satis guarumst, uix tamen falsi erimus statuendo magis illos abhorruisse a talibus quam posteriorum quemquam aut praecedentium. contra Ausonius Martianus Boethius ut uersuum multiformium sic systematum uariorum inusitata nouitate captum ierunt animos. igitur cum Catullus et Horatius optimorum exemplorum aemulatione nisi iugatos composuissent uersus non nisi eos qui similitudine originis et arcana ratione musica quasi sponte coirent in systema, haud sane eadem ultimae aetatis hominum fuit modestia, qui uarietatis potius studium casumue aut arbitrium secuntur. quod statim additis exemplis probabo. itaque apud Ausonium habes tetrametros trochaicos cum trimetris iambicis coiugatos et tetrametros dactylicos cum dimetris catalecticis. porro apud Boethium extant uersus sapphici cum glyconiis inuicem copulati nec non asclepiadei minores cum dimetris iambicis et cum trimetris uersus elegiaci et phalaecii cum alcaicis hendecasyllabis. piget plura addi, cum ante oculos res sit posita, quibus ultimorum imperii temporum carmina perlustrandi seu desiderium uenerit seu necessitas. illud solum dignum laude, quod certe concinnitatis spatiorum habuerunt ferme rationem non nimis dispares circuitu interse iugando uersus.

Superest ut de systematis quibusdam dicam hymnorum. quae nulla causa poetica sed usus facilitate cum prouenissent, uix aliam habuere legem quam ut uersus fere pares certo numero comprensi identidem repeterentur. itaque uersuum in dimetris quaternorum quinorum in trimetris in tetrametris ternorum comprobauere stro-

phas Prudentius Sedulius Amoenus Drepanius Orientius Venantius Eugenius [carm. 12. 13. 21], ut scholica quadam auctoritate siue Ambrosii exemplo concentum talem effectum esse appareat.

Superest ut de canticis quibusdam Oedipi et Agamemnonis Senecae dicamus liberius illis Graecorum ad exemplum sed ut mihi quidem uidetur mira inelegantia compositis. de quibus cum magna imperitia Fabricius disseruisset, pauca quidem Bothius correxit, ut tamen uel sic nulla illis carminibus constet ratio. quare cum nec Grotefendius quidquam profecerit, qui in grammatica Latina eadem perlustrauit, iam nos quid rei sit explanabimus. et primum quidem illud monebimus plane penes nos stare digerendi uersus arbitrium. qui quomodo in Florentino libro fuerint discreti non possum dicere. in Turonensi codice ea plerumque uersuum optinet distinctio quam habes in recensionibus ante Bothium uulgatis, quae scilicet abundant uitiis et interpolationibus saeculo XV ortis. sed ut dixi haec parui momenti uel nullius. est enim credibile hos uersus ab initio sicut Graecorum choricos continua fuisse exaratos scriptura unde potuere oriri iam in ipsa antiquitate grammatici, qui eas crassa Minerua perperam distinguerent. certe similem ob causam et in anapaesticis eiusdem Senecae et in Horatii ionicis turbatum. — igitur cum cantica illa Graecanica libertate composita esse supra memorarim, non ut solitam referant Romanis uersuum aut systematum congruentiam, eligendis maxime metris comparet quam fuerit Senecae tempore labefacta et conuulsa antiquae elegantiae peritia. iam dignissimum memoria quae reperiantur uersuum genera pleraque omnia ab Horatio esse sumpta, siue pleni seu diuisi eius ut adhiberentur numeri. quae praeterea extant, ipsius Senecae alienis inueniuntur canticis. sed illorum plurima uersuum sapphici et alcaici hendecasyllaborum porro asclepiadei minoris constant partibus quae proueniunt caesura, quarum legitimae species sunt hae

floribus cingi.
cohibere mitra.
sensere terrae.
Lesbia cum thymo.
huc aduerte fauens.

hae tamen formae quasdam uicissitudines subiere. ac primum quidem in his canticis frequenter euenit, ut sapphici coli spondeus anapaesto mutaretur uelut ita

ter caput Tyria
tradidit thalamis.

praeterea fuit ubi numerus iste inuerso ordine collocaretur, ita ut praecederet spondeus sequeretur creticus sic

quam non flexerat.
non tristis uidet.

at in alcaici priore parte uidetur bis terue admissa initio breuis syllaba. namque obseruaui exempla haec

graues cateruae
inauspicata
nec inpotens pro.

porro asclepiadei uersus membrum illud 'huc aduerte fauens' soluto spondeo aut dactylo coacto has aliquotiens recepit formas

effugium et miseros
ut primum magni
fraude sua capti.

et his quidem numerorum speciebus longe plurimi continentur uersus. praeterea sunt quaedam paullo longiores sed aeque a sapphico metro hendecasyllabo repetendae. cuius primo abiecto trochaeo habes talia

qui uultus Acherontis atri
infusis humero capillis,

quibus accedit hic uersus

uidimus simulata dona

siue omisso uersus sapphici medio spondeo siue iure basis mitigato, sicut factum alibi in glyconio. non minus ex sapphico numero descendunt haec

Ophioniaque caede.
molis immensae Danaumque.

praeterea systematum eorum, quibus adhibuit Horatius uersus supra memoratos, diuersa metra aeque in his extant canticis. ac primum quidem haud infrequenter inuenitur uersus adonius, deinceps alcaici enneasyllabus et decasyllabus, sed uterque rarissime, tum glyconii admisso quidem in basin trochaeo, quod alioqui uitatur a Seneca. praeterea aeque Horatiani inueniuntur nonnumquam uersus ithyphallicus et minor sapphicus et tetrameter dactylicus quales habes hos

uirginem relictam.
pulueramue n bem.
et quos uicinus Boreas ferit.

porro aliquotiens ab ipso Seneca alibi in choricis positi extant anapaesticus monometer nec non dimeter trochaicus catalecticus, qui habet secundo loco spondeum, ut puta

te decet uernis comam.

uerum pleraque omnia ab Horatio repetenda, cui etiam in eo morem gessit Annaeus, quod aliena ab aequalibus libertate usus plerumque non nexos aliquando synaphia coalitos uersus ponit parata sane uel a nomine proprio uel a composito uerbo excusatione. cuius rei exempla sunt haec

nec impotens pro-
cella fortunae.
seruitium contem-
ptor leuium deorum.
carusque Peli-
dae nimium feroci.
aut cum ipse Peli-
des animos feroces.
tuus ille bisse-
no meruit labore.

iam quod horum uersuum aut si quos ipsi praua sollertia nouanere saepe duo aut etiam tris coiugarunt in unum homines docti, fecerunt id ineptissime. etenim plerumque ne aptus quidem apparet conexus, nisi ubi uersuum quibus concisis aut distinctis constant cantica illa legitima euenerit species ueluti ita

uitae dirus amor, cum pateat malis

aut

par ille regi par superis erit.

et ne stabit quidem umquam ratio. nam uel sic, nisi hiatus et productas in thesi breues et similia absurditate males statuere, semper superabunt uersus minores. sed certissimum inde argumentum assumemus, quod, cum ea metra quae aperte longiore habentur ambitu inueniantur omnino rarissime, talis fastidii nulla omnino causa poterit reperiri, si ceteros uersus simili aut eodem fuisse existimabimus spatio. unde quid lucramur talia fingendo, nisi quod uersiculos per se mediocriter formatos copulando reddimus pessimos? an sine causa factum esse existimabimus quod conditores artis ut his exemplis defungar uersus sapphici eum ordinem uoluerunt, quem uidemus, non hunc

sacer et Cithaeron sanguine undauit.

nec alcaici talem

militia puer robustus acri?

nisi forte eo peruersitatis prouectum fuisse credemus Senecam, ut sperneret optime coiugatos uersus longiores, at amaret prauissime.

[Quae cum ita sint, nihil iam paratumst negotii, quin adscribantur cantica ista suae integritati restituta. [Oed. 403—415. 472—502. 709—737. Agam. 589—636. 808—866] in quibus cum pauca libri Turonensis ope nec plura multo de coniectura nouarimus, haec qualiacumque fuerint silentio transeunda censuimus.

Effusam redimite comam nutante corymbo.
mollia Nisaeis armatus brachia thyrsis
lucidum caeli decus
huc ades uotis,
quae tibi nobiles
Thebae, Bacche, tuae
palmis supplicibus ferunt.
huc aduerte fauens
uirgineum caput.
uultu sidereo
discute nubila
et tristes Erebi minas
auidumque fatum.
te decet uernis comam
floribus cingi,
te caput Tyria
cohibere mitra
hederaue mollem
baccifera religare frontem.

Sensere terrae
Zalacum feroces
et quos uicinus Boreas ferit
arua mutantes
quasque Maeotis
alluit gentes
frigido fluctu
quasque despectat
uertice summo
sidus Arcadium
geminumque plaustrum.
ille dispersos
domuit Gelonos,
arma detraxit
trucibus puellis.
ore deiecto
petiere terram
Thermodontiacae
graues cateruae,

positisque tandem
leuibus sagittis
Maenades factae.
sacer et Cithaeron
sanguine undauit
Ophioniaque caede.
Proetides siluas
petiere, et Argos
praesente Bacchum
coluit nouerca.
Naxos Aegaeo
redimita ponto
tradidit thalamis
uirginem relictam
meliore pensans
damna marito.
pumice sicco
fluxit Nyctelius latex.
garruli gramen
secuere riui,
combibit dulces
humus alta sucos
niueique lactis
candidos fontes
et mixta odoro
Lesbia cum thymo.
ducitur magno
noua nupta caelo.
sollemne Phoebus carmen edit
infusis humero capillis.
concutit taedas
geminus Cupido.
telum deposuit
Iuppiter igneum
oditque Baccho
ueniente fulmen.

Non tu tantis
causa periclis,
non haec Labdacidas petunt
fata, sed ueteres deum
irae secuntur.
Castalium nemus
umbram Sidonio
praebuit hospiti,
lauitque Dirce
Tyrios colonos.

ut primum magni
natus Agenoris
sub nostra pauidus
constitit arbore
praedonem uenerans suum,
monituque Phoebi
iussus erranti
comes ire uaccae,
quam non flexerat
uomer aut tardi
iuga curua plaustri,
deseruit fugas
nomenque genti
inauspicata
de boue tradidit,
tempore ex illo
noua monstra semper
protulit tellus.
aut anguis imis
uallibus editus
annosa supra
robora sibilat
supraque pinus
supra Chaonias
celsior arbores
caerulum erexit caput,
cum maiore sui
parte recumberet,
aut feta tellus
impio partu
effudit arma.
sonuit reflexo
classicum cornu,
lituusque adunco
stridulos cantus
elisit aere.
ante non linguas
agiles et ora
uocis ignotae,
clamore primum
hostico experti.

Heu quam dulce malum
mentibus additum
uitae dirus amor,
cum pateat malis
effugium et miseros

libera mors uocet,
portus aeterna
placidus quiete.
nullus hunc terror,
nec impotens pro-
cella fortunae
mouet aut iniqui
flamma Tonantis.
pax alta nullos
ciuium coetus
timet aut minaces
uictoris iras,
non maria asperis
insana Coris,
non acies feras
puluereamue nubem
motam barbaricis
equitum cateruis
hostica aut muros
populante flamma
urbe cum tota
populos cadentes
indomitumue bellum.
perrumpet omne
seruitium contem-
ptor leuium deorum,
qui uultus Acherontis atri,
qui Styga tristem
non tristis uidet
audetque uitae
ponere finem.
par ille regi,
par superis erit.
o quam miserumst
nescire mori.
uidimus patriam ruentem
nocte funesta,
Dardana cum tecta
Dorici raperetis ignes.
non illa bello
uicta nec armis
ut quondam Herculea
cecidit pharetra,
quam non Pelei
Thetidisque natus,
carusque Peli-
dae nimium feroci

uicit, acceptis
cum fulsit armis
fuditque Troas
falsus Achilles,
aut cum ipse Peli-
des animos feroces
sustulit luctu
celeremque saltu
Troades summis
timuere muris.
perdidit in malis
extremum decus
fortiter uinci.
restitit annis
Troia bis quinis
unius noctis
peritura furto.
uidimus simulata dona
molis immensae Danaumque,
fatale munus
duximus nostra
creduli dextra,
tremuitque saepe
limine in primo
sonipes cauernis
conditos reges
bellumque gestans.
et licuit dolos
uersare, ut ipsi
fraude sua capti
caderent Pelasgi.
saepe commotae
sonuere parmae,
tacitumque murmur
percussit aures,
et fremuit male
subdolo parens
Pyrrhus Ulixi.

Argos nobilibus
nobile ciuibus,
Argos iratae
carum nouercae,
semper ingentes
educas alumnos.
imparem aequasti
numerum deorum.

tuus ille bisse-
no meruit labore
allegi caelo
magnus Alcides,
cui lege mundi
Iuppiter rupta
roscidae noctis
geminauit horas.
iussitque Phoebum
tardius celeres
agitare currus
et tuas lente
remeare bigas,
pallida Phoebe.
retulit et pedem
nomen alternis
stella quae mutat
seque miratast
Hesperum dici.
Aurora mouit
ad solitas uices
caput et relabens
imposuit seni
collum marito.
sensit et ortus,
sensit occasus
Herculem nasci.
uiolentus ille
nocte non una
poterat creari.
tibi concitatus
substitit mundus.
o puer magnum
subiture caelum,
te sensit Nemeaeus arto
pressus lacerto
fulmineus leo
ceruaque Parrhasis,
sensit Arcadii
populator agri,
gemuitque taurus
Dictaea linquens
horridus arua.
morte fecundum
domuit draconem,
uetuitque collo
pereunte nasci,

geminosque fratres
pectore ex uno
tria monstra natos
stipite incusso
fregit insultans,
duxitque ad ortus
Hesperium pecus
Geryonae spolium triformis.
egit Threicium gregem,
quem non Strymonii
gramine fluminis
Hebriue ripis
pauit tyrannus —
hospitum dirus
stabulis cruorem
praebuit saeuis —,
tinxitque crudos
ultimus rictus
sanguis aurigae.
uidit Hippolyte ferox
pectore a medio rapi
spolium et sagittis
nube percussa
Stymphalis alto
decidit caelo.
arborque pomis
fertilis aureis
extimuit manus
insueta carpi
fugitque in auras
leuiore ramo.
audiuit sonitum
crepitante lamina
frigidus custos
nescius somni,
linqueret cum iam
nemus omne fuluo
plenus Alcides
uacuum metallo.
tractus ad caelum
canis inferorum
triplici catena
tacuit nec ullo
latrauit ore
lucis ignotae
metuens colorem.

te duce succidit
mendax Dardaniae domus
et sensit arcus
iterum timendos,
te duce concidit
totidem diebus
Troia, quot annis.]

Iam quam multiformes fuerint in metris Latini nemini opinor erit obscurum. quodsicui ne haec quidem satis ampla uidebitur esse artis uarietas, denuo excutiat metricos ueteres quaeratque, quae illi diuersorum afferunt numerorum exempla, ab ipsisne sint ficta an sumpta de poetis. quod haud ita difficile poterit diiudicari. et maxime quidem omnium opus erit harum rerum existimatorem penitus esse imbutum Vergilii et reliquorum, unde sumunt sua grammatici, poetarum cognitione, statim ut appareat, sintne ista ex horum uersibus conficta necne, dein illud uidendum, an sint nimis inepta sensu, quam quae a poetis profecta esse possint. ceterum potuit fieri, ut uno alteroque horum metrorum, praesertim abstrusis, usi sint Laeuius ac Serenus et ut quisque horum simillimus. nec tamen est operae mihi in minutiis immorari, cum uix summae rerum sufficiam.

III.

LIBER SECVNDVS.

EXPONVNTVR SVPTILIORES QVAEDAM PEDVM OBSERVANTIAE.

Iam magna copia metrorum Graecanica arte compositorum prolata eorumque origine et usu modice percursis perlustrauimus quidem, ut ita dicam, eius uelut aedificii quod uisuri eramus spatia ac parietes, firmos sane et duraturos, sed tamen, nisi accedat cura et sollertia, nec aptos satis tantis laboribus et impensis nec iucundos oculis et dignos cognitu. itaque ne aut nihil egisse uideatur Ennius qui primus rem metricam Latinorum nouauit aut plurimum ei qui doluerunt non modo quod Plauti sed quod Aboriginum tam cito periere numeri, iam carminis Latini suptiliores quasdam regulas insequentibus deinceps exponemus libris. neque enim licentias dixerim, cum quae uidentur esse exceptiones etiam sint habendae legum instar minus late quidem patentium sed quae et ipsae sint profectae ab illa omnino optinente in rebus metricis iudicii sobrietate et elegantia, qua uel Graecos superauere Romani. etenim quod facete dixere homines ingeniosi in tragoediis Sophoclis inesse aspera quaedam et incongrua non re sed specie, quippe quae teneantur maioris quadam concinnitatis et consonantiae lege, id iure optimo statui licet de metris dactylicorum Latinorum. possis etiam horum imaginem globi figurae adsimilare, cuius circuitus et spatia undecumque orinnda semper in se redeunt et cuius incisionibus uariis utique circuli, quae perfecta et ipsa formast, efficitur species.

Sed et haec et siqua uere exceptionum instar sunt habenda, simul diuersa poetarum aeque bonorum isdem de rebus placita septem potissimum contineri uidentur causis. — quarum prima uenit ab ipsa ratione metrorum et secreta elegantiae lege altera a

uocabulorum quibus utuntur poetae plerorumque condicione tertia ab sensuum ui seu proprietate qua aliquando inuertuntur leges uersus quarta a progressu quem in arte faciunt subinde poetae quinta a nouitate metrorum sexta ab optimorum exemplorum quorum praeualet auctoritas differentia septima a diuersitate carminum. de his iam momentis omnibus cum cura exponendum.

Itaque cum prima potissimaque lex sit uersus Latini — nam apud Graecos non perinde seruatur — ut cuiusuis ordinis metrici finis proprios sui referat numeros, at initia ferme habeantur indifferenter, iam apparet sponte his ob illud ipsum maiorem euenire libertatem. constat autem finis ordinis in medio uersu desinentis singulis fere pedibus, at in ultimo duobus aut uno ac dimidiato. praeterea dignissimum memoria legitimo quodam progressu et intendi et imminui diuersarum partium licentiam, ita quidem ut priores loco etiam libertate sint potiores. ueluti in hexametro dactylico semiquinaria caesura praedito secundi et tertii semipedum, quibus prior ordo concluditur, minus firmiter obseruatur norma quam quibus posterior pedum quinti ac sexti. porro primus dactylus cum dimidiato proximo etiam agitat facilius quam cum tertii parte altera quartus. uerum haec in uniuersum cum habeant rectissime, ne tamen errorem trahant, duae res erunt monendae. primum enim nullius ne primae quidem sedis tam eximia potest esse licentia, ideo principales uersus rationes et aeternae leges elegantiae ut migrentur. deinde potest fieri aliquando in mixtis metris, ut nullo pacto, ne si ipse quidem uelit Iuppiter, partes securius habitae prorsus possint percipere libertatem permissam ipsis. quod ubi euenit, legitime transfertur licentia ad proximum uersus membrum, illi quod melius conueniat. contra pedes seueriori alias obnoxii normae est ubi ob certas et non mutabiles ipsorum leges, qualis est ut puta quinti in hexametro dactyli, exceptionibus talibus pateant, quibus propria eorum qualitas efficiatur. at a quantitate metrorum et pedum substantia regulae prouenere tales. primum quo quis longior est uersus, eo plures admittit exceptiones, illam quidem ob causam satis apertam, quod in talibus si cui parti insit asperitas, ea reliquarum aucta elegantia compensari quasi potest et dilui. porro licentiae a pedum proprietate descendentis hic est modulus, plus ut habeant libertatis dactyli et anapaesti quam trochaei et iambi his autem minus etiam mixta genere numerorum utroque, horum tamen ut

uariae partes pro diuersitate rythmorum differentes normas optineant. ceterum et eorum uersuum, qui uno eodemque perpetuum continuato pede decurrunt, intenditur seueritas, tum cum excluduntur seu necessitate siue arbitrio numeri ei, quos legitime permutare permissumst. quale habes Catulli metro hoc 'phaselus ille quem uidetis hospites' et Sereni tali 'inquit amicus ager domino', e quibus alterum solum dactylum, iambum solum recipit prius. namque ea omnino apparet norma auctorum Latinorum satis quidem notabilis ceterisque eorum rationibus congrua, quo magis tenelli sint ac laboriosi uersus, eo accuratius ut colantur. scilicet aliter primam compositionis elegantiam uelut degenerare existimarunt.

Deinde late patens uenia uerborum, quibus constant uersus, spatio ac proprietate oritur. ac primum quidem liberius habentur uoces plurimo usu communis uitae tritae et necessariae, quales sunt coniunctiones praepositiones aduerbia pronomina et ut quaeque pars orationis proxime accedit ad istarum frequentiam. — porro perspicuas ob causas facilius migrantur leges carminis in multarum syllabarum quam unius ac duarum uocibus. nam quo erit minus apta numeris pars orationis, eo citius excitabit licentias, metro quibus accommodetur. ceterum non inepte addemus in adsignanda difficilioribus uerbis libertate natiuae tantum eorum formae habuisse rationem Graecos ac Latinos, non eius quae elisione admissa posset euenire. — sed plurimum ab Homeri et Hesiodi inde aetate usque ad Michaelem Psellum et Eugenium Toletanum uersibus uenit libertatis a nominibus quae dicuntur propriis. nam cum optimo quoque tempore eorum uel quantitatem uel formam immutare haberetur nefas — unde Tullius in oratore [45, 153] nihil dicit immutandis uocabulis licentius esse factum, quam quod hominum etiam nomina contraxissent [cf. etiam Meinek. in ed. Babrii p. 139] —, et cum laetarentur tamen istis poetae ueteres saepius quidem illi multo usi quam nouelli, uaria artificia ac praestigias inueniri oportuit, difficiliora ut aptarentur uersui. unde exiguo temporis spatio pariter ad omnia euagatast licentia. ceterum quod tam anxia cum cura habuere uocabula propria ueteres, non poterit mirum esse reputantibus iam a saeculo XVII philologos qui Latine sua componunt tanto cum amore nomina sua barbara plerumque ori Romano et incongrua seruare, iam ut uerendum sit, ne ineptus habeatur ille, ineptis qui placitis eat obuiam.

igitur primum quidem non erit mirum ipsa nomina ea quam dixi leuari libertate, simili tamen ac pari fruuntur uerba proxime praecedentia. et huius quidem usus innumera prostant exempla, sed nec illud insolitum subsequentem etiam uocem illa de causa haberi licentius, neque desunt uersus, qui cur recedant a solita arte plane nulla apparet causa, nisi quod inest in eis quocumque loco positum nomen proprium. ceterum eodem ferme ob similitudinem rationum fruuntur iure cuiuslibet generis uoces externigenae, porro in didactico carmine nomina proprie ad argumentum spectantia quasi technica, qualia habes apud Manilium et Germanicum astrorum, medicaminum apud Serenum. ita licentias saepe metrorum eleuant christiani rerum sacrarum uocabulis additis.

Aliud genus libertatis uenit carmini ab oratoria sermonis concitatione grauique affectione animi. a qua remissior ars et numeri neglegentiores adeo non sunt alieni, interdum ut plurimum faciant ad elegantiam uersus. quippe deuincit nos nescioqua iucunditate forma sine cultu decens, cum praesertim minime fallat prudentem lectorem in simplici isto habitu longe maiorem inesse artem quam alibi uel in ornatissimo. ceterum cum plerumque sermo commotior indicetur uerborum aut cumulatione aut iteratione siue oppositione, dabitur uenia, quod dicam plerumque satis improprie ab hisce ortas insolentias metricas. proximum autemst, quod oratione uel leni ac mediocri a multarum rerum enumeratione quaedam uersui oritur libertas. praeterea intellegitur minime oportere poetas cultas ipsis leges seruare in aliorum uersibus afferendis, neque sine causa factumst, quod auctores christiani locos de scriptura sacra petitos carmini ut accommodent minus aegre patiuntur alioqui placitas metrorum normas immutari.

Et haec quidem exceptionum genera ipsa natura metri et orationis oriuntur. alia uero a progressu artis seu defectu temporumque interuallis et diuersitate poeticorum operum repetenda. qua in re eo potiores Latini, quod apud ipsos pleraque metra legitimo successu uenere ad summum, cum apud Graecos qui uetustissimi auctores artis idem sint et perfectissimi. praeterea posterioribus horum offecit nimia Homeri auctoritas, quem sane ea ueneratione sunt prosecuti quam εἰδωλολατρίαν uocant ipsi. contra apud Latinos rarissime euenit, ut simplicis elegantiae leges prae Ouidii Vergiliique placitis spernerentur.

Ac primum quidem monendum diuersas pro temporum uarie-

tate singulis poetis adfuisse rationes metricas. quamquam huius rei indicium lubricum saepe et ambiguum, primum quia plerorumque auctorum ueterum libri quonam ordine fuerint compositi ignoratur, tum quod omnino ueterum scriptorum prima ars a summa non eo distat interuallo, quod optinet ferme initia inter ac fines neotericorum. scilicet similes interpretum eorum quos dicit Lessingius edere conuersa e linguis externigenis scripta non habentes sed parantes sermonis alieni peritiam adulescentuli nostri qui carmina factitant reperiuntur sudantes laborantesque in studiis προπαιδευτικοῖς metrorum eis, quae ut ad omnium pariter eruditionem liberalem pertinentia scholae attribuerunt ueteres. — ceterum licet uerum sit poetas quo longius procedant in studiis eo magis artem intendere, est tamen ubi contrarium eueniat. et similiter accidit, ut cultissimi aeui auctores amore antiquitatis siue studiorum proprietate indigna aequalibus sustineant inserere carmini.

Nec non refert permagni nouisne an pridem uulgatis numeris utantur poetae, quoniam ut in uita ita in arte plurimum iuuamur exemplis, quae uel si mala sunt ad uerum inueniendum uiam immuniunt. quid ab omni parte si perfecta? at per uacuum incedenti cum gloria intendi pericula. quare non est mirum antiquiores Romanorum plerumque inelegantia lapsos, donec stabilitis metricae Latinae legibus ad firma eademque sana placita se uerterunt insequentes.

Sed ubi corroborata post medium a. u. c. saeculum octauum Latini uersus arte non inuenire sed retinere parta interfuit plerorumque, tum uero quasi tumultu facto in diuersa discessere poetae pro uarietate ingeniorum alius aliud Augustei aeui exemplum imitatione prementes. iam maxima apud recentiores auctoritate uiguere Vergilius et Ouidius. quippe hos non similis modo materiae scriptores, sed omnes quotquot fuere poetae quam religiosissime obseruarunt. quare haud ita magnum locum melicorum uersuum et satiricorum arte constituenda optinuit Flaccus, nec multum ualuit exemplo Tibullus. Propertium qui sint secuti non inuenio. sed grauissimum inde uenit discrimen poetis posteris, quod quidam Vergilium, Ouidium alii magis probauere ducem. etenim alieni longe fuere plerique Latinorum ab illa prauitate, qua nunc illum solum unicumque principem artis Latinae alterum suptilem opificem uersuum existimant. et quamquam uterque sectatores habuit sat multos, tamen potiores aemulati Oui-

dium, ut uel hinc possit concludi illius magis normam gentis Romanae indoli et suptilium ingeniorum proprietati conuenire. scilicet Nasonem secuti fere Lucanus Homerus Latinus Calpurnius auctor ad Pisonem Seneca qui scripsere priapea Palladius Nemesianus Claudianus Rutilius Merobaudes Auianus Sedulius Arator Boethius et plerique poetarum minorum, Vergilio accessere Persius Valerius Statius Silius Ausonius Prudentius Paulinus alii. quidam ambigui ut Manilius et Iuuenalis aut pro uarietate operum diuersi ut Corippus. ceterum uel qui magis probauere Maronem longe pluribus rebus Ouidium quam quibus hic placuit illum obseruauere. iam ultimorum temporum homines quod quasi expertes legum et Enniis Luciliisque similes fuisse credunt uulgo, turpissimo illud errore optinuit. adeo enim illi non alieni ab arte, ut potius artificiis plerumque labantur, nec metrorum hercule pedumque diuersitate neoterici differunt ab antiquis sed potius prosodiae et quantitatum. quod non erit mirum reputantibus quanam religione illi grammaticorum aequalium praecepta absurda plerumque sed difficilia sint executi.

Praeterea pro materiae diuersitate et spatio librorum oriuntur metrorum licentiae. quippe apparet non decere admitti breuiculo carmine quod multis milibus uersuum constante. nam tale dum legimus animus ad finem properans seu deuinctus uarietate rerum non nimium immoratur taxandis uitiis, at pusilla elegantia et suptilitate, quibus solum ualent uirtutibus, praestare oportet. tum similis ambitus opera multum interest quodnam ad genus poesis pertineant. quippe graues et seueri cum tragicis et melicorum plerisque epici, remissi satirici et ut quisque humilia sectatus, medii didactici et elegiaci. hinc pro uarietate librorum diuersa normae firmitas. fatendum tamen magis id pertinere ad Graecos, quibus ipsa natura adesset longe maior et artis uarietas et copia licentiarum. at Romani ab antiquissimo inde aeuo uel hac parte seruantes indolis proprietatem similiter omnes studuere elegantiae et concinnitati.

His praemonitis non potest fieri quin pleraeque omnes seu leges siue licentiae metrorum recte percipiantur. nam a casu et arbitriis pauciores etiam et tenuiores repetendae res in uersibus Latinis quam in Graecis. contra quod saepe insolentias metricas simul compluribus rationum earum de quibus exposui uidemus excusari, eo acrior eueniet prudentibus admiratio ueterum poeta-

tarum, re ipsa qui comprobarint ingeniis probe institutis legum firmitate inniti uel licentias. praeterea cognitu haud absurdus mos poetarum Romanorum, epicorum maxime, multiplicandi uno uersu licentias, qui cum specie prima possit uideri solitae horum normae esse dissimilis altius introspicientibus apparet congruens omnino et aptus. quippe eam haud dubie ob causam descenderunt ad placitum istud uates illi, quod unius carminis exiguitate spatii facile dilabentis e memoria insolentias cumulatas iam plurimorum uersuum integro decore cum compensarent facilius potuit seruari seueritatis Latinae proprietas quam dispersis passim licentiis.

Igitur nihil iam obstat, quominus propriam huius uoluminis materiam uarias diuersorum pedum formas ordine expediamus, quod eo laetiore animo opus aggredimur, cum non alia in re plenius appareat insignis Graecorum et magis Romanorum suptilitas et elegantia.

Et primum quidem omnium rationes apponam metricas, quarum, cum sint certae firmaeque, ueluti fundamento niti oportebit omnem huius libri disputationem. — itaque prima lex est haec, ut dactylici pedis arsis numquam possit solui. — etenim quod Hermannus [el. d. m. p. 347] statuit ab Ennio aliquando migratam esse hanc regulam, iure existimo id improbari Ritschelio [de tit. Mumm p. 14]. quamquam nec de Ennii placitis tam aperte constat, ut res sit certa, et displicent non unam ob causam quae Ritschelius de struendis uersibus quos Hermannus attulerat est commentus. ueluti, ut pauca perstringam, exemplum tale

capitibus nutantibus pinos rectosque cupressos,

quod Gellius et e Gellio petitum adfert Nonius, ille quasi ex tragoedia sumptum cum componat tetrametris trochaicis ita

capitibus nutantibus
ibi pinus rectosque cupressos,

primum erit quaerendum quonam fretus testimonio binis dispescat metris quae Gellius uno uersu comprensa fuisse asserit [XIII, 21, 13]. porro etsi minime probabilest fragmentum illud ex annalibus esse sumptum, non tamen id Gellii, quod uidetur illi, significatur uerbis, qui postquam haec subiecit de mutato genere cupressus 'firmior ei credo et uiridior sonus esse uocis nisus est rectos dicere cupressos quam rectas' cum addat talia 'contra uero idem Ennius in annali duodeuicesimo aere fulua dixit non fulvo', illud contra satis aperte

constat pertinere ad diuersitatem generum masculini et feminini, non ad carminum. ego uero, si modo fas erit tali uiro ire obuiam, non tragici magis quam epici carminis grauitatem sustinere uersum illum puto sed ex saturis esse sumptum et sotadicum uno pede uitiosum errore quodam Gellii, cum talis sit profectus ab auctore

capite nutantis pinos rectosque cupressos.

at in altero eiusdem Ennii exemplo quod est tale

melanurum turdum merulamque umbramque marinam

omnibus quae prolatae sunt de eo opinionibus mihi uidetur probabilius accentus ui et metrica necessitate ab illo melanuri uocabulum uulgari usu tritum choriambica efferri mensura. ceterum quamquam de Ennii rationibus non prorsus constat, non tamen hercule dignumst grammaticorum refellere ludibria, qui in Vergilio ut acephalos uersus et miuros etiam proceleusmaticum pedem uel anapaesticum admitti pro dactylo asserunt, cum nullo tempore defuerint qui probarent ueriora [cf. Seru. ad georg. I, 397].

Altera regula numerorum extat Latinorum, ut dactyli thesis semper possit cogi in unam longam in ordine tribus pedibus integris non minore. ceterum quo minutius erit metrum eo magis exclusus est spondeus. nec uero ullo pacto credibilest trochaeum umquam aut creticum posse poni pro dactylo. a qua norma exempla aliena quotquot feruntur apud antiquissimos auctores sedulo iam emendabimos. itaque in fragmento Enniano [ann. 481]

uiresque ualentes
contudit crudelis hiemps

illud contudit, etsi diserto firmatur testimonio Prisciani, qui dicit eius produci paenultimam, haud sane uerum esse concedemus. etenim ut largiamur admissum aliquando ab Ennio trochaeum pro dactylo, tamen non aliter existimabimus id esse factum quam in uerbis auerso Apolline natis et heroico metro ineptis. sed cur poneret ille uiolata lege creticum contudit, cum esset in promptu seruata dicere aut contunsit aut contutudit? quod ipsum uenisse ab Ennio omnibus spondebo pignoribus. quis autem ignorat et Priscianum et alios grammaticos haud raro falsis et corruptis uti testimoniis? quare et hoc loco lapsus est Vahlenus et peius alibi. nam cum apud Charisium [103] haec legantur uerba Ennii

fici dulciferae lactantes ubere toto,

illi tam aperta omnia sunt uisi, ut silentio praetermiserit. nos

tamen, priusquam erit explicatum quonam pertinere ac spectare possint ubera arboris, scribendum esse existimabimus subere. ita enim dixit Auienus in periegesi [1189] 'pingui dependens subere glando'. similiter idem Vahlenus in eis quae apud Nonium leguntur ex annali quinto 'homines Burrus uti memorant a stirpe supremo' pro primo uerbo aperte corrupto cum posuerit quod legitur apud Festum nomine, ne ipse quidem, modo uerum fateri uelit, hoc negabit esse ineptum. etenim quis credet regem longe clarissimum et cuius facta uiua etiamtum uigerent apud Romanos ita esse significatum ab Ennio ut solent ignobiles homines et plebeii. tam fuit hoc absurdum, quasi si dicas oratorem nobilissimum Romanorum Ciceronem quendam seu nescioquem. est uero scribendum numinis, quod quo pertineat norit qui sciet ab Ennio Pyrrhum identidem uocari Aeaciden. — e Lucilii uersibus primum eos dabo emendatos quibus in l. VIIII agitur de littera r [Vel. 2214]. sunt autem ita constituendi

r. nonnullum habet hoc cacosyntheton utque canina
sic lingua dico 'nihil ar me'. nomen ab hoc est
illi.

in quibus quod scripsi de propria coniectura, ut minora mittam, 'r. nonnullum habet' — uulgo fertur 'ar non multum abest' — non sententiae minus necessitate coactus posui quam metri. praeterea illud tibi quod legitur apud Putschium post primum alterius uersus uocabulum abest ab utroque codicum Vaticanorum. porro ex eiusdem Lucilii libris antiquitus cum sint tradita talia

armamenta tamen malum uel omnia seruo
publica lege ut mereas, praestost tibi quaestor
scit poeticon esse. uidet tunica et toga quid sit
praetor noster adhuc quam spurcus ore quod omnes
extra castra ut stercu' foras eiecit ad unum,

haec simplici ueritatis lege ita sunt reconcinnanda ut ponatur 'uelum omnia' 'publicitus lege' 'scit poleticon' 'ad hoc quam spurcu' sit ore', ut suppleatur edam uel narrabo. ceterum ut haudquaquam similest ueri admissos esse ab antiquissimis pro dactylico numero pedes alienos praeter spondeum, ita certo constat apud nullum insequentium ne apud eos quidem qui ultima aetate uixerunt tales inueniri. scilicet quantumuis inepta magistrorum placita iudicii probitate declinarunt poetae, ut rationum peruersitas sicut fieri solet uiuido usu mitigaretur. quare ubicumque apud christianos trochaei aut cretici positi sunt pro dactylis, non metrorum hercule sed

quantitatum inuersus est modulus sicut in illis Homericis *δῶρα παρ' Αἰόλου* et *Πύθιον καλέουσιν.* de qua re l. VI exponetur.

Tertia sancitast ea norma, ut in numeris anapaestico iambico trochaico choriambico continuum decurrentibus pro arsi plerumque possint poni binae breues.

Quartum seruatur ut spondeo uice iambi seu trochaei posito numquam possit succedere anapaestus nisi in ordine plene iambico uel trochaico. nec uero in tali promiscue sed artis finibus circumscriptus adhibetur idem. ceterum plane sicut in dactylico numero euenit, ut quo breuius sit metrum iambicum uel trochaicum eo difficilius admittantur formae alienae.

Quintum optinet ut in uersuum fine ultimi tres semipedes principalem propriumque rigide conseruent numerum. quam ad legem iuuandam nec non ob certam rationem musicam ultima metri syllaba pro communi habetur et indifferente.

Igitur in heroico uersu uel pueris notumst optimam constare rationem numerorum mixtis dactylis et spondeis, par ut utrique cedat numerus pedum. qualis si spernitur aequabilitas aut fractus nimis et mollis aut durus et onustus existet rythmus. est tamen ubi laudi cedat per opportunitatem, quod ratione culpetur. tales habes facetias noto Schlegelii carmine de hexametro et haud paucis exemplis Maronis, cuius sunt decantata illa

illi inter sese magna ui brachia tollunt
quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

quae sic est imitatus Corippus [ioh. V, 19]

socium terroribus agmen
exagitat solidum quatiens leuis ungula campum.

magis laudanda illa, quae quaternos habent spondeos siue dactylos. ueluti eiusdem Maronis sunt haec

ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
non aliter quam qui aduerso uix flumine lembum.
idem omnes simul ardor habet. rapiuntque ruuntque.
sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.

quin in partibus uersus idem Vergilius inuenitur dactyli spondeique sapienter digessisse uices uelut in his

uix ea fatus erat, cum circumfusa repente
scindit se nubes et in aethera purgat apertum.

quibus apte depinguntur et discedentium nubium morae et puri iam aetheris serenitas. non minus bene habent illa

quae grauidam late segetem ab radicibus imis
sublimem expulsam eruerent.
huic geminae nares et spiritus oris
multa reluctanti obstruitur.

est ubi complurium uersuum spatiis tales facetias continuet auctor idem. prout est in primo georgicorum [356]

continuo uentis surgentibus aut freta ponti
incipiunt agitata tumescere et aridus altis
montibus audiri fragor aut resonantia longe
littora misceri et nemorum increbrescere murmur.

quibus similia habes cum alia plurima tum quae initio aeneidos leguntur tempestatem describentia [81—91. 102—123] quaeque in altero eiusdem uolumine de turri in Danaos praecipitata [460—467]. neque ulla maior est laus Vergilii quam quod istis frequentissime pariter ac felicissime usus est facetiis. quae non perinde placuerunt insequentibus quibus magis magisque suptiliora discrimina pedum temporum spatio aequalium sunt omissa. — praeterea quod creditur apud Ennium et Lucilium pleraque abundasse spondeis, cum minime probetur illis quae iam extant maioris spatii fragmentis, ex quibus solis cum quadam probabilitate diiudicabimus normam illorum, dubito plerumque, an eo tantum differre ueterum artem a posteriorum dicam, ut illi, dum uersus conficerent, sine lege nunc dactylos nunc spondeos continuando, parum uideantur curasse concinnitatem numerorum et uarietatem. — sed enim sermo Latinus cum plures multo longas habeat Graeco, ob id ipsum uersus dactylicos oportuit duriores euenire apud Romanos. nam et apud Vergilium pleraque scatent spondeis, neque Ouidius et qui proximi ei artis perfectione aut noluere aut potuere uolubilitatem Graeci carminis exaequare, sed satis habuere longioris pedis ac breuioris fere exaequasse usum. ceterum omni aetate pariter mendosum existimarunt illud spondeis solis constare numerum. quare post Ennium qui classicorum idem admiserit non inuenio praeter unum exemplum Catulli 'qui te lenirem nobis neu conarere'. at nec illud satis habet recte quod quidam homines docti tribuerunt Lucretio 'an caelum nobis natura ultro corruptum', et peius quod dixere nonnulli spondiazontem esse Vergilii talem 'aut leues ocreas lento ducunt argento', cum breuem esse primam in ocrea probetur Diomedis et Plotii testimoniis [495. 2627]. at Terentianum, quod de primo qui dictus est in antiquitate hexametro illo *ἰὴ παιὰν ἰὴ παιὰν ἰὴ παιὰν* sic retulit

spondeis illum primo natum cernis sex,

non neglegentia potius quam consilio illud euenisse nemo non uidet. deinde eodem uitio abstinuerunt ferme christiani. tamen legi apud Auienum [descr. orb. terr. 1204]

et procerarum fluctu uernat palmarum.

et porro apud Iuuencum [h. e. IV, 233. 630]

certatim duplis auxerunt incrementis.
proiecit templo tum detestans argentum.

ita Drepanius [LXI, p. 1087]

te muti pisces te uirosi serpentes.

iam ut cetera exsequar, satis certo potest demonstrari illud aequabiliter distribuendis numeris si penthemimeris adsit hexametro debere esse primum pedem et secundum et quintum dactylicos ceteros spondiacos. unde egregius quisque uersificator sic opus suum solent ingredi ueluti Maro aeneida metamorphoses Ouidius Lucanus pharsaliam. praeterea magis placet secundi et quarti quam aliarum partium inuerti numeros. at in hephthemimeri mutata paullulum ratione quae locata sunt ante caesuram cum debeant potius anapaesticum quam spondiacum numerum referre, thesis secundae et tertiae iam inuertitur condicio, quali metro Vergilius orditur georgica

quid faciat laetas segetes, quo sidere terram.

hinc si quintae sedi addatur spondeus cum exaequandis numeris praecedens utique debeat habere dactylum, apparet non posse bene poni paenultimo loco pedem breuiorem nisi ut adsit metro semiquinaria. has autem perfectorum uersuum species quo quis fuit praestantior arte eo magis optinere uerumst. quibus iam omissis pauca adiiciemus de spondeo quinto. quem cum necessitate carminis uicti identidem adhibuissent antiquiores, alia longe poetis placuerunt nouellis, qui aemulatione Alexandrinorum eo iam sunt usi pro ornamento: ueluti Catullus spondiazontem finem hexametri cum alibi satis frequenter admittit — abstinuit tamen eodem in hymenaeo — tum in epyllio de Peleo et Thetide, quod paullo plus CCCC habet uersus, uiciens quinquiens non minus, semel etiam ternis continuatis exemplis, cum alibi ne bina quidem apud Latinos inueniantur iunctim propagata. porro similes fuisse rationes aequalium Catulli probatur noto Marci Tullii ioco, qui in epistulis ad Atticum [VII, 2. 1] 'ita belle' inquit 'nobis flauit ab Epiro lenissimus Onchesmites. hunc σπονδειάζοντα sicui uoles τῶν νεω-

τέρων pro tuo uendita'. ita Cinna 'atque imitata niues ridens legitur chrystallus'. iam Vergilius et Ouidius ratione exemplorum sed non perinde frequentia similes fuerunt Catulli, quem magis aequauit auctor Ciris. at ceterorum Augusti tempore qui uixerunt haec sunt placita. habet Propertius spondiazontes sed raro, cum Tibullus simplex poeta et porro culicis auctor omnino facetiis talibus careant. Horatius ex uarietate operis diuersus. nam cum in melicis et iambicis pro tanta hexametrorum paucitate satis multa habeat exempla spondiaca, eadem in saturis et epistulis praeter unum [a. p. 467] omnino deuitauit. quod nequis casu factum esse credat. etenim numeri spondiazontes cum aetate eius solerent adhiberi ambitiosa iactantia eruditionis et cupidine uersuum molliculorum, iam non potuerunt non abesse a satirici carminis simplicitate et cruditate, licet alioquin hoc abundet spondeis. haec autem quae modo exposui placita, quin etiam Tiberio ac Nerone imperitantibus ualuerint non est dubium. itaque Persius cur nullos spondiazontes admiserit satis aperte declarauit uersu quem unicum habet spondiazontem. namque eius in prima satura haec leguntur [92]

sed numeris decor est et iunctura addita crudis,
claudere sic uersum didicit 'Berecyntius Attis'
et 'qui caeruleum dirimebat Nerea delphin'
sic 'costam longo subduximus Apennino'.

in his quod primo loco posuit Persius 'Berecyntius Attis', uidetur ab eo irrideri epicorum mos ubique rebus personisque uel notissimis addendi epitheta uasta et sonantia, inania tamen. secundo uersu carpitur quod frequentissimo usu ponuntur a poetis Latinis deorum nomina pro earum rerum quarum curam habent ac tutelam. de qua re nuper Lachmannus [p. 164] et mox Hauptius [prooem. Berol. 1859—1860. p. 8 sqq.] exposuerunt. nam cum quaedam ex illis tam uulgaria facta essent, etiam in pedestrem sermonem ut transirent, puta Bacchus pro uino seu pro fruge Ceres uel Venus pro libidine dicta, alia tamen subinde prouenerunt uel poeticae orationi nimia. qualia sunt cum Ouidii exempla quaedam et Statii tum hoc Silii [V, 404] 'ille sibi longam Clotho turbamque nepotum crediderat' et Columellae [217] 'ista canat maiore deo, quem Delphica laurus impulit', cum modeste dixerint Horatius [c. IV, 2, 33] 'concines maiore poeta plectro Caesarem' et Nemesianus [63] 'mox uestros meliore lyra memorare triumphos

accingar'. ceterum non memini apud dactylicos me legere talia qualia habes usu contrario isti in uersu hoc comici nescio cuius 'persuasit animo uinum, deus qui multost maximus', et porro apud alium aeque ignobilem 'uinum precemur, nam hic deus praesens adest'. quod fragmentum ut alia plurima Ribbeckius per neglegentiam omisit. sed ut redeat in uiam oratio, in tertio exemplo non tumorem solum dictionis irridet Persius sed pariter, id quod plerique animaduerterunt, placitum poetis doctis heroicorum uersuum exitum spondiazontem. bene autem id uerbum in fine uersus collocauit, quo certatim poetae conclusere hexametros [Horatius Seuerus Ouidius Lucanus Silius Rutilius Sidonius Priscianus]. uerum enim uero minimo temporis internallo alia apud auctores Latinos optinuerunt libita. namque uersuum spondiacorum praecipuo modo honore habitorum subito uenit contemptus, iam non ut uiderentur apti doctis potius grauisque materiae carminibus quam leuibus et iocosis. itaque Valerius Flaccus semel habet quinto hexametri loco spondeum [I, 468] nec saepius Sammonicus [752] quinquiens Claudianus [X, 175. XXVI, 337. XXVIII, 178. XXXIII, 104. LIV, 1] sexiens Silius [II, 314. IV, 225. 744. VIII, 432. 623. XV, 776] septiens Statius, numquam in achilleide [theb. IV, 5. 227. 298. V, 288. IX, 305. XII, 630. silu. V, 3, 165]. abstinuere autem exitu spondiazonte Symposius Nemesianus Merobaudes Palladius laudator Herculis Boethius denique Terentianus praeter uersum supra prolatum. at scilicet diuersa longe Martiali placuere ac Iuuenali, e quibus ille deciens quater hic triciens quinquiens non minus habet uersus spondiacos. et haec quidem classicorum ratio. at ex christianis abstinuere et ipsi numeris istis Auianus Luxorius Maximianus Arator Eugenius quibus accedit Sedulius. nam quod semel alienum exemplum extat tale [c. p. V, 196] 'scribitur et titulus hic est rex Iudaeorum' inde excusatur quod biblicis uerbis migratur regula. itaque quod Priscianus semel et ipse talem admisit uersum [339]

limite quam recto mediam secat Apenninus,

ueniast parata a nomine proprio. at ex ceteris segregandus est Auienus, qui, ut omnino duriores habet numeros, in libro periegesis qui constat hexametris circa MCCCC admisit uersus spondiacos XXVIII, magis hercule similis Catulli et aequalium huius quam ultimae imperii aetatis hominum. etenim quamquam ab his subinde sunt adhibiti spondiazontes, non tamen binorum trinorumue uersuum exceptione tot milium obseruantiae migrabuntur. neque

dubiumst, quin quod olim eximia elegantia crederetur florere quarto quintoque post Christum saeculo alienum ab arte sit habitum. unde Beda magistelli nescio cuius ridiculo usus inuento dicit [2372, 3] r litteram solutionem recipere, ut quasi inculcata uocali his uersibus 'palpitat atque aditu spiraminis intercepto' 'sic prope sic longe sic culmina respergebat' pronuntiandum sit intericepto siue resperigebat et similiter in aliis, quoniam non sit moris in quinta regione uersus heroici ponere spondeum. tum quartum pedem dactylicum optinendum, si proximus sit spondeus, supra iam indicaui. quam normam secutus Lucretius [Lachm. p. 150]. at enim Catullus et cantores Euphorionis nec in hac parte externigenae immemores aemulationis non raro et quartam sedem fecere spondiacam, quod Vergilius et Ouidius ambitioso retinuere studio quamquam rarissime. quin ne Ciris quidem auctor promiscue admisit. nam quod inuenitur apud hunc 'Nereidum matri et Neptuno Aegaeo', non est ipsius uersus sed Vergilii. uerum enimuero ex insequentibus poetis classicis nemo idem ausus est. nam quod semel habes apud Iuuenalem in fini uersus 'inaequales berullo' [5, 38], satirica id licentia excusatur. at e christianis Prudentius semper pede quarto habet dactylum. quae migratur identidem obseruantia ab Auieno Iuuenco Paulino Drepanio. medii Ausonius et Sidonius qui singulis uersibus regulam deseruerunt hisce 'nodosas uestes animantum Neriuorum' et porro 'Sylla Asiagenes Curius Paullus Pompeius'. hactenus de heroici uersus numeris.

Deinceps in pentametri posteriorem partem spondeum admittere ne christianorum quidem ultimi, quorum ego libros legerim, sustinuere. in priore haud obscuram ob causam ea perfectissima iudicatur esse species, qua initio metri dactylus collocetur, at sequenti parte spondeus ueluti hoc uersu habes Nasonis 'nil mihi rescribas. attamen ipse ueni'. — porro in tetrametro dactylico non catalectico hanc haberi optimam formam qualis est 'et remeare licet soli tibi', et hexametri similitudine demonstratur et mirifico exemplo Prudentii. nam hic in metro tali [p. st. 12. 13]

soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni

eo progressus est curae, ut in uersibus ferme CXXXX semper eam tetrametri dactylici normam quam modo declaraui optineret. ceterum aliter res habet in uersu simili, cuius est ultimus pes catalecticus. hic enim extremis potius quam primoribus hexametri

partibus cum uideatur ortus — nam et incisione certa caret —, exulat a tertia sede spondeus, nisi semel Horatius dixit ita 'mensorem cohibent Archyta'. ceterum ea optime habetur species, qua primus tertiusque pes dactylico, secundus constet numero breuiore. — iam secundum ea quae supra disputaui euenit, ut in trimetris hypercatalectis Serenus Terentianus Ausonius — non Pomponius — excluderent spondeum, neque mirabimur iam quod a secundo pentametri hemistichio aut a uersu adonio abest idem pes, licet Ausonius, cum tribus carminibus admisisset dimetros hypercatalectos, eo quo solum hoc continuauit metrum [prof. Burd. 10] spondeos dactylosque promiscue habuerit. praeterea Terentianus a primo pede uersus 'qui serere ingenuum uolet agrum' noluit alienum spondeum, ut ipse tamen testetur amare hoc metrum magis fieri dactylicum.

Iam de anapaesticis metris dicturo paucis poterit absolui. ac primum quidem adscribam Varronis tetrametros aristophanios quotquot extant omnes, statim ut apparere possit uel stultis, quanto a Plautinis distent interuallo. sunt enim hi

anima ut conclusa in uesica, quandost arte religata,
cum pertuderis aera reddet.
demitis acris pectore curas cantu castaque poesi.
ipsis istis dicite labdae et uinos contemnite uiui,
anticipate atque addite calcar, stultos contemnite docti.
ipsum topper uix liberti sematrati exequiantur.
ipsum auidum uino inuitaui poclis large atque benigne.
Luna expectant Adriam se itiner longum sermone leuare.
non quaerendast homini, qui habet uirtutem, paenula in imbri.

quibus addenda sunt haec

ergo tum sacrae religiosae
castaeque fuerunt res omnes.

quibus triplici epitheto et omissa post illud sacrae copula indicatur latens metrum. et porro

iurgare coepit dicens
'quae scis, age quei in uulgum uulgas artemque expromis inertem?'

binis locis hoc fragmentum affertur a Nonio [182. 230]. quorum altero cum feratur 'quae facis', hoc, quod nullum plane sensum habet, ita placuit Vahleno, ne afferre quidem nominatim ut sustineret illud quod nos posuimus. sed sane nisi hoc sperneret omnino actum erat de uersibus eius quos afferre haud uacat. illud tamen non celabo lectores illum haud dissimilem Themistoclis — nisi

quod hunc Miltiadis tropaea de somno excitauere, Vahlenus sollicitatur propriis — non acquieuisse eis quae initio libri [p. 12] profert de fragmento isto sed iterum arripuisse rem in epimetro [p. 223]. nam totius eius operis eximia diligentia cum aliis rebus apparet tum ea, quod saepe ultima parte rescidit quae primore ac media ipse construxisset. ceterum illud 'age quei' de nostra uenit coniectura pro quo antiquitus traditumst 'atque', sicut in Lucretii primo membranae semel habent iquenem pro ignem [690]. ultimum fragmentum Varronis huc pertinens legitur apud Valerium probum [p. 18 K.] quod pro fide ita constituendum censeo

domus est maxima homulli, quam quinque altitonae fragmine zonae
cingunt, limbus pictus qua bis sex stellimicantibu' signis
altus in obliquo aethere lunae bigas acceptat ⏑ – –
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ postumi cui seplasia fetet.
appellatur a caelatura caelum, Graece ab ornatu κόσμος, Latine a puritia mundus.

e quibus primum quidem uersum, cui praeponi solet illud mundus, quin recte emendarimus haud dubiumst, cum constet testimonio Probi de igni uersus istos esse accipiendos, nec minus ipsius Varronis uerbis pedestri quae sermone subsequuntur appareat nullam ante factam esse mundi mentionem. secundum uersum et quartum grauissime affectos quod non licuit eadem felicitate usis persanare facile ignoscetur, cum praesertim ne Hermanno quidem eosdem expedire contigerit. iam ex dimetris maxime nos aduertent exempla Boethii — nam Luxorii anapaesti et duri nimis et satis feruntur mendosi —, quibus ille a solita alibi plane alienus elegantia secundam dimetrorum resoluerest ausus arsin sicut Laeuius dixit 'corpore pectoreque undique obeso', qualis abest licentia ab Ausonio et Claudiano. at hercule extremi pedis arsis semper mansit integra, praeterquam quod apud Boethium [IV, 6, 20] legitur 'elementa modis ut pugnantia', in quibus ultimum uerbum uix poterit cogi synizesi. — iam pro numero anapaestico spondeum et dactylum receperunt omnes, at non perinde proceleusmaticum. quid quod ne diuersorum quidem pedum partibus effici patiuntur eundem numerum auctores praeter solum Ausonium, qui bis idem admisit [prof. 6, 41. 22, 10]? nam Boethii primo [5, 30] quod fertur 'debita sceleri noxia poena', etiam positionis ut seruetur norma debet scribi 'sceleri debita'.

Restat ut de Senecae dicam monometris, qui et ipsi seueris-

sima lima sunt castigati. nam proceleusmaticum unius pedis instar positum habet numquam, pro binorum partibus raro [Herc. fur. 1064. Herc. Oet. 185. 195. 1883. 1887. Oct. 646. 904]. at concessis pedibus sic utitur, non frequenter ut inueniantur continuati pares. — restant uersus paroemiaci. quibus proprie excolendis multum offecit, quod prima eorum species congruit uersus heroici ei parti, quae post caesuram semiquinariam relinquitur. itaque et Graeci fere hanc seruarunt formam quasi primariam et magis etiam Latini. nam apud hos excepto Varrone, cuius sunt talia 'sanguine riuos compleret' 'munera belli ut praestarem', nemo aut arsin soluere aut molossum in fini ponere sustinuit.

Longe intricatius habent iambici ac trochaici numeri, de quibus curatius iam dicturo primum spondei uicarius usus est tangendus. neque enim aut pedum diuersorum aut metrorum aut carminum eadem fuit condicio neque temporum auctorumue nulla differentia. igitur primi iambici ac trochaici metri inuentores, quo leuarent difficultatem ac taedium carminis, ratione non iam prorsus aperta, ceterum solita utique Graecis iudicii elegantia usi, notis locis admisere spondeum excepta tamen paenultima sede uersuum talium 'ueris et Fauoni' 'tinctus colore noctis'. qua licentia cupide usi Latini abundantia maxime pedum talium, simul quia metra ista ut plurimum longe minore quam dactylica fruuntur libertate. fuit etiam ubi cumulatis spondeis decor et grauitas quaereretur uersui, ut puta in carmine tragico. itaque incertus grammaticus cuius opusculum solet iungi Censorini libro de die natali quod dicit [cap. 14] hunc trimetrum esse tragicum

pro ueste pinnis membra textis contegit,

id quo pertineat alius auctoris aeque ignobilis testimonio docemur [analecta gramm. Endlich. II, 517], qui memorat tragicum esse metrum quod plures spondeos habeat et sit elatius ueluti tale 'o parens antiqua nostrae gentis, Argiuum decus'. apertius etiam rem indicat Acron, ad epodorum Horatii initium qui notat recipere trimetrum tragicum pedes spondeum primum tertium et quintum iambum secundum quartum et sextum, quale sit hoc uersu 'diui potentes ferte uexatis opem'. ceterum quod ex duobus his uersibus priorem omnino omittit Ribbeckius, alterum sic exhibet scriptum 'diui potentes ferte lassatis opem' adhibito solum Victorino qui etiam illum affert et contemptis Acrone et scholiasta Cruquiano,

apparet, quod etiam aliunde constat, eum neque scholiastarum neque grammaticorum Latinorum legisse libros, legisse librorum indices. sed ut redeam in uiam, nulla prorsus est causa, quin Varium Senecamque et Pomponium cum ceteris praecepto isti satis nauo et natura ipsa commodato obsecutos esse existimemus. sed enim inmensi fuit operis tot spondeos comparare. porro uerendum erat, ne quod aequalitati uel grauitati uersus accederet deperiret elegantiae ac uarietati. quare potius tenuere alteram regulam, qua sanciretur, ut paenultima certe thesis ne umquam constaret breui syllaba [Diom. 507]. hoc placitum incerto tempore ortum ceterum Graecis poetis incognitum omnino obseruatur a Seneca, id quod saeculi sexti decimi initio Auantius [comment. de trimetro Senec.] mox Lachmannus [p. 130] perspexere. neque enim saepius quam senis migrauit istud idem uersibus, quos quidem pariter omnes clusos habet uerbis diiambicis. eandem autem plane normam in tetrametris dimetrisque trochaicis ille custodit. quae cum ita sint, apparet ne a metro quidem stare alioquin ineptum illud, quod habet in Hercule Oetaeo [1199] liber Mediceus

lucem recepi lucis erui moras.

et Ditis quidem pro illo lucis scribendum esse plerique intellexere. sed praeterea reponendumst 'et rupi'. sunt autem Ditis morae quae obiciuntur a Dite. ita alibi Seneca [Troad. 939] 'abrumpere ense lucis inuisae moras' et Maro [aen. III, 717] 'fata renarrabat diuum'. ceterum haec obseruantia, quam quidem ab Augusti tempore omnes tragicos custodisse probabilest, etiam in satura eiusdem Senecae optinuit nec non Petronii carmine de excidio Troiae, quod proxime accedit ad tragicorum grauitatem, de qua re monuit Alb. Langius in quaestionibus metricis Bonnae anno MDCCCLI editis [p. 28—44]. at contrario hercule modo res habet in claudicantium iamborum et trochaeorum fini, in quibus ferme ultimo spondeo antecedere iambum uel pueris notum. de quo praecepto ita tradit Terentianus [2408]

quare cauendumst, ne licentia sueta
spondeon aut qui procreantur ex illo
dari putemus posse nunc loco quinto,
ne deprehensae quattuor simul longae
parum sonoro fine destruant uersum.

hanc normam apud Latinos iam ab initio inde seruarunt Catullus et aequales excepto ut uidetur Varrone, cuius est hoc

nemini fortuna currum a carcere intimo missum
labi inoffensum per aequor candidum ad calcem sinit.

quod cum ita sit, uidetur errasse Lachmannus [p. 29], quod dicit in uersu hoc 'sensibus crassis homulli non uidemus quid fiat' uerbum a fine tertium subtracta s littera debere pronuntiari. praeterea ultima aetate Boethio post annos DC redintegrari Varronis licentiam tam certum quam mirumst. in cuius scazontibus alioquin omni laude floridis inueniuntur identidem ut puta tales

ultroque gemitus dura quos fecit ridet.

Multo autem suptilius habet doctrina de anapaesto aut dactylo admissis uice spondei et de soluta arsi. in quo licentiarum genere et Graeci praeter comicos plurima cautione usi et magis etiam Latini. quod sane non de nihilo factum. namque anapaesto, si uerum fatebimur, plane immutari istorum metrorum naturam facile concedetur. pyrrhichius autem pro ea quae sub ictum cadit syllaba positus ideo in iambis ac trochaeis magis est offensioni quam in anapaestis, quia in istis, cum natura metri potior sit arsis thesi, distracta illa — nam binae breues plus habent spatii quam longae singulae — etiam magis haec extenuatur, ut degeneret uersus a forma principali. praeterea ut dactylicus numerus exclusis spondeis ita iambicus multiplicato tribracho eneruatum quiddam sonat et molle, quod quidem sensu magis quam ratione percipias. quae cum ita sint, non erit mirum, quod pleraeque in soluenda iambicorum uersuum arsi obseruantiae optinent, quas in anapaesticis metris non perinde inueneris. — at anapaesti initium fuit tale. cum in historiis Graecorum plerique essent heroes uel heroinae, quibus, ut tragico carmini essent apti, omnia aderant praeter nomina absurda trimetris, qualia sunt Laomedon Antigone Iphigenia Penelope, num poetae Graeci minutias ut seruarent summam omitterent aut molesto circuitu obscurarent quae amarent aperte significari? talemue personarum instituerent descriptionem qualem habes in Goethii fabula illa cui nomen est filiae spuriae? qualia cum illi recto indicio respuerent, primo inde nata licentia anapaesti, qui mox pro loco legitime concesso primum pedem possedit. at comici sane maiore usquequaque usi libertate, simul ut quae loquuntur sumpta de uita posses putare, a primo cum tempore admisere. ceterum horum libros si exceperis, modica semper anapaesti licentia permansit poetis. nam quod

dicit Lachmannus in commentario Propertiano [p. 367] numquam fuisse Graecis cautum, ut impari tantum iambi sede ille pes admitteretur, id quam sit a uero alienum postea ipse in dissertatione de Babrio indicauit. neque apud Latinos — iam enim ad hos me conuerto — umquam par similisue extitit libertas nisi apud eos qui etiam spondeum admitterent ubi non deceret ut puta scaenicos uetustissimos et deterrimos christianorum. quare futilest illud quod probauit Antonius in Priapeis [58, 4]

puella non ullum inueniat fututorem,

uerum illud est quod firmatur libris sat multis 'nullum reperiat'. nec rectius fertur alibi in isdem [63, 9] 'huc adde quod me terribilem deum fuste manus sine arte rusticae dolauerunt', quibus apparet codicum testimoniis per interpolationem accessisse et me et deum. at melius usquequaque explendae consulueris lacunae ita constituendo uersum priorem 'huc adde quod terribilem et e rudi fuste'.

Superest iam ut demonstretur suptilius qua frequentia quaque sub condicione metris de quibus agitur admissus sit a Latinis anapaestus.

Itaque a trimetro ut incipiam, plurimum licentiae sibi uindicare primum pedem non est quod mirere. proximus libertate habetur paenultimus praeter metra hipponactea. minimum ueniae tertio concessumst ob caesuram. in breuioribus metris cum principali sedi aeque magna adsit libertas, arcetur a reliquis partibus anapaestus excepto dimetro iambico non catalectico. ceterum infrequentior longe in tetrametro trochaico dactylus. qui ab illa sede, post quam fit incisio, cur sit alienus facile apparebit, sed uel secunda et quarta inuenitur rarissime. condicionem autem anapaesti admittendi poetae dactylici uoluere talem, numquam ut liceret praeter principem pedem thesin anapaesti binis contineri uocabulis. quare falsi sunt uersus non modo tales

imperia saeua non manere queunt diu

sed etiam uelut hi

nil Troia uidit maestius nec acerbius
non uos ut hostes recipiam sed ut hospites,

nec potiores illi quibus constet thesis pedis istius finalibus duabus quanticumque uocabuli syllabis. quare male habent exempla haec

fertur deorum rege prosatus Hercules
crinem soluta maenas en ruit enthea.

quae cum ita sint apparet non posse reponi thesin anapaesti nisi uocabulis minimum trisyllabis et exceptis eis quae in dactylum exeunt. itaque hos uersus inuenies satisfacere regulae

inferna tetigit, posset ut supera assequi.
Ereboque capto potitur et retegit Styga.
ac templa summi uidua deserui aetheris.
sublime classes sidus Argolicas agit.
inter senem iuuenemque sed propior seni.

haec autem lex exempto ut iam dixi pede primo tam constanter ubique obseruatur poetis classicis, ne Seneca quidem in tot milibus uersuum ut uiolarit eam exceptis XII [Thyest. 1087. Phoen. 354. Troad. 43. Med. 126. 897. Herc. Oet. 246. 405. 480. 757. 1847. Oct. 393. 452] quorum quidem unus

quidquid negaret Iuppiter, daret Hercules

habet excusationem a nominibus propriis, praeterea ab antitheto, alter autem talis

toro caruisse regnantis leuest.
alte illa cecidit, quae uiro caret Hercule

defenditur item nomine proprio nec minus iterato carendi uerbo et oratione grauiter concitata. simili etiam uenia mitigatur omissa norma in his

nunc uidua nunc expulsa nunc feror obruta.
causa, ne dubites diu,
utriusque mala sit, si minus mala sit mea.
praestare fateor posse mea tacitam fidem,
si scelere careat. interim scelus est fides.

quamquam in exemplis secundo et tertio sit et est cum praecedentibus iure enclisis coalescunt. namque ob eandem causam bene habet, quod quater pro anapaesto loci quinti ponitur satis est, praeterea singulis locis uetus est et leuis est. durius autem paullost quod Octauiae unus uersus sic finitur 'genus impium', quamquam nec hoc sua eget excusatione. at contra quod legitur incerta auctoritate in Medea exitu metri 'egon ut faces' debet esse egone, ut firmetur ita quod statuunt grammatici quidam encliticae interrogatiuae non debere abici uocalem nisi insequente consona. ceterum haec qualiacunque fuere originem traxerunt a necessitate utique comparandi spondeum aut parem ei pedem quintae uersus sedi. alibi autem nullus locus est licentiae tali. nam quod in Octauiae carmine satis illo corrupto legitur

aetate in hac satis esse consilii reor,

credant equidem quibus libet auctoritatem librorum recentissimorum potiorem esse penitus perspecta artis Latinae ratione. nos tamen uacuo ab superstitionibus animo tollentes syllabam per errorem geminatam ponemus 'sat esse'. etenim quod Terentianus ita incohat tetrametrum trochaicum 'non tamen prior a uideri', inde excusatur, quod ille litterarum pedumque notiones plane eadem qua propria nomina habet libertate. nam ne ex christianis quidem regulam istam migrauit quisquam praeter Ausonium et Paulinum, quorum libertati accedunt rarissima exempla Auieni. contra omnino seruat normae receptae firmitatem Prudentius. iam in uniuersum tenendumst sicut antiquissimos ita ultimos Latinorum ut plurimum abstinere anapaesto. quod et similiter euenit apud Graecos [cf. Henrichs. de uers. polit. Graec. Lips. 1839. p. 31. 33]. quam quidem normam uetustissimi uiuido elegantiae sensu, ultimi seueritate disciplinae scholicae optinuere. sed iam de singulorum usu exponamus. qua in re perspicuam ob causam non eadem fuere Senecae, quae ceterorum placita. nam ille paenultimi pedis quo difficultatem molliret longe plures adhibuit anapaestos quam cuncti reliqui. et quidem primo et quinto trimetrorum locis promiscue posuit illos, quod in tertio apparet non potuisse fieri nisi ubi post quartam thesin uersus incideretur. hoc ubi accidit, in uocabulis legitime concessis anapaestus quin admitteretur nulla fuit causa, non ut nimis raro probarentur illi uersus qualis est 'inter senem iuuenemque sed propior seni'. ita etiam Petronius

infirmus auxiliator. inuadunt uirum.

at e ceteris abstinuerunt anapaesto Catullus Vergilius auctores priapeorum Horatius extra trimetros Damasus [Daniel. I, 8] Sedulius Luxorius Ennodius [ib. I, 121] Ampenus [Migu. LXI, 1079] Drepanius [ib. 1084]. et prima tantum parte admissum habent anapaestum Varro Persius Petronius extra Iliada Boethius Martialis in hipponacteis — quippe pessime habet quod dedit Schneidewinus semel in huius libris 'sternatur a Coride archiclinico lectus' — porro Sidonius Martianus — nam qui solus huic aduersatur regulae uersus [IX, 998, 18] 'ipsoque dudum bombinatore flosculo' falsus est — denique Terentianus in iambis cum Venantio. contra etiam paenultima uersus sede eundem pedem ponunt Laeuius Prudentius Ambrosius Horatius in trimetris Seneca in ludo Boethius et Martialis in iambis non claudicantibus Seneca ac Terentianus in trochaeis Auienus auctor peruigilii Vene-

ris. iam ex his infrequenter plerique, quidam rarissime anapaestum usurpant. ueluti quinquiens eum habet Horatius [epod. 2, 35 — bis — 65. 5, 79. 11, 23] ter auctor peruigilii Veneris [10. 17. 21] quinquiens in tetrametris Terentianus [407. 564. 628. 748. 792]: quid? Fortunatus num saepius quam semel ponit eundem [misc. II, 8, 1]? at bis Ambrosius [4, 13. 15]. contra diuersus pro narietate operis Prudentius, qui, cum alioquin excepta prima dipodia perparce pro tanta uersuum multitudine utatur anapaesto, eundem in carmine de Romano martyre [p. st. 10] quod epyllii instar quinta trimetri sede habet tricicus quater.

Sed iam de soluta arsi uideamus. cuius ne exundaret licentia placuit contineri usum eis fere uerbis, quibus propria condicione plane non liceret intrare in metrum iambicum uel trochaicum, qualibus modo demonstraui anapaesticum etiam adhiberi pedem. quare recte habent ab arte uersus hi

alitibus atque canibus homicidam Hectorem.
urnasque frustra Danaidum plenas gerit.
cum diua mulierarios ostendit oscitantes.

at non perinde uelut tales

ast ego uicissim risero.
quidquid ego fugi. non erit ueniae locus.

iam obseruantia illa quatenus singulis ab auctoribus optineatur antequam declarem primum de usu uerborum tribracho aut paeone primo constantium paucis erit exponendum. itaque cum in his non soleat apud scaenicos paenultima ictu acui syllaba, uix magis inuenitur idem dactylicorum libris. quippe omnino sunt secuti illorum rationes Varro Laeuius Catullus Vergilius Horatius Petronius Martialis Boethius auctor peruigilii Veneris Prudentius extra epyllion de Romano martyre. nec Seneca in tot milibus uersuum saepius uiolauit normam quam exemplis tribus [Med. 444. 267. Herc. Oet. 1794]

fugimus, Iason, fugimus. hoc non est nouum.
cui feminea nequitia ad audendum omnia.
pellex supersum, supplicia de qua expetat.

quae an emendandi probabilitate possint tolli uiderint alii. et Prudentius eo quem modo dixi libro semel [675] remisit artem ita

genera deorum multa nec pueri putant.

nam et Auienus prima sede aliquando recepit uerba tribreuia [368. 553. 602]. nec non eandem probauere haud sane frequenter admittentes licentiam Terentianus et Martianus. iam quod Ritschelius normam modo propositam grammatici accentus pote-

state uenisse dicit [prol. Trin. cap. 15], mihi quidem id uel hanc ob causam uidetur esse falsum, quod non perinde timuerunt poetarum plerique dactylicarum uocum binis breuibus continere solutam arsin, qua re non minus hercule laeditur uulgatae pronuntiationis obseruantia. quod cum ita sit, age consideretur, an propius absit a uero, quae a me iam proponetur ratio. itaque primum omnium nulla prorsus est causa, cur credamus uetustissimos Latinorum non persensisse illud in iambicis metris seu trochaicis solutae longae licentiam nisi necessitate mitigetur uerborum non iam satis habere recte. quorum equidem curas suptiliora insequentium temporum ingenia intendisse cui erit mirum? — igitur nec dactylici uerbi parte finali nec binis uocabulis nisi monosyllabis constare uoluerunt thesin anapaesti, scilicet timentes uerbis ad legitimos numeros aptissimis abuti ad precarios. fuere et aliae causae, sed potior haec. hinc item euenit, quod solutam arsin dactylicarum siue trochaicarum uocum finali parte noluerunt reponi. nam et omnino cauerunt illud, ne plures binis paterent rationes commodandi uerba difficilia numeris. ita tribrachum explentia sine anapaestico pedi aptarunt producta ultima siue elisa seu trochaico dirempta priore. quae cur non aequarint rythmo iambico facile apparebit l. III legentibus. nec iam sancitis rationibus duabus licebat isdem tertiam adici. huius autem obseruantiae similitudine, simul quia mutatum quam seruatum mallent in carmine accentum grammaticum, in uerbis tribracho siue quarto paeone terminatis locum principem cum secundo destinarunt arsi soluendae nec minus in formulis quibusdam quales sunt 'quid agis' 'quid igitur'. porro eorum qui laxarunt normae seueritatem hic tamen agnoscitur modulus, ut eo liberius habeant partes orationis, quo accedant propius ad uerborum iambico numero ineptorum difficultatem. quare minus est licentiae in uocibus dactylicis quam in disyllabis pyrrhichiacis, praesertim quis praecedat breuis. pessimum ducitur solutam arsin binis monosyllabis constare. quam ne a Seneca quidem migrari inuenio legem nisi binis exemplis et loco trimetri quarto [Oed. 330. Herc. Oet. 1441]

sunt dira sed in alto mala.
quis axem cludit et ab ipsis, pater,
deducit astris?

quae quidem leniuntur ea re, quod posterior pars praepositione constans coit cum sequenti in unum. nec magis probatur alioqui

solutam arsin binis distendi uocabulis praeter primum pedem, quale habes hoc uersu eiusdem Senecae [Oed. 263]

quidquid ego fugi. non erit ueniae locus.

nam alibi apud eum quod uulgatur [Herc. Oet. 981] 'et quidquid aliud restitit. ab illis tamen' facile spernetur prae eo quod Mediceum librum secutus dedit Bothius 'et quidquid aliud cessit. a bellis tamen'. igitur seuerissimam normam optinuerunt Varro Catullus Vergilius auctores priapeorum scriptor peruigilii Veneris Prudentius praeter epyllion Auienus Martianus Venantius. e quibus Catullus non scripsit, quod uulgo ei tribuitur 'non mihi sed ipsi Sestio ferat frigus', scripsit 'non mi'. at Varronis placita magis temporum et rationum similitudine quam paucitate reliquiarum aut unius fragmenti falsa specie [cf. γνῶθ. σεαυτ. 9] aestimaui. sed de priapeis res haud dubia, non ut sint audiendi qui uersum eorum unum sic instaurauere [51, 14]

non brassicarum fero gulosior caules

pro eo quod est uerum 'ferre glorior'. at primo pede remiserunt seueritatem alioquin arte pares modo memoratis Petronius et Prudentius carmine de Romano. nam quae alibi in hoc opusculo a seueritate normae feruntur diuersa etiam aliam ob causam sunt suspecta. quippe haec sunt et talia [832. 927. 1078]

tantum osculum
impressit unum. 'uale' ait 'dulcissime'.
permitto uocem libere ut exerceas.
his membra pergunt urere, ut igniuerint,
quamcumque partem corporis feruens nota
stigmarit, hanc sic consecratam praedicant.

quae hiatuum etiam uastitate deformia sic sunt persananda ut scribatur primo loco 'salue ait' secundum illud Vergilii [aen. XI, 97. cf. Seru. ad l. l.] 'salue aeternum mihi maxime Palla aeternumque uale' secundo 'libere ut tu' tertio 'ut si igniuerint praedicent'. minus aliquanto rigide seruarunt legem Martialis et Seneca et Terentianus. medius autem utramque inter normam Horatius qui praeter exempla primi pedis bis normam migrauit ita

libet iacere modo sub antiqua ilice
modo in tenaci gramine.
uenena maga non fas nefasque, non ualent
conuertere humanam uicem.

quae uocabulo iniecto graeco uel geminato illo quod est modo habent excusationem. iam diuersorum pedum uarietates ut perse-

quar, cum media agitent sat libere, illud fuit odio finalis cretici resolui arsin priorem. itaque apud classicos ubi sit rescissa non inuenio nisi quinis Senecae trimetris ita 'Phrixei arietis' 'machinatrix facinorum' 'anceps memoria 'omnis memoria' 'famae memoriast', quae parili uides esse condicione. at nec idem scripsit 'haec uacat regia uiro' — pro quo pridem reposuerunt regi ac uiro —, neque recte habet quod Perlcampus Horatium in fini iambi scribere potuisse existimauit 'rupibus aquae'. ubi quod est traditum ripis non magis recte ab illo fuit sollicitatum quam quod legitur in melicis 'Tibur Argéo positum colono sit meae sedes utinam senectae, sit modus lasso maris et uiarum militiaeque'. in quibus modus defenditur simillimo uersu Auieni [descr. orb. 100] 'hic modus est orbis Gaddir locus'. mox eadem quae ceterorum Boethii ac Terentiani Martianique fuit obseruantia. non dissimili seueritate usus Prudentius, nisi quod in epyllio semel habet fine uersus [667] 'filiole ait'. itaque semel Auienus si modo uerumst [182]

in quinque soles est iter. tum Cepresicum.

nec tamen, hoc ut recte habeat, aequo animo feremus, quod alibi uulgatur apud eundem [313] 'ad continentem quinque per stadia modo'. namque illud nomine proprio eleuatur exemplum, hoc etiam ea re grauatur quod tribreuia uerba non nisi primo pede in mediam syllabam accipere ictum usu Auieni supra exposui. quare scribendum existimo 'per stadia ammodum'. — nam quod alibi fertur [335] 'locos utrosque interfluit tenue fretum', tenue iure positionis fit anapaestus. coiugata uero anapaesti cum soluta arsi licentia pes exoritur proceleusmaticus, quem falso quidam ueterum crediderunt exclusum esse a metro iambico [Atil. 2693]. sane a trochaeis utique hic pes alienus — nam Terentiani tetrametri cuiusdam [649] initio ponendumst 'Aeolis dialectos' pro eo quod libri habent Aeolica —, neque a classicis praeter scaenicos uersus admissus idem in iambos. at Senecae trimetrorum prima sede non esse sollicitandum eum recte iam perspexit Gronouius [ad Thyest. 289]. quippe decem et septem non minus exempla reperiuntur licentiae talis, ita quidem ut aut a pyrrhichiaco aut a proceleusmatico uerbo initium sumat uersus, numquam a tribreui. similiter idem Seneca in ludo dum ridicule tragoediam imitatur dixit principio metri 'ubi Rhodanus ingens'. mox Te-

rentianus minore elegantia rescidit arsin ita [2357] 'is erit anapaestus'. apud reliquos simile non inuenitur.

Iam dignissimumst memoria illud communi obseruantia timuisse Latinos eorum arsin soluere uersuum, a quibus exclusissent spondeos. quod quibus a poetis et qualibus in metris sit factum supra exposui. unde quis iam probabit quod Meyerus in priapeo uno solis iambis constante uersum dedit talem 'teneraque matre mugiente uaccula?' quae cum ita sint, non me monet quod auctor incertus, cuius carmen habes apud Atilium [2672], identidem metri ithyphallici primam et secundam arsin resoluit, cum e Latinis certe [de Graecis cf. Atilius l. c.] nobilis poeta nullus parem aut similem licentiam admiserit. praeterea abstinuere solutione arsis Prudentius in dimetris uel trimetris qui sunt catalectici, porro Sedulius Ambrosius Sidonius Drepanius Amoenus Damasus Ennodius Eugenius. porro quod obseruauimus anapaesticum pedem a primorum atque ultimorum temporum poetis Latinis fastidiosius esse adhibitum quam a mediis plane etiam pertinet ad solutam arsin. itaque Catullus quater non saepius eam distraxit [22, 19. 37, 5. 59, 3. 25, 5] ter auctores priapeorum [51, 18. 58, 4. 63, 9] bis Vergilius [5, 13. 36] mox Prudentius excepto epyllio in tot uersibus quinquiens non saepius [cath. 12, 141. peri st. 2, 83. cath. 9, 40. 103. peri st. 1, 72] semel Venantius [misc. II, 2, 28].

At numero ionico a minori puros uersus composuere illi qui eo per synaphiam sunt usi Horatius Terentianus et cuius affert hic fragmentum auctor incertus. quos secutus Martianus in carmine tetrametris ionicis constante, nisi quod semel minus quidem eleganter molossum, semel etiam admisit ditrochaeum. at aliter longe plerique adhibuere numeros ionicos. igitur uersus anacreontei mutata per anaclasin specie principalem hanc sumpserunt formam 'duplici toga inuolutus' 'super alta uectus Attis', in quibus pyrrhichius initio collocatus non natura potius metri ionici quam licentia primi pedis potest cogi ita 'iam iam dolet quod egi'. quam tamen uitauere licentiam Sidonius et Prosper Tyro [Wernsd. III, 413]. iam anaclasi natos trochaeos tam rigide custodierunt plerique, ut nollent recipi alienum numerum qualemcumque. a quibus tamen diuersus Laeuius, qui semel soluta arsi usus habet uersum talem

Venerem igitur almam adorans.

sed enim idem non scripsit 'seu femina siue mas est' — nam hoc aequarit metrum ionicos a maiori —, scripsit quod Hauptii inuentum secutus posui l. priore 'seu femina isue mas est'. deinde Boethius ternis carminibus [II, 2. 4. III, 6] puros adhibuit ionicos dimetros specie tali 'sitis ardescit habendi', ut tamen abundantia longarum saepius primam partem incoharet molosso, quo admisso species oritur talis

caelo sidera fulgent.

hinc Boethium qui tractarunt egregii iudices rei metricae praeter unum Grotefendium statuerunt haberi carminibus istis pherecrateos, quorum identidem soluta esset arsis initialis. qui meliora doceri potuerunt exemplo Martiani qui l. VIIII cum habeat metrum tale 'carmen Ladmiadeum' id quale esset ipse significauit immixtis uersibus his

palmam dedit cicutis.
mage percrepat flagello.

porro galliambi geminato qui nascitur anacreonteo cum debeat esse forma talis

abero sede paterna stadio et gymnasiis,

integer rythmus ionicus numquam per totum metrumst continuatus. quem ne in parte quidem saepe adhibuit Catullus. at per anaclasin species cum oriatur haec

aliena quae petentes uelut exules loca,

hanc priore metro fideliter seruatam Catullus posteriore immutauit soluendo arsin secundam

celeri rate maria.

quod ueteres grammatici [e. g. Ter. 2892 sq.] haud inepte inde dixerunt uenire, quod sic eneruati ac molles fluerent numeri. rarius multo reperitur scindi arses primam uel secundam seu quartam. tertiam solus Latinorum in quantum constat resoluit Maecenas hoc uersu

ades et sonante typano quate flexibile caput.

nec magis placet binas distendi longas uno hemistichio. nam quod semel artem migrauit Catullus ita

ego mulier ego adolescens ego ephebus ego puer,

id a graui concitatione animorum et multiplicato illo ego habet ueniam. ceterum metrum illud non tam propria difficultate quam stultitia et arrogantia grammaticorum mirum in modum fuit deprauatum, hodieque ut reperiantur qui galliambici uersus gnarum

tamquam unicum in omni caelo rei metricae suspiciant existimatorem. ueluti ut probat res ipsa egregie fallitur Atilius [2678] statuendo communem esse quartam pedis secundi syllabam, recte ut possit habere uersus talis

hic nympha cingit omnis Acheloium senem.

neque uero ulla nititur ille qua firmet opinionem auctoritate praeter solam Vahleni, quae etiam minor est nulla. nec melius habet quod dicit Seruius in centimetro constare uersum illum dimetro iambico catalectico et anapaesto uel spondeo cum duobus iambis. quo uerior longe auctor incertus [Atil. 2695], qui metri galliambici hoc proponit exemplum

miserarumst neque amori dare posse remedia,

in quo minus recte dedere Putschius 'possessore inedia' 'possit remedia' Gaisfordius. — ceterum quamquam plurimis exemplis cognouimus cognoscemusque, qualis insit in Vahleno metrorum peritia, tamen ne hic quidem carpendi eum praetermittetur occasio, omnibus ut possit apparere, quam futilia hodie quanta cum securitate in publicum euulgentur. itaque cum Kochius quasi galliambum et quidem pulchrum protulisset talem 'horrida silent oracla crepera in nemoribus' — congruit autem reliquae arti istius —, Vahlenus, uelut si caecus iter monstrare uelit, priore damnato hemistichio concessit [p. 24] de posteriore. at quamquam de pulchro iudiciumst in medio positum, tamen quae Vahlenis sunt pulchra nobis sordere aequum erit. uides autem non esse pulchrum illud sed falsum, nam dest ad rectam mensuram syllaba. porro iste [ib.] dicit potuisse ex uerbis Varronis isdem, quibus unum dempserat Kochius, tolerabilem galliambum effingi hoc modo

prisca horrida silent nunc oracla crepera
in nemoribus.

in quibus, ut omittam quam languidum et superuacuum illud nunc additum sit ab Aristarcho Vindobonensi, uersus ipsius galliambici species non est tolerabilis sed tollenda, nisi forte tolerabilem non a tolerando sed a uocabulo Teutonico quod insanum significat uenisse existimabis. nam uides binas desiderari ad iustum modum syllabas. ceterum cum pari ferme arte utantur in galliambis Kochius Vahlenus Ribbeckius, suspicor eos, dum Bonnae concorditer aetatem degunt, inuenisse in bibliotheca librum grammatici Latini nescio cuius, qui mira de hoc uersu praecipiat. hunc igitur

speramus proximo quoque tempore Vahlenum cum sociis uiribus unitis esse editurum, poteritque haud inepte praemitti fragmentis Varronis ab isto collectis, quorum iam puto desiderio omnes flagrant philologi.

Iam de sotadeis dicturus Attium et Varronem praetereo, neotericorum potius enarraturus artem. de quibus quae exposuit Lachmannus [prooem. Berol. 1849—50. p. 4] hic repetam paucis additis. itaque demonstrauit ille adhibere hos praeter puram formam ionici eam qua aut prior aut posterior arsis resoluatur et porro admissa anaclasi ditrochaeum, ceteras uero exclusas esse species, licet semel Petronius utramque longam distraxerit pede proceleusmatico ita 'femoreque facili' semelque Terentianus in exemplo quarti paeonis et nomine proprio ditrochaei primam longam resciderit sic 'Pelopidae sonabunt'. id etiam Laeuius admisit numeris ionicis supra a me commonstratis. et maxime quidem usitata formast ea, qua primo et secundo pede uersus ditrochaeus arceatur, optineatur idem in tertia, ut est ille [Victor. 2523]

rumpunt teneras uuiferae comas lagei.

paenultimam uero syllabam non licere mutari ex eis quae exposui initio huius libri apparebit. hanc fideliter seruant normam Petronius et Martialis, non perinde Terentianus, ut qui aliquotiens in principem sedem admittat anaclasin. sed hoc esse durum satis constat [cf. Diom. 515], quamquam non defuerunt eodem teste Terentiano qui et secundo loco reciperent ditrochaeum. sed omnibus simul pedibus anaclasin admissam non inuenio certis poetarum exemplis. praeterea soluendi longas maximam initio adesse libertatem uerumst.

Denique aptum memoriae e choriambicis metris uersuum talium 'Lydia dic per omnes' numquam solui arsin, quod contra eius metri quod inde fluxit 'Iane pater Iane tuens diue biceps biformis' primam tertiamque et quartam arsin soluerunt Septimius et Terentianus, praeterea hic cum summo dedecore etiam quintam. nec non Sereno admissa in secundo pede anaclasis ita 'cui reserata mugiunt aurea claustra caeli'. reliqui neutra usi licentia.

Iam ad logaoedica metra ut transeamus, glyconeos et qui inde prouenere uersus habuisse basin ab initio mobilem admissis pariter cum trochaeo iambo ac spondeo satis constat. quam regulam Catullus ita obseruauit, ut in glyconeis et pherecrateis raro spon-

deum et minus etiam frequenter iambum admitteret. contra in uersu phalaecio apud eundem magis optinuit spondeus, quo solo pede idem usus in basi asclepiadei maioris. ceterum similia placita quin aequales eius seruarint, non potest dubitari. ita fertur hic uersus Furii

racemi duo tegula sub una

et alibi

Catonis modo Galle Tusculanum

et porro alterius auctoris

Cato grammaticus Latina Siren.

nec aliter est in priapeo [3, 2] 'dicans ex Elephantidos libellis'. iam hendecasyllaborum certe ne Augusti quidem tempore priscam artis rationem non mansisse docet exemplum Maecenatis etiam alias proni in Catulli et Calui imitationem. sic enim ille 'Ninnio uideas strigosiorem'. at aliter longe habuit res in metris reliquis, quorum locis communibus notumst a Flacco ereptam esse breuem excepto uersu illo 'ignis Iliacas domos', quae plane optinuit norma apud posteriores. quaeritur iam quanam adductus causa hoc in numeris nouarit Horatius. id uero non ea re uenit, sicut uisum quibusdam, quod spondiacorum pedum longe maior est copia sermoni Latino quam trochaicorum uel iambicorum. namque etsi id uerumst, tamen minime hinc explicatur quonam Horatii rigore sit factum, ut in ancipiti uersus sede, quos frequentiores conueniat esse pedes, ei iam soli atque unici inueniantur. sed enim cum exiguus esset usus spondei in uersibus quos sumpserat a Graecis, quod tamen genus rythmorum grauitati Latinae longest aptissimum, cautum fuit certe ab eo, ut ubicumque illum admitti liceret Graecorum ex norma, ibi certa obseruantia iam idem sanciretur. credo et ideo factum esse, nequa ipse uideretur iuuare podicorum discriminum contemptum illum qui scaenicorum licentia ortus ne ab huius quidem aequalibus omnino fuit alienus. ceterum qualicumque de causa rem supra expositam nouauit Flaccus, aptissime certe instituit eandem, id quod laude et aemulatione popularium satis declaratur. nec hercule decet gloriam firmissimis iudicibus nixam turbari ratiunculis alienis aut neotericorum arbitriis. igitur Senecae asclepiadeis uersibus et glyconeis eadem constanter lex seruatur quae Flacci. at in phalaeciis uersibus quamquam idem circa illud tempus auctore incerto optinuit, ut uere affirmasse uideatur Vossius [d. a. gr. II, c. XXX] Statiani aeui poetis non in-

collatos eos a trochaeo, tamen in tanta librorum ueterum penuria metrum a Catulli inde tempore populariter habitum omnes seueritate eadem normae adstrinxisse quis pro certo audebit asserere? equidem contrarium potius innui existimo Plinii uerbis, qui de aequali poeta sic refert [I, 16. 5] 'facit uersus quales Catullus aut Caluus. quantum illis leporis dulcedinis amaritudinis amoris. inserit sane, sed data opera, mollibus leuibusque duriusculos quosdam, et hoc quasi Catullus aut Caluus'. quibus uix aliud uidetur posse significari quam trochaeus uel iambus in basi metri hendecasyllabi admissus. mox coalita aemulatione antiquissimorum quae fautorum prius arbitriis iam communi frequentari sunt coepta usu. ita Terentianus ut hendecasyllabi ita glyconei uersus initium aliquando trochaeo et iambo continuit. idem semel asclepiadeum posuit hunc [2678] 'epodum ex geminis subicit alterum'. et hic quidem grammatici magis quam poetae uicem seruans rationibus ab ipso expositis innititur [2624—26. 2634. 2640—43]. ceterum similiter Septimius — nec enim plena libro priore huius proposuimus fragmenta —

geritque intus in oppidum
anhelos Panopae greges

et huius aequalis

purpurae leguli seues.
intus hic ubi consitumst.

quorum accedit normae Boethius, qui aliquando trochaeum et iambum in glyconico et phalaecio metro admittit ipse. idem totum carmen glyconicum [IV, 3] basi trochaica composuit, quippe cuius ultimo uersu pridem sit perspectum oportere scribi 'mentis ulcere saeuiunt' pro illo 'mentis uulnere'. ulcus enim de uitio non corporeo dictum infra exemplis firmabitur. similiter Luxorius in hendecasyllabos admisit interdum trochaeum et iambum. unde non fallemur uersum quendam eius corruptum sic restituentes 'quo ferunt se Heliconides puellae', cum sit in libro Diuionensi, ut accepi ab Hauptio, 'quos elacodes ferunt puellae' addito supra co syllabam ni. sed idem non magis quam Claudianus uersus asclepiadei minoris basin alio quam spondiaco pede continuit, nec non ipse Terentianus seueritate eadem legis est usus maiore in carmine glyconico eo quod praemisit operi. quam adhibuerunt usquequaque Ausonius Prudentius Sidonius Martianus Seuerus. e quibus maxime certa res in Ausonii [epist. 4, 80 sqq.] Sidoniique [ad Consentium 26—28] phalaeciis uersibus, quippe qui disertis

probent uerbis spondiaca istos basi esse incohandos. quare quod leguntur apud Ausonium in fini epistulae quartae haec

nec iam post metues ubique dictum
'hic est ille Theon poeta falsus
bonorum mala carminum taberna',

non potest epigrammatium illud ab ipso descendisse nisi forte iniecto trochaeo simile Theonis quod ipsi uideretur uitium perstrinxit. iam basin metri ex asclepiadeo minore orti talis 'at regina graui saucia cura' spondeo incoharunt semper Terentianus Martianus Boethius, quod contra hymnis a Daniele collectis [I, 21. 22. 100. 101], aliquando et trochaeus et iambus prima sede reperiuntur. at sapphici uersus quartam syllabam cum promiscue habuisset Sappho, Catullus quin longam esse uoluerit, non potest esse dubium reputanti ab eo ter non saepius admissum pede secundo trochaeum et quidem exemplis his

otium Catulle tibi molestumst.
seu Sacas sagittiferosque Persas.
pauca nuntiate meae puellae.

quae quidem iniecto nomine proprio aut polysyllabo mitigantur. iam Horatio placitam normam solam apud posteriores optinuisse uerumst, nisi quod Seneca mira prauitate ingenii ceterum licentia tragica usus aliquotiens secundo loco anapaestum spondeum tertio adhibuit [Hipp. 286. 287. 288. Troad. 824. 836. 853. 1051. Med. 636]. denique minoris metri Sapphici similitudine tractumst maius. — at alcaici uersus enneasyllabi uel hendecasyllabi anacrusin ab initio communem Horatius in prioribus tribus carminum libris cum plerumque uoluisset esse longam, hanc normam in quarto, id quod uerissime obseruauerunt Meinekius [praef. Hor. p. 41] et Zumptius [gramm. Lat. ed. X. p. 683], semper optinuit idem. cuius seuerius placitum custodierunt Statius et Prudentius, quod contra Claudianus bis terue breuem admisit anacrusin. itaque habes in hymno auctoris nescio cuius [Dan. I, 89, 31] sed per antitheton 'negare praestat quam dare uitricum'. at quintam syllabam quin longam semper uoluerit Horatius, non est dubium. nam quod quidam probauere 'iam bis Monaesis et Pacori manus' pro illo Monaeses uix est dignum memoria. neque integrum existimo, quod libris scriptis omnibus firmatum plerique tulerunt 'si non periret inmiserabilis', ut tamen non definiam, potiusne Lachmanni inuentum amplexemur, cui perires scribi pla-

cũit, an Bentleii, a quo uenit 'perirent immiserabiles'. quodsiquis tradita antiquitus utique seruari malet, exempli eius quod supra memoraui 'ignis Iliacas domos' quandam similitudinem licentiae ueniamque ut glyconico uersui a nomine proprio ita alcaico a polysyllabo uerbo paratam esse poterit contendere. — mox et ipsi secundum pedem spondiacum semper uoluerunt esse Papinius Claudianus Prudentius. tamen in hymno quem supra tetigi — tenet Danielis uolumine priore locum undenonagesimum [7] — admissum in medium habes trochaeum metro hoc

gestaret aula nobilis intimo.

itaque Boethius uersu tali 'mergatque seras aequore flammas' non dest [VI, 5, 2. 20. 6] ubi et primam et quintam permiserit esse breuem syllabam. iam in metris eis, quae ex diuersis numeris in unum confusis mixta constant, uel thesin spondei uel arsin iambi seu trochaei resolui uel dactyli contrahi partem alteram plane cum sit uetitum, apparet non potuisse committi ista nisi aut ignorantia hominum indoctorum, cuius habes pleraque exempla in tabulis ac lapidibus uetustis incisa, aut peruersitate doctorum, dum professoria sapientia usi simplicis elegantiae leges epiplocae praestigio destruunt. talia apud Romanos uitia quarto potissimum quintoque p. Chr. n. saeculo euenerunt. itaque cum plerique adseuerarent grammatici uersum asclepiadeum minorem ortum esse demendo pentametro ultimam syllabam, qui poterit esse mirum, quod Martianus eiusdem et resoluit aliquando spondeum primum et dactylum sequentem contraxit? quod contra falluntur qui simili Luxorium usum licentia existimarunt uersu hoc 'an tabulae melius praemia grata sunt'. placuit adscribi totum carmen [334], quoniam quinquiens non minus Burmannum et Meyerum in paucorum uersuum opusculo fefellit uerum. uenit autem a Luxorio tale

ludis, nec superat alter ad aleam,
nec quidquam in tabulam das nisi uirginem,
spondens blanditias et coitus simul.
hoc cur das aliis quod poteras tibi?
an tali melius praemia grata sunt?
aut prodest uitium tale quod impetras?
si uincas, ego te non puto uirginem
in luxum cupere sed mage uendere.

et quoniam semel ad obscaena res deuenit, dicam in altero auctoris eiusdem [319] carmine uersus ultimos sic esse scribendos

si nihil ergo uales, uana cur arrigis orge
et facis ignauus mentis adulterium?

uulgo habetur uacuo et ignarus. in quibus orge dictast ut apud Horatium mea cum conferbuit ira. sed ne sola ista nos tetigisse uideantur, addam eiusdem Luxorii alios duos uersus emendatos. igitur in carmine trochaico de piscibus [303] cum sit traditum 'nec manum fugit uocatus nec pupescit regiam', scribendum existimo pauescit. item alibi quod fertur de Romulo [336]

disce pium facinus percusso Romule fratre.
sic tibi Roma datur. huius iam nomine culpat
nemo te caedis, murorum si decet omen,

pro illo aperte falso si restituendum sine mora sed. at ut repetam uiam quam declinaui, similis fuit Martiani Boethius in priore parte metri huius 'at regina graui saucia cura', cuius sunt talia

tendit in externas ire tenebras.
flamina sollicitent aequora ponti.
hic quondam caelo liber aperto.

neque aliter idem in numero tali 'cur legat tardus plaustra Bootes' pro spondeo admisit anapaestum sic 'cum nimis celeres explicet ortus'. denique idem in uersu hoc 'propinqua summo cardine labi' secundam arsin resoluere sustinuit ut puta 'stupetque subitis mobile uulgus'. nec dissimili longe ratione factum quod e classicis Catullus in uersibus phalaeciis et semel in pherecrateis contraxit dactylum, quod unde sit repetendum apte docuit Lachmannus [praef. Ter. p. 15 sq.]. scilicet cum Varro teste Terentiano [2882—2884] statuisset phalaeciis inesse pedem ionicum a maiore, qui recipit identidem molossum, potuit disciplinam potius quam elegantiam respicienti admitti in isdem quibus Catullo uidemus placuisse metris spondeus. quamquam fatendum satis commode usum Catullum ratione ista in opusculo de Camerio cui soli eam adhibuit. in hoc enim carmine, quod Lachmanni demum uirtute in integrumst restitutum, bene exprimitur multiplicatis spondeis quantis laboribus molestiisque anquisitus fuerit Camerius. uerum nullo pacto credibilest quod statuit Hermannus idem cum Catullo admisisse Senecam in chorico Oedipi illo [882—914] 'fata si liceat mihi', quod ipsi glyconicum numerum habere uisumst, cum potius eo dimetros trochaicos repraesentari supra indicarim. nam uel hoc refellitur opinio eius, quod semper spondiaca basi glyconei uersus utitur Seneca praeter cantica liberiori metro constantia. ceterum

quod legitur in carmine illo de Icaro 'donec in ponto manus mouit implicitas puer comes audacis uiae', habet ultimus uersus neque logaoedicam mensuram neque trochaicam sed nullam. scribendum omnino existimo 'compos audacis uiae'. — quodsicui uidebor in hoc cum maxime libro saepius temptasse uersus Senecae, is cogitet illud huius auctoris carmina iniuste damnata a plerisque, qui non omnium Romanorum non ipsius Senecae indolem non temporum rationes aut tragoediae quae fuit Neronis aequalibus condicionem probe perspexissent, nondum percepisse amplas satis criticorum curas, sed maxima quidem Gronouii in emendandis illis esse merita, at mediocria Bothii, Badii nulla, neque aut nostra aetate innotuisse, qui iniuriam temporum tolleret, aut tempore proximo id futurum. neque enim quidquam proficietur nisi ei, qui Mediceas rursus et Thuaneas et siquae alibi extant cognitione dignae denuo excusserit membranas. quod cum ita sit, placuit promi quae ad emendandas fabulas illius utilia collectaneis nostris notauimus et in hoc finem libri fieri.

Itaque in Hercule furente [1265] antiquitus tradita leguntur haec

memoranda potius omnibus facta intuens
unius a te criminis ueniam pete.

haec uerba cum sint Amphitryonis Herculem qui coniugem et natos peremerat solantis, non potest recte habere illud memoranda. quid enim? tam dirum facinus nonne et ipsum fuit dignissimum memoria hominum? at ipse Hercules dixerat paullo ante [1240] 'non sic furore cessit extinctus pudor, populos ut omnes impio adspectu fugem'. praeterea uocabulo sequente criminis apparet priori uersui adfuisse quo aperte laudes significarentur Herculis. uenit ab auctore ueneranda. ita in Oedipo [718] primus restituit Gronouius 'praedonem uenerans suum' pro eo quod ante ipsum ferretur numerans seu memorans. — porro in Thyeste haec sunt [299]

si nimis durus preces
spernet Thyestes, liberos eius rudes
prece commouebunt.

in quibus commouebunt scripsi, cum in libro Florentino sit commouebo, quod nec ad sententiam satis aptumst — neque enim decet ab Atreo ipso Thyestae pueros precibus ambiri — et foedumst hiatu ob insequentem uocalem. sed non magis potest esse

uerum quod altero uersu habetur uerbum paenultimum. nam cum illa eius eorum earum ab epicae melicaeque dictionis grauitate aliena esse uerissime post Bentleium iam statuatur, quis credet ea tragoediae conuenire, cui etiam minus multost apta dictio humilis ac uulgaris? scribendum una littera adiecta melius. — iam in Phoenissis haec extant [455] 'sancta si pietas placet donate matri pacem. si placuit scelus, maius paratumst'. quis credet Senecam pari loco uersus iambici potuisse admittere spondeum nisi forte is qui statuit aequalem huius Pomponium? scribendum pacta. donate dictumst quasi indulgete concedite. deinde haud sane apparet, quonam metro constare putauerint quae in Hippolyto et Troasin leguntur anapaesticis admixta talia [1140. 106] 'circa regna tonat. uolat ambiguis mobilis alis hora.' 'nunc nunc uires exprome dolor tuas.' et posteriore quidem loco sat constat addendum esse furiose sicut est in Medea [139] 'melius ah melius dolor furiose loquere.' priore recidendum existimo illud tonat, quod sequente uolandi uerbo uidetur esse ortum. nam nequis et praecedentia uerba damnet, illa re prohibetur, quod haec si dempseris in sequentibus id ipsum desiderabitur quod adesse omnino opus est, cum non communis hominum fortunae uarietas perstringatur isto cantico, sed eorum qui in imperio sunt positi. at in septima fabula cum Medea ad Creontem haec uerba fecisset [199]

qui statuit aliquid parte inaudita altera,
aequum licet statuerit, haud aequus fuit,

credidere plerique eundem sic respondisse

auditus a te Pelia supplicium tulit.

quod ineptum esse ne ei quidem negabunt, qui per interrogationem prolatum esse existimarunt. quid enim? num Medeae ut iudici fuit supplex Pelia? immo ipsa ad clementiam eius, quamquam per dolum et ut fraudem strueret, confugit. neque decuit Peliae hominis scelerati innocentiam, quae nulla fuit, extolli, uerum indulgentiam, qua usus est in Medeam, damnari. sed una littera fuit peccatum. quippe reponendumst

audit ut, a te Pelia supplicium tulit.

primum autem merito locum optinet audit, quoniam in eo sententiae summa uertitur. — mox in eodem carmine cum Iason dixisset [516] 'hinc rex et illinc', haec respondisse statuerunt Medeam

est et his maior metus
Medea. nos confligere certemus. sine.
sit pretium Iason.

in his Medea quin inepte habeat non dubitatur. neque confligere certemus aut a sententia aut a metro sanumst, nisi forte γραφικῶς admisit anapaestum ubi non liceret Seneca. quanto melius habebunt ut puta talia

est, et his maior metus.
medere. nos confligere ardemus. sine.
sit pretium Iason.

neque uerius est his quod in Agamemnone sic exhibetur libro Florentino [735]

quem petit dextra uirum
Lacaena uultu ferrum Amazonium gerens.

in quibus uerbis apparet ineptum esse uultu. sed uel cultu, quod pro eo posuere plerique, subabsurdumst. debuit enim pro Lacaena certe dici Graeca. praeterea, illud si probaris, claudicabit in sequentibus uerbis situm antitheton. non stabit sua elegantia uersus, nisi scripseris

quem petit dextra uirum
Lacaena, ritu ferrum Amazonidum gerens?

in quibus Amazonides dixit secutus Vergilium. porro in eadem fabula [59] pro anapaestico tali

dubioque nimis
excelsa locas

reponendum esse 'dubioque locas nimis excelsos' ea re probatur, quod Florentino codice scriptumst 'excelsos nimis'. praeterea in Hercule Oetaeo haec leguntur [153]

in nudo gladius corpore frangitur,
et saxum resilit fataque negligit,
et mortem indomito corpore prouocat.

ut omittam quam sit ingratum minimo interuallo repetitum uocabulum corporis in tam castigata dictione Senecae, id hoc loco ipsum neque ad rem facit neque recte dicitur. quis enim, amabo, hominum corpore potius quam animo prouocabit aduersarium, nisi qui plane corde caruerit? quod quoniam non ita fuit in Hercule, scribendum existimo pectore. praeterea extant in eadem fabula talia [353]

dilexit Iolen. — nempe cum staret parens
regisque natam peteret. in famulae locum
regina cecidit. perdidit uires amor,
multumque ab illo traxit infelix status.

multum illud, quod non bene facit ad eleuandam Deianirae curam, non recte habere libri Medicei scriptura apparet, in quo habetur

uulcunque. scribendum autem uulnusque uel potius ulcusque, ut illo ad Herculem pertineat. ita etiam de amore turpi Lucretius 'ulcus enim uiuescit et inueterascit alendo'. neque enim ueremur, ne quis dicat indecorum ulceris uerbum Senecae, qui dixerit itidem uetustiores secutus 'expuere spiritum'. — ibidem [1005] haec prostant

quid dira me flagrante persequeris face
Megaera? poenas poscis Alcidae? dabo.
iamne inferorum, diua, sedere arbitri?
sed ecce diras carceris uideo fores.

quamquam dixit Seneca uel alibi sed ecce, tamen huic loco non esse aptum idem apparet. praeterea insequentibus uersibus demonstratur interiores partes domus infernae, patefacta ianua quae cernerentur, uidere sibi uisam esse Deianiram. quare nec diras potest recte habere. itaque acriter considerandum an digniora sint Seneca uelut haec

iamne inferorum diua sedere arbitri?
sedent. — reclusas carceris uideo fores.

mox feruntur [1028] in libris uulgatis talia

o misera pietas. si mori matrem uetas,
patri es scelestus. si mori pateris tamen,
in matre peccas. surget hinc illinc nefas.
inhibenda tamen est, pergam et eripiam scelus.

haec nisi Medicei codicis testimonio suspectarentur, sana esse quis negaret? sed enim cum in hoc pro pergam extet uerum, non potest dubitari quin sit reponendum serum. scilicet decuit Deianiram sibi mortem consciscere ante quam ipsius culpa esset extinctus Alcides. porro eodem carmine ubi queritur Hercules inglorio sese leto occubare leguntur haec in membrana optima [1175]

Herculem uestrum placet
morte ferire. dirus o nobis pudor.

pariter sententiae uersuique consulueris reponendo haec

Herculem uestrum placet
perire inertem?

deinde exposcenti ad supplicium Deianiram parenti cum sic uerba dedisset Hyllus [1456]

compesce diras, genitor, irarum minas.
habet, peractumst: quas petis poenas dedit.
sua perempta dextera mater iacet.

non bene existimauerunt ei sic respondisse Herculem

caeci dolores. manibus irati Herculis
occidere meruit.

neque illud caeci quod omnino falsumst habetur libro Mediceo, habetur recte. quidni scribemus aucti? — praeterea Philoctetam his uerbis Alcmenam propter filii obitum consolatum esse perhibent [1832]

debitos gnato quidem
compesce fletus, mater Alcidae incliti.
non est gemendus nec graui urgendus nece,
uirtute quisquis abstulit fatis iter.

qui potuit urgeri Hercules graui nece qui iam mortem obisset? scribendum prece. quis enim ignorat Propertii illud

desine Paulle meum lacrimis urgere sepulcrum.
panditur ad nullas ianua nigra preces.

quod quo pertineat satis amplis exemplis docuere interpretes. dein haec feruntur de Nioba [1849]

toto stetit
succisa foetu bisque septenos greges
deplanxit una.

de Niobae liberorum numero quamquam in diuersa abiere, Gellius ut testatur, auctores ueteres, tamen qui plures uiginti fuisse tradiderint, non inuenio. a tali modestia quantum Seneca recessit, si librariis credimus, qui eius bis septenos greges esse dixerit. scribendum gregis. ita Cornelia apud Propertium 'uenit in exequias tota caterua meas'. — denique in fine illius fabulae haec feruntur uerba Alcmenae querentis de Hercule [1857]

agedum senile pectus o miserae manus
pulsate. et una funeri tanto satest
grandaeua anus defecta, quod totus breui
iam quaeret orbis. expedi in planctus tamen
defessa quamquam brachia.

cum appareat uerba quae sunt 'una funeri tanto satest grandaeua anus defecta' non esse affirmantis sed dubitantis, scribi debet at, totus ut sensus per interrogationem efferatur. mox pro eo, quod utique ineptumst 'quaeret', ponendum existimo 'ploret'. 'curet' enim, quod propius abest a tradito, non satis fortiter uidetur dici.

Restant bini Octauiae loci. itaque in aetatibus uariis humani generis describendis leguntur haec [406]

alia sed soboles minus
conspecta mitis. tertium sollers genus

nouas ad artes extitit, sanctum tamen,
mox inquietum.

quomodo potuit esse tertia soboles sancta, cum iam altera minus fuisset mitis, cumque Ouidius, quem imitatur poeta, illam dixerit fuisse saeuiorem ingeniis et ad horrida promptiorem arma? praeterea quam inepte inuicem sibi opponuntur sanctus et inquietus. quin potius ponemus sanum. nimirum, ut Sallustii uerbis utar, etiamtum uita hominum sine cupiditate agebatur. sua cuique satis placebant. denique haec sunt uerba Neronis Octauiae necem imperantis [874]

deuectam rate
procul in remotum littus interimi iube,
tandem ut residat pectoris nostri tumor.

cum omni oratione metus esset indicatus Neronis, non tumoris potius quam timoris potuit inici mentio. neque uero obstat, quod quinque uersibus ante idem praecessit uocabulum.

Simili autem contemptu iacere uel post praeclaras Bentlei curas pleraque loca Silii cum satis constet, quamquam uix multum decoris accedet eidem totis ad integrum restitutis carminibus — nam ingenio est perquam mediocri —, tamen ne huic quidem quae praestitimus obliuioni danda existimaui. itaque in primo libro haec feruntur de Saguntinis [289]

insula quos genuit Graio circumflua ponto
atque auxit quondam Laertia regna Zacynthus.

quis prioris uersus et secundi non dico aptum sed ullum conexum inuenerit, nisi scripserit 'et quae' pro eo quod est atque? — porro eodem uolumine haec feruntur de Hannibale [638]

et quem insana freta aut coetus genuere ferarum.

coetui nullus hic locus. ponendum coitus. — deinde tertio libro de eodem illo extant talia [504]

sed languida maestus
corda uirum fouet hortando.

qui uidebitur credibile Hannibalem cum maestitia hortatum suos ad sustinendos labores, quam debuit uel si inesset ipsius animo occultare, cum praesertim dicat eundem Silius proxime praecedentibus uersibus non Alpibus nec ullo terrore loci fuisse turbatum? scribendum languida maestis. — mox in sexto haec habentur [568]

quod rogitant audire pauent. hic fletus, ubi aures
percussae grauiore malo, metus inde, negatum
si scire.

hic non potest esse uerum, cum proxime ei respondeat inde. reponendum hinc. mox in septimo [294]

haud procul hasta uiri terrae defixa propinquae,
et dira e summa pendebat cuspide cassis

illud dira, quod mirificum in modum languet, ne aptum quidemst, cum galea non faciat ad inferenda sed ad propellenda pericula. nam et omnino ab hoc locost aliena belli malorum exaggeratio. reponendum esse opinor clara. ita dixit Varro 'aerea terta nitet galea'. at sequente libro [300] uerba Fabii perperam scribuntur ita

si tibi cum Tyrio credis fore maxima bella
ductore — inuitus uocem hanc e pectore rumpam —,
frustraris Paulle Ausoniam. te proelia dira
teque hostis castris grauior manet.

cum non Ausoniam sed se ipsum frustretur Paullus, apparet esse ineptum, qualis nunc fertur, uersum tertium. scribendumst

frustraris Paulle. Ausonium te proelia dira

ut Ausonium sit genetiuus. sequuntur paullo post sic uulgata [414]

ecce inter primos Therapnaeo a sanguine Clausi
exultat rapidis Nero non imitabilis ausis.

scribendum rabidis. non magis sunt sincera haec, in decimo quae extant libro [332] de Hannibale tumido successibus 'stimulat dona inter tanta deorum hortatur nondum portas intrasse Quirini'. quae cum uix futurus sit, qui defendat, sufficiet id quod uerumst apponere. restituendum optatas pro hortatur, quod nequis non satis fortiter dictum putet, Vergilii et ipsius Silii exemplis cohibebitur. ita Maro de Aeneae comitibus tempestate uexatis

et tandem optata potiuntur Troes arma.

porro ibidem leguntur de Varrone illa

sic igitur multo lictore inuectus in urbem
damnatum superis adspernabatur honorem.

multo esse ineptum et quod insequentibus uerbis confutetur plerique perspexerunt. neque ulla re praeter facilitatem mutandi commendatur quod unlgo fertur muto. uenit a Silio uel misso uel nullo. — neque probe habent ex insequente libro petita talia [309]

mens una inuiolata mero nullisque uenenis
potandi exarmata decus pugnaeque necisque
Sidoniae tacito uoluebat pectore molem.

quibus non constabit sententia, nisi pro illis, quae sunt 'decus Sidoniae' scripseris duci Sidonio. praeterea eodem libro feruntur haec [379]

altera curarum Lybicis demittitur oris
heu Decius reduci lentas seruatus ad iras.

scribendum dimittitur. — tum in fini uoluminis cur Hannibali negata fuerint auxilia ita explicari creditur

malus obtrectat facta immortalia liuor
nec sinit adiutas ductoris crescere laudes.

adiutae laudes nescioquid importuni habent et inepti, neque inimicis Hannibalis potuit prohiberi illud, ne gloria eius post Cannense proelium etiam augeretur claris facinoribus, potuit, ne extolleretur oppressa Roma. quare quaerendum an melius habeat 'nec sinit ad metas ductoris crescere laudes'. ita septem uersibus ante fertur 'destituemus ad ipsas uictorem metas'. — praeterea habes libro tertio decimo [712]

quam paene ruentia tecum
traxisti ad Stygias Oenotria tecta tenebras.

quis non torporem hominum doctorum damnabit, qui tecta illa cumulo ineptiarum labentia timuerint euertere funditus. scribendum 'Oenotria regna'. ita apud Lucanum semel l. VIIII [458] est in codice Sangermanensi tecta pro eo quod est regna. — porro paucis interiectis uersibus leguntur item mendosa [759]

nullo non tempore abundans
umbrarum huc agitur torrens uectatque capaci
agmina mole Charon et sufficit improba puppis.

cum toto loco appareat non id agi, ut Charonis cymbae uastitas sed eorum qui ea ueherentur exaggeretur multitudo, quod imitatione factum Vergilii [aen. VI, 305—314], debuit poni 'nec sufficit improba puppis'. quod cum ita sit, non adsentior Lachmanno qui improbam pro immani dici existimauit. sed improba ob id ipsum autumatur nauis, quod non par est omnino negotio sicut e contrario dixit Plautus 'armati atque animati probe', quamquam potest etiam aliter explicari improba. porro leguntur ibidem haec [828]

illast quae Thybrim quae fregit Lydia bella
nondum passa marem, quales optabat habere
quondam Roma uiros contemptrix Cloelia sexus.

qui potest credi tum potissimum Romam eguisse uiris animosis, cum uel uirgines haberet fortes? scribendum optabit, quo ipsius

Silii tempora omni luxuria effeminata tangi uix est quod moneam. [cf. Tac. ann. XV, 57 'clariore exemplo libertina mulier' cet.]. denique libro paenultimo talia uulgantur ut Fabii [623]

non dira illa lues notis iam moenibus urbis
assiliet? uacuumque Iouem sine pube sine armis
inuadet? quanti, ut cedas, Romamque relinquas
emerito est? tanto perculsi fulmine belli
siccine te, ut nuper Capua est accitus ab alta
Fuluius, aequoreis Libyae reuocabimus oris?

habent codices de quibus constat emerito est uel emerito at quorum neutrum aut sensui aut grammaticae satisfacit. uide sis an hoc potius sit ducendum

quanti ut cedas Romamque relinquas
emerit. — et tanto.

in quibus illud emerit pro coniunctiuo praeteriti temporis accipiendumst. sic idem Silius alibi 'quantine emptum uelit Hannibal ut nos uertentes terga aspiciat' [cf. Verg. aen. X, 503—505]. apte autem disiectis et perplexis sensibus fluctuantis animo Fabii uariae describuntur turbae. sed alios Senecae Siliique uersus suis dabimus locis emendatos, nunc uero de caesura uideamus.

IIII.

LIBER TERTIVS.

EXPONITVR DE CAESVRA. QVAERITVR AN GRAMMATICI ACCENTVS RATIO SIT HABITA VERSIBVS LATINIS ET FINES SENSVVM AC NVMERORVM QVATENVS INTERSE CONCINERE SOLEANT VEL DISSENTIRE.

In parte huius operis liceat mihi praefari, quod in uniuersum supra monui, nihil magis nobis cauendum esse in ueterum arte metrica aestimanda quam illud, opinionum quantumuis uetustarum prauitate capti ne speciem potius primam quam quae latent intus consideremus, neue quae pueri didicimus ea esse perdenda pudeat nos fateri aetate adulta. praeterea cum cura uidendum, ne eius magis sermonis quo patrio utimur quam Graeci Latinine proprietate imbuti ad rem quaerendam accedamus. nam et tam diuersae sunt rationes metricae neotericorum, ut antiquas recogniturus, nisi uanitate et magniloquentia malet deuincire imperitos, non possit non oriri ab Socratica illa, quae facillime munit uiam ad ueritatem, professione ignorantiae. quod qui neglexerint non minus erunt inepti quam historicorum ei qui res gestas non pro aeterna fatorum serie principioque ac nexu causarum sed in unius gentis aut saeculi gratiam exposuerint. sed iam ut accingar ad materiam huius libri enarrandam, ita stat sententia animo, cum possimus hiatus leges pedumque obseruantias et cetera magna ex parte non modo intellegere mentis acie sed etiam sensus suptilitate percipere, non perinde apparere illud, qui sit factum, ut tanto opere — neque enim de hoc dubitatur — diuersa esset a solita ac pedestri pronuntiatione norma poetica. scilicet materiae pondere deuincti et crassioribus elementis constantes, praeterea pridem perdito quantitatum sensu, uix logicum aliquando nedum grammaticum accentum

migrari a uatibus patimur. quare quid mirum nos uetustarum gentium delatos ad poeticam diuersissima arte nisam, cum summam legum a nostris discrepare primo aspectu intellegamus, certe singula quaedam quasi suetis rationibus congrua uelut ex naufragio arripere, ne prorsus tamen proprietatem nostram cogamur exuere utque popularium nobis et a pueritia inde tritorum carminum similitudinem quandam agnoscamus. hoc desidiae potissimum crimine mirificum in modum uera artis ueteris peritia fuit turbata. iam nos quae minus sensu prorsus aequante elegantiam Romanorum quam firmitate ratiocinandi expediuimus, hunc fere in modum erunt concipienda.

Ac primum quidem omnium in ipsius caesurae definitione non nego me quadamtenus dissentire ab eis uiris, quorum alioquin in rebus metricis summam ueneramur auctoritatem. ueluti persuasum habeo nihil plane referre, incisione in medio uersu facta principalis numerus an alienus efficiatur, neque diuersitatem distinctionum illarum altiore quadam causa sed una lege elegantiae esse temperatam. id maxime deliquatur ea re, quod aliquando in uno eodemque uersu et caesura et diaeresi — nam his uocabulis notumst a Boeckhio distingui incidendi modum utrumque — nos promiscue licet uti ueluti in octonario iambico, qui post arsin quartam an thesin quintam dirimatur plane nihil interest. neque uero ad facultates incisionum quidquam pertinet, similemne uersus totius an dissimilem habeant rythmum, sed potius, in arsi an in thesi sint repositae. nam nec illud mihi probatur, quod dixit Boeckhius caesuram coiungandis magis quam discerpendis esse numeris, quod quidem qui concedet non poterit non amplecti incisionum ab illo institutam distinctionem. uerum longe acrius ac ueluti summa rerum non quisquiliae ac uenti spolia periclitentur impugnandi nobis illi, qui non quam accuratissime distinguent caesuram a fine ordinis rythmici uel interstitio sensus. quorum dux et auctor fuit Hermannus, qui cum statuat proprie tot caesuras adesse uersui quot sint ordines [ep. d. m. p. 57], id quidem ipse satis commode temperauit addendo [ib. 58] plerumque non cuiusuis ordinis metrici sed unius, cuius finem praecipue notari par sit, terminationem fine sententiae uel uocabuli factam nomine caesurae intellegi. at tamen et ipse et secuti eum alii in hexametro dactylico sedecim non minus statuerunt inesse caesuras. debuit sane habere hos mirantes, quod in tot incisionibus causa

ac ratione paribus singuli uersus tantum una egeant aut duabus, ceterae pro arbitrio siue omitti possint seu mutari. quamquam id ita declinarunt Hermannus et Kirchnerus, ut ille Lucretii hexametro hoc 'an contractis in se partibus obbrutescat' post syllabam nonam, hic Horatii tali 'non quiuis uidet immodulata poemata iudex' post quartum trochaeum haberi statueret incisionem legitimam. ego uero in metro isto nisi adsit caesura intra tertiam quartamque arsin nullam omnino agnosco rectam euenire distinctionem neque interesse ad hanc rem, ceterae uersus partes quo sint modo diuisae. sed non minus falsos credo eos, qui sensus clausulam cum caesura coniunctam seu contiguam esse oportere existimarunt. quorum sententiam aperte etiam amplexus Hermannus in Homerico illo

πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα

affirmauit non esse distinguendum post πρῶτα sed post κορύσσεται additis quidem, nequis dubitaret, his uerbis 'cum potior sit totius orationis quam unius alicuius uocabuli finis, eis in uersibus, in quibus utrouis modo incidi potest, non ex uocabuli sed ex orationis fine aestimatur caesura'. hoc autem si recte habet, qui factumst, ut displicerent poetis hexametri tales qui solam haberent incisionem bucolicam, haud dubie cum constet, principalis caesura si adsit uersui, omitti posse reliquas? igitur ut iam appareat, qualem nos caesurae et ceterarum rerum quae hoc libro expedientur animo informauerimus speciem, utque uitentur ambigua uel falsa, certas quasdam finitiones placuit praemitti.

Versus est ordo metricus paribus seu diuersis constans numeris sed sub certa eurythmiae et euphoniae lege incohatus continuatus terminatus. hinc apparet uersuum exempla, licet minime sint infinita, non tamen rato quodam circumscribi posse numero. apte uero statuemus metrum quo usitatius fuerit apud Graecos Romanosque eo propius accedere ad summae perfectaeque pulchritudinis normam. iam cum uersus unusquisque singularum instar sit picturarum siue statuarum, apparet neque demi posse tali quidquam nec addi, cum proprium sit operis arte confecti, ut certa necessitate coerceatur. porro cum initia rerum et fines aut materiae aut temporis significentur spatiis, in uersu euenit utrumque, ut qui nec aliter quam pleno uerbo iniri possit aut concludi et qui maiore debeat uocis interuallo segregari a proximis quam ulla eius pars interior. quod commode indicatur etiam oculis ea re,

quod scripturae interse maiore interstitio uersus separantur quam uerba. hinc autem excusatur, quod syllabae in fine metri locatae breui pro arbitrio tantum adicitur temporis plerumque, ut aequet longam. praeterea intellegitur spatiosi metri fine longius subsisti oportere quam minuti cum proprietate naturae humanae pro differentia negotiorum diuersa requirentis otia tum quod quo breuiores sunt uersus eo saepius et grauius dissidere solent fines numerorum ac sensuum. ceterum haud dubie cum constet metrum uel minimum sic debere distingui pronuntiando, plene ut eius rationes possis computare animo, apparet quam calleant artem dicendi, a qua tamen deductum assumpsere nomen, rhetores quos uocamus, qui plaudentibus pueris et mulierculis et ut quisque imbecillitate iudicii proximus nusquam propter metri fines, tantum propter sententiarum uocis interstitia adhibent, ut neque numerorum circuitus nec caesurae aut rimi, quos proprie ad rythmos iuuandos adhiberi a neotericis alibi declarabo, agnosci possint ac percipi. immo ea tantum bona erit carminis recitatio, qua ordinum metricorum spatia non minus dilucide discernantur quam sententiarum. quod ubicumque impeditur mixtis per inaequalitatem et turbatis interse partibus, non tamen decebit per ludibrium dissimulari artem uitiosam, quoniam minime eleuato incommodo tantum ob id ipsum reprehensionis apud peritos auditores adicitur anagnostae, quantum detrahitur poetae apud non peritos. ceterum uidentur ueteres diutius metri quam sententiae fine continuisse uocem. iam quae modo exposuimus quadamtenus immutari uerumst, ubicumque plures uersus systematis certa iunguntur synaphia. at illis qui suptilius utetur rationibus, facile iam inueniet, cur et in compositis numeris, de duobus uersibus aut uno et parte alterius qui constent, haec discerni membra oporteat finitis uocabulis et in simplicibus aptissimum sit ita collocare caesuram, de qua statim disseretur, noui ut diuisione facta uersus prodeant. deinceps cum simplici iudicii suptilitate ferme improbetur respondere singulis numeri pedibus uerba singula, quo gratia et uarietas paretur, plerumque fine uocabulorum si non contrarius certe dissimilis principali rythmus debet effici. sed ea cum plurimis uersus partibus haud dubie optineat ratio, tamen seruandus est modus, quoniam, nisi certa statuetur norma, facile possunt aboleri omnino ab initio qui fuere numeri, minime iam ut constet carmini natura et origo. quod incommodum ut uitetur, ultimum certe pedem cum paene

ultimo proprium retinere numerum par est, quo nitantur quasi fundamento cetera, simul quod recentissima quaeque maxime inhaerent mentibus. praeterea cum in spatiosis numeris siue mixtis et confusis facillime possint tali ratione oriri noua metra, nec minus quia in uersibus amplioribus nimis accidit taediosum non subsistere uocem extra finem, uoluerunt medio metro pro simplicis elegantiae lege factam distinctionem unam adesse, qua etiam legitime eueniret pausa rythmi. quod quoniam paullo difficilius habet ad intelligendum, statim illustrabo exemplo. igitur ut ab hexametro proficiscamur ut puta tali

ut superent aliae gentes aliae minuuntur,

nisi constet certa incisio, quattuor alia metra unus hic uersus exhibebit, primum quidem dimetrum dactylicum hypercatalectum 'ut superent aliae' deinde tetrametrum hunc 'ut superent aliae gentes' porro dimetrum anapaesticum 'superent aliae gentes aliae' denique paroemiacum 'gentes aliae minuuntur'. quis in tanta uarietate metrorum principalis meminerit? fige incisionem post tertiam arsin, non habebis plus duobus uersibus dimetrum scilicet dactylicum hypercatalectum et uersum paroemiacum. ita diuisis partibus cum concidatur licentia multiplicandi metra, sponte properabimus membra pedum mixta et confusa uerbis celeritate pronuntiandi coiugare ad complendos legitimos numeros. sic caesura cum ipsa finis constituatur ordinis metrici, iam partium, quas efficit, singuli pedes eo artius fit ut coniungantur. — intellegitur autem eo facilius abesse posse incisionem, quo minores extiterint ad eam constituendam causae. quamquam haec licentia magis pertinet ad Graecos. at Romanos ne in hac quidem parte insitam ingeniis seueritatem qua uel arbitraria instituta pro necessariis sunt amplexi saepe migrauisse quid erit mirum? ceterum quamquam principalem caesuram unam non amplius constare uersui necessest, tamen, si illa durior euenerit partium inaequalitate, potest altera ei accedere subsidiaria, qualis in heroico metro incisio bucolica semiquinariae uel hephthemimeri trithemimeris. — iam apparet per se non referre caesura qualicumque adhibita num idem cum principali an alienus efficiatur numerus, nisi quod hic tunc utique gratior erit altero, cum eleuatur eo, ut medio uersu accentus rythmicus et grammaticus possint dissidere. sed primum omnium anquirendum illud, an diuisione facta sonorae euadant partes. quas esse concinnas probasque maxime euincetur eo, si ordines illis effecti

et ipsi aequarint uersus. itaque melior accidit in dactylico hexametro penthemimeris quam in iambico, quippe qua in hoc unus, at in illo bini oriantur uersus noui. nec minus in heroico numero bucolica incisio potior est trithemimeri, quoniam altera numerus adonius, qui et ipse perfectist artificii instar, altera choriambicus non per se constans ille procreatur. igitur ut iam breuiter complectar modo exposita, caesura admissa — quae quidem ob solas euenit rationes metricas — bini oriuntur ordines numerorum finita orationis parte distincti, quorum prioris in termino diutius retardetur uox quam reliquis uersus sedibus praeter extremam omnium, et cum alioqui pedum ac uerborum confusiones discrepantiaeque non separandis potius quam coniungandis inseruiant uersus partibus, una caesura semper ad dirimendos et distinguendos facit numeros. apparet uero ob similitudinem institutorum plerumque conuenire incisionis legitimae loco non minus quam fini uersus syllabam communem.

Quae cum ita sint, nihil iam obstat, quin rationes modo expositae quatenus usu auctorum obseruentur doceatur accuratius. — igitur uersus nulla systematum synaphia iugatos oportere oriri pariter ac finiri integro uocabulo tam diligenter obseruarunt Latini, ne semel quidem ut reperiatur apud eos tale quale habes noto exemplo Graeco ἢ μέγ' Ἀθηναίοισι φόως γένετ' ἡνίκ' Ἀριστογείτων Ἵππαρχον κτεῖνε καὶ Ἁρμόδιος. quod nequis casu factum esse sibi persuadeat, cauetur hisce quae Ouidius de uerbo inepto dactylicis metris refert [e. e. P. IV, 12, 7]

nam pudet in geminos ita nomen findere uersus,
desinat ut prior hoc incipiatque minor.

unde apparet non posse in exitu esse metri uoces nisi quae et ipsae per se constent, siculi accidit in Horatii illis

est locus uni
cuique suus

et porro

stramentis incubet unde
octoginta annos natus.

at in systematis quae synaphiam admittunt rem lege non uetitam cur uitarent auctores, nulla fuit causa. quare nihil habet uitiosi in glyconico Catulli hoc

flere desine. non tibi A-
runculeia periculumst

nec magis in sapphico eiusdem tale

> Gallicum Rhenum horribile aequor ulti-
> mosque Britannos.

quod tribus exemplis repetiit Horatius

> labitur ripa Ioue non probante u-
> xorius amnis.
> Thracio bacchante magis sub inter-
> lunia uento.
> Grosphe non gemmis neque purpura ue-
> nale neque auro.

ceterum ab his paullo diuersast hypermetrorum uersuum ratio, de quibus proximo uolumine exponetur. — sed enim insequentium temporum auctores refugerunt ista, ut praeter pauca e Senecae canticis liberiore metro compositis non in ullo systemate uel ubi maxime liceret similia admitterentur exempla. et in compositis metris, siue binis constant uersibus siue singulis cum parte alterius, uidemus distinctionem ab omnibus diligentissime seruari praeterquam a Prudentio in illo 'soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni' et a Septimio ac Terentiano in tali 'Iane pater Iane tuens diue biceps biformis'.

Iam cetera uti expediam, hexametri dactylici ut simplicissima ita pulcherrima longe caesurast ea, qua post tertium semipedem finitur uerbum. hac enim quoniam quam potest fieri maxime aequabiliter diuiditur uersus — nam prior pars, quanto minor posteriore tanto ob elationem uocis ualidior — nulla praeterea opus est incisione. neque intellego, quomodo potuerit Hermannus statuere [de aet. Orphei p. 690] caesuram istam, nisi aliae accedant, duram fieri atque asperam, praesertim si pluribus in sedibus hexametri similis sit incisio. certe haec sententia Graecorum et magis Latinorum exemplo refellitur. sed decorem ut probemus, geminata parte praecedente — a qua excludi melius spondeos supra declaraui — oritur uersus elegiacus, qui in corolla quasi metrorum Graecorum ex meris gemmis constante secundum post hexametrum locum optinuit tum quae post caesuram relincuntur paroemiacum aequant metrum, quod et ipsum simplicist elegantia. itaque distinctio semiquinaria, ut apud ueteres epicos Graecorum magis optinuit trochaica, ita Latinorum libris quouis tempore omnino fuit frequentissima. praeterea ob insignem eius nobilitatem carmina paullo maiora tantum non semper ipsa incohantur. congruens autem eius est dignitati, quod immensa

Graecorum uersibus, maiore certe quam reliquae cunctae apud Romanos uiguit libertate, aliquando ut per errorem uel absente ea quintus in dactylicis metris semipes exceptionibus patuerit, quasi ipsius natura non caesurae ui traxisset licentiam.

Altera fit caesura semiseptenaria, quae cum apud Graecos non multum optinuerit apud Latinos semiquinariae proximast nobilitate atque adeo praeter illam sola legitima. hac effecta pars prior et ipsast ἔνρυθμος. quae sequuntur non perinde bella. ceterum cum illa satis impares partes reddat uersus, tacita elegantiae lege euenit, ut post tertium etiam incidatur semipedem ueluti sic

despiciens mare uelinolum terrasque iacentes.
infandum regina iubes renouare dolorem.

sed enim salua elegantia abesse potest trithemimeris, cum in tertia arsi orationis pars erit finita. hac autem sub condicione hephthemimerim fere optinere uerumst, si post quartam arsin cum uerbo finiatur sententia, quale habes metro hoc

oscula libauit natae, dehinc talia fatur.

at neque post secundam arsin nec post tertiam ubi terminatum erit uerbum, non iam placebit semiseptenaria, minus ut arrideant metra haec

Lentulus exertique manus uesana Cethegi.
horrendumque Dryanta mouet cui sanguinis auctor.
haec dum Dardanio Aeneae miranda uidentur.
delectique sacerdotes in publica uota.

has autem parum recte habere formas Vergilii suptilissimi metrorum artificis plurimis confirmatur exemplis, qui illis plerumque utitur in oratione aut grauiter concitata aut ad finem properante siue ubi asperitatem cruditatemque rerum uersus congrua imagine quasi depingit. qualia babes in his

labitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus.
quae grauidam late segetem ab radicibus imis
sublimem expulsam eruerent

[cf. aen. I, 259. IV, 582. X, 711. XI, 900 al. aen. II, 452. 579 al. georg. IV, 301. aen. I, 251. 594. II, 84. III, 61. X, 877. XII, 721 al.].

Alia fit caesura in tertio trochaeo, cuius exemplumst tale

spargens humida mella soporiferumque papauer.

haec apud Graecos cum iam prioribus saeculis satis amplo opti-

nuisset usu, mox Nonno eiusque asseclis ita placuit, ut non sine magna uersus calamitate conterminae eius uirilis semiquinariae honore arrepto principalem locum optineret. at Latini in contrarium peccare maluerunt. nam Horatium Lucretiumque si omiseris, e quibus hic ab arte nondum adulta habet ueniam, ille satirico iure et molliculis communique sermoni accommodatis excusatur numeris, quo quis fuit praestantior poetarum, eo accuratius abstinuerunt ab incisione ista, partim perexiguum partim nullum ut habeat apud istos locum. quod quo plenius appareat, iam illud demonstrabo in uersu tali

infandum regina iubes renouare dolorem

siue hunc mauis

omnia fanda nefanda malo permixta furore

solum post quartam arsin haud sane post trochaeum tertium adesse caesuram. in quibus uulgo statuunt principalem incisionem tertio trochaeo repositam ut minus ualidam adiuuari hephthemimeri siue sola siue addita trithemimeri. quod non nego mihi omni tempore uisum esse satis peruersum. etenim cum apud Latinos ad fulciendam diuisionem semiquinariam neque trithemimeris adhibeatur nec bucolica distinctio, scilicet quod aequabiles nec incongruae eis sunt uisae uersus partes, qui poterit credi trochaica caesura, qua proportio membrorum una mora mutatur, tantam fieri partium inaequalitatem, ut iam binis aliis placeat succurri incisionibus. immo uero cum prima usquequaque lex sit caesurae, ut interse quae segregentur ne nimis fiant incongrua spatio, iam si statueris uersu isto

infandum regina iubes renouare dolorem

post secundam etiam quartamque distingui arsin, norma ista, quae mediocriter seruatur priore hemistichio — quamquam oportuit partem principalem qui nunc choriambum explet minorem utique esse insequente —, foede uiolatur posteriore. quis enim credet pedem iambicum apte respondere insequentibus duobus anapaestis cum dimidiato? aut hoc parum concinnum aut nihil. quod cum ita sit — pertinet autem ad Graecos non minus quam ad Latinos — recte dicemus, si insit uersu isto 'infandum regina iubes renouare dolorem' caesura trochaica, eam tam firmam esse existimasse ueteres, non ut ullo proprio egeret adminiculo. quippe etiam a ueritate erit alienum, siquis contrariam amplexus supra propositae sententiam dixerit metro proxime memorato

principalem quidem caesuram euenire post arsin quartam, huic uero accedere augenda elegantia trithemimerim cum tertia trochaica, ut huic tribuatur idem momenti quod habet trithemimeris. quis enim, amabo, sibi persuadebit binos illos anapaestos qui sunt inter infandum et renouare etiam egere distinctione? sed ut mittam hoc, incisionem si adesset quartae arsi ne potuisse quidem etiam fieri post trochaeum tertium ea re apparet, quod ad reddendum semiseptenariae rythmum anapaesticum facere diuisos pedem tertium et quartum semipedem trochaico uerbo et iambico infra comprobabo. unde sponte sequitur choreum tertia sede collocatum si post sequentem arsin etiam sit incisum facere ad coniugandos non ad distinendos numeros, quod ipsum contrariumst caesurae. quare haec equidem sunt uana, idque solum probabilest uersu hoc 'infandum regina iubes renouare dolorem' aut post regina aut post iubes esse caesuram principalem, cui quidem accedat minor auctoritate trithemimeris. iam primum omnium ubi compararis uersuum eorum, qui aperte post trochaeum tertium habent incisionem, summam raritatem cum frequentia distinctionis semiseptenariae huius

oscula libauit natae, dehinc talia fatur

siue talis

despiciens mare ueliuolum terrasque iacentes,

uix poterit esse dubium re ambigua per se utra sit caesura principalis. sed primum illud exemplis in quantum opus adstruemus. itaque Lucretius uersus ad hanc speciem factos 'Aeneas Anchisiades et fidus Achates' — quibus accedunt qui tamen apud plerosque sunt longe rarissimi tales 'nauibus infandum amissis unius ob iram' — habet in primo libro et altero CXXX, at uero non plus XXXXIII trochaeo distinctos qualis est hic 'spargens humida mella soporiferumque papauer'. huius tamen proprias rationes supra iam notaui. at enim Vergilius cum in primo et secundo aeneidos habeat semiseptenarias certas nec dubias LXXVII, omnibus libris uersus muliebri caesura praeditos non plus habet LVIII idem. nam eundem difficilest ad credendum continuasse incisionem hanc eandem uersibus his, quos eripuit ei auctor Ciris

quo cursu deserta petiuerit et quibus ante
infelix sua tecta superuolitauerit alis.

neque enim quod Ciceronis aut Lucretii et Horatii paucissimis euenit exemplis, iam decebit Maronem, cum neque ipse alibi neque in-

sequentium certe quisquam classicorum usquam tale admiserit. quare melius illud superuolitauerit distinctis efferemus uocibus. — at Statius primo Thebaidos uolumine habet totidem uersus semiseptenaria caesura distinctos, quot totis libris extant cum tertia trochaica. mox Iuuenalis saturis VI et XIIII habet illam caesuram quadragiens bis, at alteram omnino undecies. praeterea Valerius Flaccus libris primo et octauo uirili utitur distinctione quadragiens nouiens, muliebri per totum opus semel ita

frater Hagen Thapsumque securigerumque Nealcen.

porro Lucanus caesuram hanc cum numquam habeat, illa certe utitur triciens sexiens. mox Prudentius trochaicam diuisionem habet senis locis, uerum alteram senis ac septuagenis. iam apud hos et tales auctores quin uersu illo unde orsi sumus 'infandum regina iubes renouare dolorem' praeter trithemimerim sola insit hephthemimeris paucis credo fore dubium. etenim si fuit incisio post trochaeum tertium isto unde sumus profecti metro, cur uersus illi, qui habent caesuram eandem non finita in quarta arsi parte orationis, tam rari euenere apud eosdem? porro unde lectori appareret incisione trochaica potius alioqui paene inusitata quam ea quae passim plurimis exemplis adhiberetur uersum oportere distingui? quare mihi illud solum possit obici, quod poetas haud paucos et cetera praestantissimos infra sim demonstraturus raro uti semiseptenaria alia quam quae non aut post tertiam arsin aut simul post secundam arsin et tertium trochaeum incidatur, quorum legitimae sint normae hae

oscula libauit natae, dehinc talia fatur
infandum regina iubes renouare dolorem,

at eximiae tales

Aeneas Anchisiades et fidus Achates
nauibus infandum amissis unius ob iram,

non ut minus hae plerumque arceantur a carmine quam illa 'spargens humida mella soporiferumque papauer'. uerum horum cum maxime commonstratur auctoritate neque ipsos neque ceteros cogitasse de caesura muliebri eius in quo uertitur disputatio uersus. etenim quo quisque perfectior arte Romanorum, eo magis cauent, ne tali numero 'infandum regina iubes renouare dolorem' post tertium trochaeum potius quam post quartam arsin sensus fiat interstitium. at hercule apud Graecos plane optinet contrarium. itaque cum seuerissimi longe in arte sint Ouidius Luca-

nusque et Claudianus, Ouidius in primo metamorphosium et porro artis amatoriae interpunxit post trochaeum tertium exemplis his

poena placet diuersa, genus mortale sub undis
perdere.
quae uoluit legisse, uolet rescribere lectis.
nec timide promitte. trahunt promissa puellas.

ex his primumst mollissimum, secundum ac tertium habent excusationem et a nexu mutuo sensuum, et a repetitione identidem admissa uerbi eiusdem. porro Lucanus ultimo uolumine et Claudianus carminibus de consulatu Probini et Olybrii et de Mallii Theodori [1. 17] numquam habent incisam sententiam trochaeo tertio at hercule saepissime omnes post quartam arsin. praeterea dignumst memoria, si quando post tertium trochaeum interstitium fiat enuntiati, alterum ferme adesse semipedi septimo. ita Ouidius in quarto metamorphosium cum bis intercidisset sensum trochaeo tertio, talibus id fecit uersibus

ille ego sum
mundi oculus. mihi, crede, places. pauet illa, metuque.
quidque uelit. quod uellet, erat, ne regia Cadmi
staret.

ceterum illud dignum mentione uerba sentiendi et declarandi in enuntiato ab eis pendente, in quo insint media, quasi enclisi quadam ita coalescere, ut prorsus unum efficere uideantur sensum. unde neque in tertio trochaeo incisast oratio uersuum uelut talium

'placatus mitisque' rogant Ismenides 'adsis'.
'intus habes quem poscis' ait. circumspicit ille,

neque post quartum pedem in his

'quae'que 'uiae tibi causa? quid hac' ait 'arce petisti'.

hinc etiam fit ut enclitica uox ad uerbum finitum pertinens orationi inde pendenti addatur, quod et proxime posito habes uersu nec minus his

'quod'que 'canas uates accipe' dixit 'opus'.
non tulit Inachides 'matri'que ait 'omnia demens
credis'.

at possit obici illud eis certe uideri uersibus ponendam esse caesuram muliebrem, qui trochaeo solum tertio non perinde insequente arsi finitam habeant sententiam, ueluti illo

littora deseruere. latet sub classibus aequor.

sed ne hoc quidem ullam habet speciem probabilitatis. primum enim apud ueteres metri rationes ubique potiores habentur quam

sensus. neque uero de nihilo ortus est Romanis tantus amor caesurae hephthemimeris, sed ut arcano artis propriae modulo atque adeo indolis ipsorum totius usquequaque respondens grauitati. iam uero constat poetis uel mediocribus exiguum uersuum qualis est ille 'littora deseruere' admitti numerum nec fere aliter quam legitima uenia hoc est repetitis uocabulis et oratione grauiter commota aut iniectis nominibus propriis. sed quid multa? nempe produxit Horatius arsin quartam in his, quae nullum post illam at graue post trochaeum proxime praeeuntem habent interstitium enuntiati [sat. II, 3, 259]

amator
exclusus qui distat? agit ubi secum, eat an non.

quod cum non potuerit euenire nisi iure finiti ordinis metrici, sponte apparet, quo sit loco reponenda metri illius legitima incisio. itaque iam exulabit incisio trochaica a uersibus hisce 'infandum regina iubes renouare dolorem', 'labitur exanimisque tremens procumbit humi bos'. qui cur post priorem thesis tertiae partem finitum habeant uerbum, infra exponetur.

Iam cum rem ratione confecerimus, consideremus age grammaticorum Latinorum testimonia, quae adeo nobis non sunt aduersa, ut potius confirment opinionem nostram et muniant, quamquam stupore et imperitia auctorum uetustiorum praecepta utique plana et certa ab illis sunt obscurata. quorum uel inde uanitas declaratur quod excepto Ausonio [praef. cent. nupt.] nemo trithemimeris caesurae meminit. — ac primum quidem Terentianus Maurus postquam legitimas esse asseruit uersus heroici incisiones eas, quibus post tertiam aut quartam arsin terminetur pars orationis, haec tradit de caesura trochaica [1685]

horûm si nihil est, specta, ne forte trochaeus
sit tertius finesque det uocabulo.
'infandum regina'. datur locus ecce trochaeo,
quem post duos pedes uidemus tertium.

hunc secutus hic ut alibi Marius Victorinus habet haec fere [2508] 'erunt igitur semiquinaria et semiseptenaria principales tomae uersus, quibus similiter et iambici uersus trimetri diuiduntur. sed his duae aliae succedunt. nam si neutram harum inueneris, tertium trochaeum in uersu conquires id est penthemimerin disyllabo clausam ut est infandum regina. nam percussis duobus pedibus tertius pes trochaeus est gina, cui coniuncta breuis in secundum

legem uersus hexametri dactylum complet, hes autem syllaba et sensum superioris coli complet, ut fiat hephthemimeres, et sequentis pedis initium inducit'. contra dicit Diomedes [497] eodem Vergilii uersu binas inesse caesuras post trochaeum tertium et quartam arsin. et de coniunctis caesuris quidem quanta cum peritia iudicauerint isti, uel inde cuiuis apparebit, quod dicunt Marius et Diomedes uersibus his

arma uirumque cano, Troiae qui primus ab oris.
talibus Ilioneus. cuncti simul ore fremebant

tris inesse caesuras semiquinariam ac semiseptenariam cum bucolica. scilicet homines doctissimi terminos ordinis metrici cum finibus uerborum confudere. quamquam his uel ineptior Priscianus, qui dicat [1216] raro posse uersum habere hephthemimerin, si habeat tertiam trochaicam. pessime autem omnium auctor nescioqui — Atilii circumfertur nomine — asserit [2691] optimum haberi hexametrum, cuius caesura habeat penthemimerin parte orationis finita ut 'arma uirumque cano' aut duos pedes et trochaeum similiter distinctum pleno uerbo ut 'infandum regina'. sed nos simplici ratione usi et profecti a testimoniis Terentiani et Victorini, qui disertis uerbis affirmant tum demum quaerendum de caesura trochaica, si neque post tertiam nec post quartam arsin sit incisum, quaeremus potius, qui sit factum illud, ut et exemplo uterentur tam importuno pariter illi omnes et peiore quidam laberentur errore. scilicet id euenit causa mira ac paene ridicula. etenim cum Latini metrici quorum ad nos peruenere libri secuti utique communem fontem soleant, puerorum ut commoditati consulatur, exempla ex primis potissimum carminum uersibus sumere, iam arripuere illi uersum libri secundi Aeneidos tertium ad commonstrandam caesuram trochaicam, sicut plane et huius et aliorum initiis sunt usi ad ceteras declarandas incisiones. neque culpandi ei, qui diserte addiderunt non quaerendum de caesura trochaica, nisi ubi non essent legitime post arsin tertiam uel quartam institutae, sed insequentes, qui apertam ueritatem incuria et inertia deprauarunt. ceterum etiam clarius testimonium habes in apospasmatiis auctorum rei metricae ab Heusingero primum editis. namque ibi postquam sunt enumeratae incisiones uersus heroici penthemimeres hephthemimeres trochaica tertia bucolica, subiciuntur talia [p. 580 Gaisf.] 'ex his quattuor caesuris duae primae ad legem scandendorum uersuum sunt dicatae, ceterae uero duae po-

sterorum technicorum iudicio sunt omissae'. quid apertius his et simplicius? quamquam posterorum illud non recte habere facile apparet. et minus quidem uidetur probabile scribendum esse 'poetarum et technicorum' quam illud 'nostrorum technicorum'. nam pertinere regulam istam ad solos Latinos cuilibet apparebit. porro apospasmatia ista et alibi probae et antiquae eruditionis exempla continent. ceterum rationes ac modulos incisionis uere trochaicae, quae quidem apud Romanos longe rarius euenit quam hephthemimeris apud Graecos, siquis plene cognoscere uolet, legat Vergilii libros, qui non aliam rei metricae partem suptiliore cura administrauit. namque utitur illa numquam nisi certis condicionibus aut additis uocabulis propriis siue technicis seu polysyllabis aut repetitis oratorio affectu uerbis siue cumulatis aut ad describenda grauia indignaque uel lenta et quieta aut aliter per onomatopoeian. praeterea notabilest ad sedandos affectus orationis grauissime concitatae aut sublime elatae finem aliquando fieri incisione muliebri ueluti exitu libri primi georgicorum aut ultima oratione Iunonis quae legitur aeneidos l. X initio. sane simile praeierat Catullus ita

adnuit inuicto caelestum numine rector,
quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt
aequora concussitque micantia sidera mundus.

ceterum haec quo longioribus persecuti sumus ambagibus, eo simplicius statui licet de ceteris quae feruntur uersus heroici incisionibus, hoc est quarta trochaica uel bucolica. earum origines et incrementa paucis expediam. igitur cum apud Graecos tantum non semper in tertio pede legitima adesset incisio — nam Bekkerus in Iliade istam normam centiens octogiens quinquiens in Odyssea septuagiens semel migrari annotauit —, haud ineptum uisumst etiam insequenti pedi aliquam adesse distinctionem. igitur ut raro post quartum trochaeum ita saepe post dactylum quartum, non frequenter spondeo mutatum, admiserunt distinctionem, qua dirempta metra et ipsa fiunt ἔνρυθμα. haec uenustas ne periret timuere exaggerando caesuram istam post quartam interpungere pedem, si quintus constaret spondeo, quem adonium metrum non recipit. iam bucolica sectio quanto opere ualuerit Homeri libris, comprobauit Bekkerus et recensione nuper edita nec minus commentatione de uersu Homerico scripta [p. 265 sq.]. magis etiam placuit illa pastoralium carminum auctoribus, quamquam uani fuerunt qui assererent Theocriti operibus ter quaterue non saepius eam esse

laesam [Mar. Vict. 2563]. eadem haud ingrata Nonno et aetati ultimae. at de trochaeo quarto hisce uerbis disseruit Hermannus [de aet. Orph. 692] 'in magna illa caesurarum uarietate quam habet uersus heroicus una praecipue incisio est, quae, quia uim et robur numerorum debilitat, a melioribus poetis improbatast. eam dico quae habet trochaeum in pede quarto

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός.

hanc igitur non nisi rarissime admiserunt'. ex his quae ultimo loco leguntur ut ab experientia ducta fidissima magistra ueritatis utique habent rectissime. sed quod dicit idem Hermannus incisione ista minui robur metri ex parte tantum uerum esse existimo. namque illud quidem haud dubiumst reposito tertia sede uerbo trochaico non magis recte habere trochaeum insequente loco quam praecedente, perinde fere uitiosum ut sit tale

et platanus genialis acerque coloribus inpar

atque hoc est

una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis.

quare haec ut Graeci ita Latinorum plerique sat constanti uitarunt consensu. contra aliter longe habere rem, si insit uersui semiquinaria uirilis, eorundem Latinorum declaratur exemplo. ex quibus cum ne perfectissimi quidem uitarint talia

Iunoni ante omnes, cui uincla iugalia curae,

nos audebimus ea incusare quae Ouidio ac Vergilio non displicuere? quid quod idem nec illud anxie declinarunt, ne talibus numeris aut in altera sede aut in quinta etiam haberetur uerbum trochaicum? placet iam causam Graecorum fastidii curatius anquiri, cum praesertim recte illustrata facere uideatur ad suptilitatem ueteris elegantiae probe declarandam. nimirum uetustissimi conditores artis cum non alienam a carminis heroici maiestate duxissent incisionem tertiam trochaicam, tamen acriter cauendum intellexere ne adaucta licentia trochaei haud dubie effeminarentur numeri. iam cum idem metricas rationes non scholasticis praeceptis notatas sed uiuido pulchri sensu conformatas haberent traderentque, uerendum fuit cum qualibet pedis tertii incisione admissus saepius sede proxima trochaeus ne mox latius uagaretur. sed enim a secundo pede excludere eum non potuere propter certas finiti ordinis obseruantias, quas posthac memorabo, potuere a quarto. ita probe iam fuit cautum, ne semel admissa licentia noxam traheret. hanc normam antiquitus receptam Homerici car-

minis auctoritate magis magisque optinente in tertio pede caesura muliebri quod diligenter seruarunt posteriores, minime erit mirum. at Romani, quibus incisio tertii pedis trochaica sine hephthemimeri paene nulla esset, cur trochaeum a quarto pede excluderent plane non fuit. ceterum similes ueterum poetarum cautiones non praesentis tantum temporis, etiam futuri prospicientium incommodis licet animaduerti et alibi. — pudet longius aberrasse a uia. quid enim ad nos Graeci? nulla uero umquam fuit apud Romanos post quartum uel dactylum uel trochaeum incisio, quae aut per se stare posset aut idem certe dignitatis optineret quod hephthemimeri iuncta trithemimeris. et uerbum quidem finire eis locis uersus cur metuerent nulla profecto causa extitit. quare uidendum an nimii fuerint sequendis ut puto Alexandrinis Catullus in epyllio et Lygdamus, omnino qui abstinuerunt locandis quarta thesi trochaeis. sed enim cum cura notandum non quaesitas potius quam uitatas auctoribus distinctiones istas, ubicumque aliarum eis pariter adesset facultas. sed maximum in eo argumentum, quod interstitio sensus, quod addi caesurae ipsa fert natura et quod finito certe pedi quarto optime iugatur, quo quis magis in arte perfectus curiosius abstinuere. quod ilico probabo exemplis. igitur Ouidius in uolumine tertio metamorphosium decieus interpunxit post quartum dactylum [149. 187. 210. 266. 349. 359. 532. 551. 562. 642] at Statius libro Thebaidos primo septiens [3. 41. 94. 107. 127. 142. 579] tum Valerius Flaccus durior uersificator libro aeque primo ferme octiens deciens. at Martialis in xeniis et apophoretis quorum sunt hexametri CCCXXXV quater incidit post quartum dactylum [XIII, 76, 1. XIV, 129, 1. 163, 1. 212, 1]. sic Symposius in aenigmatis non saepius bis distinxit illo loco sententiam et quidem his uersibus 'in terris nascor, lympha lauor, unguor oliua' 'meque tenet numen, uentus timet, aequor adorat'. quae uides propria firmari excusatione. at male habet quod Heumannus dedit similiter interpunctum uersum aenigmatis de pluuio ultimum [9, 3]. sed maxime quaerendum illud, bucolica incisione an sint delectati Latinorum ei pastoralia qui carmina composuerunt. quod si secus euenit, quis iam credet, illam apud reliquos optinuisse? igitur Calpurnius eclogis prima et secunda quorum sunt uersus CLXXXXIIII habet interpunctionem post quartam sedem duodeciens, Nemesianus opusculis illis 'dum fiscella tibi fluuiali Tityre iunco' 'formosam Donacen Idas puer

et puer Alcon? — complent metra CLXXVII — ter non saepius. ab his paullo diuersus Vergilius, quippe qui in decem eclogis, quae habent numeros circa DCCCXXX, quinquagiens quinquiens post quartum dactylum inciderit sententiam. contra idem in Aeneidos primo ac nono et uersibus plus MDL non amplius uiciens quater. uides quam raro usus sit incisione ea in grauiore carmine, qua in re conuenit ei cum Lucretio. at alienam normam Theocriti aemulatione uecisse non moror, modo ne hunc magis quam ceteros credamus caesuram rythmicam collocasse, post quartum dactylum. nam et modicus numerus est exemplorum istorum, si ea cum Theocrito compararis, et disertis id uetustorum grammaticorum testimoniis refellitur. ceterum ubicumque illi quos enumeraui seu ceteri quartum pedem ab insequentibus distinxere, et illud plerumque curauerunt, ne fieret grauius sententiae interstitium, et amarunt separare arsin a thesi, scilicet ita primam legem finiti caesura metrica ordinis declinantes. praeterea plurima excusantur necessitatibus quas secundi libri initio exposui. — at aliter etiam longe res habet in quarto trochaeo. nam in hoc cum satis inepte sensus fiat clausula uel mediocris et propter caesuram proxime praecedentem et quia sic pedis quarti pars ultima ad finem ordinis ab ipso alieni diducitur, uel minore distinguere eum interpunctione sedulo cauerunt. hinc factum quod Lucanus et Claudianus cum Homero Latino ne semel quidem isto de quo agitur loco sensus quantumuis exiguo interstitio numeros retardarunt. ceteri ut quis perfectior arte eo idem tenuere accuratius. — restat ut grammaticorum ueterum testimonia afferam. e quibus cum alii trochaicam quartam incisionem memorent, alii silentio praetereant [e. g. Ausonius praef. cent. nupt., apospasm. metr. p. 580 Gaisf., cf. Diom. p. 497], quantum ad bucolicam grauissimus quisque metricorum meae adstipulatur sententiae. ueluti Terentianus Maurus habet haec [2123 sqq.]

pastorale uolet cum quis componere carmen,
tetrametrum absoluat, cui portio demitur ima,
quae solido a uerbo poterit conectere uersum,
bucolicon siquidem talem noluere uocari.
plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus.
noster rarus eo pastor Maro, sed tamen inquit
'dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei'.

his simillima tradit Victorinus [2563]. sed meliora utroque Atilius qui falso creditur [2697], cuius sunt haec 'herous, si quarto pede

partem orationis finiat, bucolicum facit ut ab Ioue principium Musae. Iouis omnia plena. Theocritus hanc metri legem custodiuit, Vergilius contempsit.' ualeant igitur iam caesurae bucolica et quarta trochaica, quibus nullus in uersu Latino locus. quas priusquam mittam afferam tamen uerba quaedam Metrorii [auct. class. ab A. Maio. ed. III, 511] huc pertinentia ut emaculem uitio. nam feruntur ea ita 'bucolica tome est ornatus causa addita sententia, ubi duo uersus in uno uersu inueniuntur, ut est illud dic mihi Damoeta cuium pecus? an Meliboei?'. haec quis gentium crediderit esse sana? scribendum 'bucolica tome est ornatus causa addita uersui, ubi duae sententiae in uno uersu inueniuntur'. iam relictis nugis ad uera ut redeamus, priusquam doceam quaenam fuerint diuersorum auctorum diuersa in caesuris uersus heroici temperandis placita, enumerabo, qui sustinuerint aliquando omnino incisionem neglegere. ac primum quidem Ennius haud dubie habet uersus caesura egentes sed neque multos neque ut opinor expertes consilio quodam et ratione. quod ut demonstrem omnes enumerabo. sunt autem hi

corde capessere. semita nulla pedem stabilibat.
poste recumbite uestraque pectora pellite tonsis.
cui par imber et ignis spiritus et graui' terra.
sparsis hastis longis campus splendet et horret.

in his omnibus exemplis uidetur mihi quasi consulto neglexisse incisionem. nam primum et secundum apte congruunt orationi ualde concitatae, ultimum tardatae et claudicanti, unde etiam multiplicati reperiuntur in illis dactyli in hoc spondei. tertium aequabilitate sensuum quandam habet excusationem. sane etiam alibi Ennius facetiis propriis ut indulgeret minus curauit elegantiam carminis uel dignitatem ut in illo 'at tuba terribili sonitu taratantara dixit' et in fragmento sotadico quod sic incipit 'nam qui lepide postulat alterum frustrari'. ceterum quod dicit Vahlenus [quaest. Enn. p. 85] de illo 'sparsis hastis longis campus splendet et horret', si quis Ennii poesin nolit hoc quasi monstro dedecorari, efficere ea uerba ita ut tradantur saturnium, impune contemnemus Vahlenos. di melius quam ut hunc adsumamus artis Ennianae uel perfecto metrico difficilis arbitrum, qui talia Ennio pro hexametris intulit portenta qualia sunt

Volturnalem Palatualem Furrinalem
Floralemque Falacrem et Pomonalem fecit,

siue hoc mauis 'isque dies postquam Ancus Martius regna recepit'. quis autem nisi mentis inops poterit credere eum esse Saturnio metro usum, qui quam contumeliose de eo iudicarit uel pueris notumst. — iam Lucilium quod dixit Lachmannus non uideri credibile ullum sine caesura fecisse uersum [prooem. lect. Berol. aest. 1851 p. 3], mihi quidem non persuasit. uerendum quippe ne hac licentia ablata prorsus uideatur iniuste de Lucilii uersibus iudicasse Flaccus [sat. I, 4, 8—10]. nam elisionum multitudinem et asperitatem non potuit incusare qui admisit ipse, neque productionum et hiatuum ac synizesis audacia nimius Lucilius. quin potius ob ipsum caesurae defectum uituperatum eum ab Horatio satis probabiliter statuit Santenius [ad Terent. p. 229]. nam et illum uersum recte alioquin, ut puto, constitutum a Lachmanno 'hiberna intuba momento omnicolore colustra' caesura carere infra demonstrabo, et alterum, qui a Nonio uel librariis eius [31] uix recte libro XXVIIII tribuitur 'nec uentorum flamina flando suda secundent', apparet non nisi traiectione satis incommoda legitimam posse accipere incisionem sic 'flamina nec flando uentorum suda secundent' siue hoc placebit 'flamina uentorum nec flando suda secundent'. omnino autem cauendum, uetustissimorum ne nimis cultos fuisse existimemus numeros, qua opinione quantum horum laudi accedit tantum plerumque demitur Vergilio et Ouidio. nam nec illud probo, quod sustinuit Lachmannus hexametros caesura carentes abiudicare Lucilio Horatio attribuere. iam deinceps auctores classici acriter uitarunt ne facerent hexametros incisionis expertes. nam quae Lucretii exempla ut distinctione solum post duodecimam syllabam hoc est mihi si credes nulla praedita protulit Hermannus [el. d. metr. p. 336], ea ne cetera quidem secura esse optime intellexit Lachmannus. nec minus idem uitium alienum a poetis christianis, quo omnino abstinuerunt Boethius Prudentius Paulinus Auianus Ausonius Auienus Sidonius Sedulius Martianus Priscianus Arator Maximianus Corippus Eugenius. quod contra feruntur apud Iuuencum haec [I, 466. IV, 641]

post fratres Iăcobum Iōannemque marinis.
hoc pretium pretiosi corporis instituentes.

quorum tamen exemplorum alterum, si modo erit uerum — nam uariat lectio —, a nominibus propriis et apostolorum habet excusationem, alterum inde quod uaticinium biblicum eo exprimitur, simul quia facete luditur illis quae sunt pretium pretiosi. at

minime Ausonio dignum quod in carmine de caelestibus signis huic perperam adscripto legitur 'celsior his Saturnus tardior omnibus astris'.

Sed enim iam quaerendum erit de caesura quam nouam sibi uisus est repperisse Lachmannus inter colliquescentes syllabas. igitur statuit ille, ea si uersus sede, qua legitime ponitur caesura, constet initium uerbi, cui ingetur per elisionem praecedens quod in longam uocalem uel consonam m desinat, fieri recte incisionem inter media haec uocabula, utique adiutam synizesi, ut recte habeant ab arte metra haec

hiberna intuba momento omnicolore colustra
sic animis natum inuentumque poema iuuandis,

uitiosa sint talia

Vulturnum quasque euertere silentia Amyclae
non quiuis uidet immodulata poemata iudex.

quam ueram esse opinationem nullo mihi persuadebitur pacto. ac primum quidem prorsus non capio, qualis ratio fuisse elisionis uideatur Lachmanno. nam siue absumi statuetur finalem in uocalem uel m desinentem sequente uocali siue potius synizesi obscurari, illud quantum ego sciam non fuit qui dubitaret eam nisi admisso hiatu non habere uim in metro. quam opinionem quod contemnere maluit Lachmannus quam confutare, equidem satis miror. iam cum nec ipse inuenerim, ea qui possit labefactari, apparet in uersu tali

sic animis natum inuentumque poema iuuandis

caesuram, si inter colliquescentes fiat syllabas, non extare potius post tertiam arsin quam post thesin secundam, qualem heroicum metrum non recipit. praeterea non intellego cur incisionem istam precariam non permiserit fieri Lachmannus, nisi si esset elisio aut longae aut in m exeuntis syllabae, ut uitiosus ei uideretur uersus talis

sponte sua forte offensando semina rerum.

nam quod uidetur timuisse, breuis ne plane synizesi absorberetur, id aliter habere infra demonstrabo. sed uel ob id falsam esse sententiam istam existimo, quod ita efficitur Horatium et Silium uersus caesura carentes admisisse. neque tamen uersibus qualis est 'sic animis natum inuentumque poema iuuandis' abest incisio legitima, sed constat ea per licentiam tmesis post syllabam in qua fit elisio, quam quidem utique necessest praepositionem esse [cf.

Bentl. ad Hor. carm. IV, 8, 17]. plura autem de re eadem exponentur a me l. VI. — quae cum ita sint, non potest stare quod Persio tribuit Lachmannus metrum

non equidem studeo ampullatis ut mihi nugis.

at Lucretio etsi non erit incongruum quod idem addidit de coniectura [VI, 1065]

quae memorare queam inter singillariter apta,

— uulgo circumfertur 'inter se singulariter' — tamen quod olim proposuimus scribendum esse 'inter se simul uniter apta' ne nunc quidem non contendimus esse uerum.

Sed iam ad suptiliores caesurarum hexametri leges enarrandas progrediamur. et primum quidem declarabo rationes caesurae semiquinariae uirilis, quae cum apud ueteres Graecos heroico maxime carmine optinuisset, minus illa frequentata leuiore poeticae genere, placita omnino diuersa Romanorum optinuere usu. nam apud illos admissa iam, quae proxima dignitatest, caesura tertia trochaica molliores euenient numeri, hi legitimam diuisionem praeter eam quae fit in tertia arsi cum non habeant nisi quae in quarta, quam per se satis crudam plerumque et trithemimeris addita exasperat, non possunt substituere semiquinariae incisionem praeter duriorem. hinc apud Latinos quoquis magis mollia et suptilia carmina composuit, eo magis adhibuerunt penthemimerin uirilem. quod ilico exemplis comprobabo. igitur Valerius in libro principe et uersibus DCCCLI utitur illa ferme quingenties nonagies. et Vergilius in eclogis a prima ad quintam — habent metra CCCCXX — eandem optinuit plus trecentiens triciens. idem alibi pro singulis incisionibus semiseptenariis in primo georgicorum quaternas in aeneidos ternas habet semiquinarias. porro Ouidius initio transformationum et uersibus circa DCCLXXX eam locis DCLXX admisit. quin idem primo artis cuius sunt hexametri CCCLXXXV huius dedit exempla CCCXXXI. tum Claudianus in carminibus de Anjciorum et de Mallii consulatu, quae complent numeros DCXVIII, habet penthemimerin ferme quadringentiens quinquagiens. iam Vergilii Valeriique norma Statio Silioque Ouidii et Claudiani Catoni ac Sedulio seruatur. quid quod Martialis in xeniis et apophoretis potioris caesurae habet exempla circa CCCXXV alterius uix tricenas? porro Symposius in uersibus plus CCC quindeciens non amplius adhibuit hephthemimerin, quam et auctoribus carminum priapeorum et Eugenio Toletano ualde displicuisse constat. denique etiam sati-

rici Ouidii omnino rationibus sese applicauerunt. quae cum ita sint, intellegitur hephthemimerin ubi maxime optinuerit minus tertiam partem uersuum sibi uindicasse sed saepius longe quintam sextamue aut etiam magis exiguam.

Iam ut persequar coepta, cum semiseptenariae proprie tria supra agnouerimus genera, quorum primumst, si post tertiam arsin etiam sit finitum uerbum, alterum, si post secundam, ultimum, si post neutram, binas secundi ternas tertii distinximus species. quorum discriminum exempla supra apposui haec

oscula libauit natae, dehinc talia fatur.
infandum regina iubes renouare dolorem.
despiciens mare ueliuolum terrasque iacentes.
labitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis.
haec dum Dardanio Aeneae miranda uidentur.

iam de senis hephthemimeris speciebus prima ac secunda aequa elegantia habentur, quamquam magis frequentatur posterior, at e ceteris tertia quartae haec sextae sexta praefertur quintae. iam cum incisio tertia trochaica fere sit aliena a litteris Latinis, tres legitimae euenerunt apud Romanos uersus heroici caesurae, quales habes metris hisce

arma uirumque cano, Troiae qui primus ab oris.
oscula libauit natae, dehinc talia fatur.
infandum regina iubes renouare dolorem.

sequitur auctorum quo quisque in arte fuerit perfectior eo saepius apud talem istas species uersus debere inueniri. et quidem solas has optinent Sulpicia Caleni Symposius Palladius Auianus Merobaudes Boethius Eugenius Sisebutus [Mey. 388] praeterea auctores priapeorum atque item elegiarum de Maecenatis deque Maeuii obitu ac de Phoenice dein qui scripsit carmen cui titulus 'uerba Achillis in Parthenona cum tubam Diomedis audisset' quique alterum de concubitu Martis et Veneris. quibus proximi dignitate atque ipsi eximii sunt illi qui semel aut bis migrarunt legem, quorum uetustissimum Valerium Catonem fuisse accepimus, qui quater seuerissimae elegantiae firmitatem deseruit [66. 84. 57. 78]. tum auctor carminis de Pisone, alioqui cum accedat arti poetarum modo commemoratorum, unum habet uersum alienum [78] 'Graecia Cecropiaeque sonat grauis aemulus undae'. sed nec hoc sua eget excusatione, nec quod auctor laudium Herculis etiam semel admisit tale [100] 'iuuat ire et libera rura defensosque

uidere locos'. nam expressit Vergilianum 'iuuat ire et Dorica castra desertosque uidere locos'. ita semel Martianus [V, 425, 3] 'turbati expauere dei uulgusque minorum'. iam Nemesianus in bucolicis semel artem migrauit ita [8, 52]

pectus erat. tu ruricolum discernere lites.

et Calpurnius in septem eclogis bis habet incisionem tertiam trochaicam [II, 46. V, 61] porro semel eandem Octauianus [142]. nam alibi [16] restituendum apud eundem 'uel tenuem spectabat opem nunc ditior illis' non expectabat, quoniam scripto libro habetur 'pectabat'. tum qui epistulam Didus hexametris composuit semel admisit diuisionem trochaicam et ipse [50] 'lege poli peraguntque micantia sidera cursus'. neque egent excusatione quos Arator ab regulae seueritate posuit diuersos uersus quinque, quos et ipsos enumerabo, ut tandem appareat, auctores christiani, quos uulgo putant caesurae uel maxime necessarias leges parum obseruare, quam fuerint uel suptiliorum et a me primo comprobatarum tenaces. igitur quod apud hunc legitur [I, 123]

non littera gessit
officium, non ingenii stillauit ab ore
uena,

metrum medium ab orationis uehementiore concitatione et repetito illo non accepit excusationem. deinde quod alibi extat simile [I, 744] 'semper inest. iuuat ecclesiam baptismatis unda' excusatur nomine proprio. similis uenia paratast tribus aliis exemplis [I, 831. 1004. II, 834]

surge Tabitha. uocata redit lucique reducta.
Venatorumst dicta domus, quia uerus ab illa
ecclesiae uenator adest.
agmina Iudaicosque tuli sine fine furores.

similes huic et pares Martialis ac Petronius. neque uero Maximianus et Luxorius quod binis locis ab solita ratione fuere alieni uersus admittendo hic quidem tales [358, 3] 'Chilon quem patria egregium Lacedaemona misit' et porro [376, 5] 'nil Phoebi Asclepique tenet' at ille [2, 3. 3, 65] 'hinc est quod baculo incumbens ruitura senectus' 'soluitur in risum exclamans', ideo seueritatem artis euertisse sunt putandi. proximum locum optinet Namatianus, qui caesura trochaica sola distinctos uersus numquam at trithemimeri et hephthemimeri sine choreo tertio habet septiens. porro nominandi qui bina haec genera incisionum praeter principales tres etiam adhibent sed exemplis perraris, quorum sunt in

numero Petronius ac Martialis et Ouidius extra halieutica. e quibus Martialis trochaicam distinctionem habet quinquies [I, 15, 7. VII, 57, 1. IX, 47, 1. X, 11, 5. XII, 50, 1] hephthemimerin cum trithemimeri non inciso pede tertio octiens [V, 7, 7. VII, 30, 1. 64, 7. VIII, 34, 1. IX, 3, 13. 100, 1. XII, 38, 3. 52, 7]. porro Ouidius cum suis habet hanc duodeciens at illam uiciens sexiens. a quibus hoc tantum Serenus diuersus, quod saepe admittit metra talia 'despiciens mare ueliuolum terrasque iacentes'. at quod legitur apud eundem [537] 'saepe thalassomeli adiecto cumulabimus imbri' falsum esse libri Patrebornensis — nam de Turicensi non prorsus constat — testimonio arguitur, in quo extat iunctum pro adiecto. scribendum iuncto.

Iam secuntur qui et has haud dubie caesuras adhibent nec minus penthemimerin solam sed ita, ut tertio trochaeo finiatur uerbum, quod ut minimum compleat totum pedem secundum, sicut est in uersu illo 'labitur exanimisque tremens procumbit humi bos'. quorum e numero sunt Lygdamus Ouidius in halieuticis Gratius Persius Nemesianus in cynegeticis Statius in achilleide ac siluis Lucanus Claudianus Auienus Sedulius. neque enim recte apud Gratium ferri credo haec [481]

ex alto ducendum numen Olympo
supplicibusque uocanda sacris tutela deorum,

quoniam traditumst codice Vindobonensi 'supplicibus uocanda' sine copula, quae non dubito quin commode omittatur ad augendam uim orationis iam per se citatae. quid si scribemus uocitanda? nam cum simplicibus uerbis iungi frequentatiua apud poetas et ceteros ut quisque horum simillimus minime insolitum. sic Lucretius dixit 'creet res auctet alatque' et porro 'inter saepta meant uoces et clausa domorum transuolitant' atque ita Tacitus nisi fallit memoria 'accurrentium uocitantiumque strepitus.' —

Praeterea semiseptenariam nec cum trithemimeri coniunctam et neque in arsi tertia nec in tertio trochaeo finita uoce ad exemplum illud 'haec dum Dardanio Aeneae miranda uidentur' admisere Homerus Latinus Columella Valerius Prudentius Sidonius Priscianus. quibus addendi Aetnae auctor et Italicus, quippe qui cum alioqui eandem quam proxime memoraui optineant normam singulis sint exemplis ab eis diuersi. nam in Aetna semel habes tale [92] 'aestuet Aetna nouosque rapax sibi congerat ignes', quod nomine proprio excusatur. porro apud Silium illud [XVII,

128] 'ac sibi quisque uidesne? uides ut in agmine primo' repetito oratoria affectione uocabulo eodem habet ueniam. ita Statius in thebaide, cum alioquin et ipse Homeri Latini et ceterorum placitis inseruiat, bis liberius habet metrum ita [V, 684] 'sanguinis imbuite arma domi atque haec irrita dudum' [IX, 842] 'horrendumque Dryanta mouet, cui sanguinis auctor'. praeterea propriae quorundam obseruantiae euenere tales. numquam apud Catullum et Tibullum in distichis habes sextum genus hephthemimeris, at habes quintum etiam inelegantius. in continuis tamen hexametris ne hoc quidem admisere, nisi semel Catullus in formula, quae huius paene uocis est instar [64, 405] 'omnia fanda nefanda malo permixta furore', et uocabulis propriis laudator Messallae [11] 'Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas' atque idem geminata per antitheton orationis parte [167] 'quas similis utrimque tenens uicinia caeli temperat, alter et alterius uires necat aer'. sed maxime mirum quod Iuuenalis cum identidem probarit uersus, qualis est hic 'haec dum Dardanio Aeneae miranda uidentur', non tamen admittit uelut tales 'labitur exanimisque tremens procumbit humi bos', qui tamen frequentiores et meliores ducuntur illis. ceterorum uero poetarum plerique omnibus quotquot euenerunt caesurarum generibus utuntur haud dubie. e quibus hi potissimum a me nominabuntur Lucretius Propertius Manilius Germanicus auctor de figuris sententiarum Terentianus Ausonius Paulinus Venantius.

Superest accuratius ut enarrem, quae fuerint uarietates in singulis caesuris admittendis. et trochaicam quidem tertiam parili omnes exceptis Horatio et Lucretio adhibuere infrequentia, ut quam uel omnino uitarint Tibullus cum suis Lucanus Statius in achilleide. semel habet eandem Persius semel Gratius semel Terentianus et quidem in exemplo et uersu tali 'carmen suaue dedistis Olympiades mihi Musae', bis Sedulius 'debet scire sumusque Sabellius esse fatendum' 'plura dari saeuaque locum obsidione teneri', ter Homerus Latinus et quidem in nominibus propriis sexiens Claudianus item Prudentius. sed piget iam exemplorum.

At hephthemimerin cum trithemimeri iunctam sine medio trochaeo caute satis parceque usurparunt Catullus Cicero Tibullus cum suis Propertius Gratius Manilius Persius Columella Lucanus Homerus Latinus auctor Aetnae Nemesianus Claudianus Auienus Prudentius Ausonius Sedulius Sidonius Priscianus. e quibus auctor Aetnae ter habet uersus sic ut modo declaratumst distinctos octiens

Columella quinquiens Priscianus sexiens Sedulius at Homerus Latinus deciens quater Ausonius quadragiens semel porro Claudianus quadragiens bis Manilius quadragiens octiens. haec exempla comparata cum eis, quae solam habent incisionem trochaicam tertiam, crebra, at si totum uersuum numerum consideraris, satis infrequentia esse apparet. eandem caesuram saepe haud dubie admittunt Lucretius Horatius Vergilius Germanicus Valerius Silius Statius Iuuenalis Sammonicus Terentianus. tamen et apud hos frequentiorem constat esse speciem quam habes in illo 'infandum regina iubes renouare dolorem'. praeterea dignum memoria apud Vergilium rariorem longe incisionem istam esse in bucolicis et georgicis quam in aeneide. iam quarti generis uersibus ut puta talibus 'labitur exanimisque tremens procumbit humi bos' plerique magna cum cautione usi. e quibus semel habet talem Gratius 'causasque affectusque canum tua cura tuerist', semel Priscianus ita 'hic sunt Germanique truces et Sarmata bellax', bis Anienus, bis Sedulius, tum alii modeste. magis etiam dura hephthemimeris ea, qua prostante ut non post arsin secundam ita nec post trochaeum tertium terminetur pars orationis. qualem qui non omnino reiecerunt quo curatius pressere meliorum uestigia eo minore habuere usu. itaque semel usurpauit Homerus Latinus semel Columella semel Sidonius bis Statius sexiens Valerius Flaccus. haec est ratio caesurarum hexametri Latini.

Iam ut conferantur omnes ab Homero inde ad Nonnum usque et Tzetzen auctores Graeci, quisquamne eorum uel seuerissima alioqui norma institutus tantam artis habet constantiam quantam e Latinis plerumque uersificatores uel mediocres? simul ut nostris laudibus ne magis quam ueterum uideamur esse inimici, num priorum quisquam metricorum caesuris suptilius distinguendis quae nos praestitimus poetis Latinis tantum non omnibus ea delibauit uel uni? piget hercule enumerare, quot modis leges incisionum modo propositas, quibus nihil certius firmiusque cogitari potest, coniecturis euerterint homines uel doctissimi.

Deinde pentametros esse uitiosos, nisi medius, ut Quintiliani uerbis utar, spondeus alterius uocis fine alterius initio constet, uel pueris notum. quare uersus ab hoc praecepto alienos neotericorum quidem critici plerique sed non perinde poetae ueteres comprobarunt. quin nec talia admiserunt Latini quale habes noto uersu Callimachi 'ἱρὰ νῦν δὲ Διοςκουρίδεω γενεή'.

In tetrametro non catalectico semiquinaria optinet uirilis, quae quidem lex aliquando Prudentio non sine elegantiae damno migratur. contra breuioribus metris haud perindest necessarium adesse certam incisionem.

At anapaesticis e uersibus tetrametros post secundam dipodiam post priorem dimetros ut Graeci ita Latini inciderunt, etsi Varroni et Laeuio aliquando migratam esse hanc normam non abhorret a probabilitate. mox semel Ausonius habet dimetrum caesurae expertem, si modo erit res uera, 'priscos ut et heroas olim', quater Boethius 'non ualet aut pelagi radiorum' 'infirma perrumpere luce' 'quae sint quae fuerint ueniantque' 'an nullast discordia ueris' [V, 2, 4. 5. 10. 3, 6].

Deinde in trimetro iambico simillimae atque in hexametro dactylico reperiuntur caesurarum rationes. nam nobilissima haud dubie incisio uel illius ea, quae post quintum euenit semipedem, proxima dignitate quae post septimum. at alienis uti fere negatur. et eadem ut plurimum proportione in iambico qua in dactylico uersu utraque distinctio optinet. nam et in trimetris, quo quis molliora aut breuiora effudit carmina, eo minus usurpauit hephthemimerin, unde et illud factum, quod Boethius sola omnino usus est penthemimeri. porro quod binae incisionis semiseptenariae inueniuntur species siue post arsin secundam seu post thesin tertiam simul finiente uerbo — hoc quidem si fiat non potest optinere penthemimeris nisi finita post quartum semipedem sententia —, quis non meminerit in heroico metro eandem istam caesuram non admitti plerumque, nisi aut in secunda arsi aut in trochaeo tertio subsistat oratio? elegantia uero incisionum ea re probatur, quod semiquinaria admissa posterior pars trimetri euadit uersus dimeter trochaicus catalecticus, altera prior catalecticus dimeter iambicus. at pessime habet post finitum pedem tertium posita distinctio quam Francogalli senario isti, quem Alexandrinum uocant, addidere, qua lepos et uarietas numerorum extinguitur. melior est paullo caesura illa, quae post priorem siue alteram seu post utramque fit dipodiam, ut qua dimetro iambico proueniente diuisio certe ἔνρυθμος euadat. haec autem incisio cum proxime memorata eadem fere fuerunt infrequentia qua in dactylico metro tertia trochaica. iam penthemimeri et hephthemimeri solis usi Catullus Horatius auctores priapeorum Persius Seneca Martialis Petronius Martianus Sidonius Boethius Luxorius Prudentius extra epyllion. at migrauere artem

parata sane plerumque uenia a uocabulis polysyllabis uel propriis Varro Auienus Terentianus Ausonius Paulinus Prudentius in epyllio. e quibus Prudentii exempla sunt tria [peri st. 10, 12. 17. 921]

balbutit et modis laborat absonis.
praecepta Messiam dedisse apostolis.
irridet hoc Asclepiades laetior.

Auienus non quidem post tertium sed post secundum uel quartum incisos iambum uersus habet octo [35. 76. 130. 155. 186. 253. 325. 644]. denique memorandus Vergilii e catalectis uersus ille 'thalassio thalassio thalassio', cuius propriast ac singularis excusatio.

Iam catalectici in syllabam trimetri non admittunt aliam praeter penthemimerin incisionem, quam qui neglexerit non inuenio. at minores uersus egent certa diaeresi. — in iambico septenario, cuius haec est species 'quis carmen aut uersum nouum facit meo Sabino', Varro et Catullus recte obseruant post quartum pedem ut subsistatur. de Terentiano dixi alibi.

Ex trochaicis uersibus tetrametrum post secundam dipodiam incidi notumst, quam non facile quisquam inuertit normam exceptis hisce exemplis Terentiani [1329. 1411. 2343]

quinta quae uocalis est longam creabunt syllabam.
pes erit βακχεῖος. ἀντίβακχος autem tunc erit.
ter tibi spondeon hic semper secundum suggeret.

Denique ionicis numeris nulla certa adest incisio excepto uersu galliambico, quem semper Romani post secundum pedem distinxerunt. accedit quod Horatius in carmine ad Neobulam denis ut uidetur pedibus constans metrum ita moderatus est ut post quaternos et octonos uerbum finiretur ionicos.

At e logaoedicis metris asclepiadeum minorem cum Horatius secutus Graecos post sextam diuisisset syllabam, id ut ab ipso sic a ceteris constanti fuit usu seruatum. nam a Flacco esse alienum illud 'non incendia Carthaginis impiae', etsi similis licentiae quibusdam eiusdem auctoris exemplis uideatur possit defendi, fatebuntur uel ei, qui plerumque a Perlcampio inde non ratione certa sed arbitrio suspectatos esse Flacci uersus non dissimulent. semel tamen Terentianus neglecta caesura [2707] 'hanc docti tetracolon uocitant strophen'. porro in maiore asclepiadeo cum legitima constet incisio post secundum et tertium choriambum, Catullus id aliquando neglexit, itaque semel Prudentius hoc uersu [praef. 6] 'quid nos utile tanti spatio temporis egimus', numquam simile

admisere Horatius et Terentianus. porro in metro sapphico hendecasyllabo non potest dubitari Catullus quin easdem affectarit incidendi leges, quas postea sanxit Horatius. nam e uersibus triginta reperiuntur tres non amplius, quibus non post syllabam aut quintam aut sextam finiatur uerbum. hi uero sunt tales 'seu Sacas sagittiferosque Parthos' 'siue qua septemgeminus colorat'. 'Gallicum Rhenum horribile aequor ultimosque Britannos'. quae exempla a nominibus propriis siue uerbis polysyllabis medio numero positis habere excusationem ne pueros quidem fugerit. iam Horatium notumst incisiones illas digessisse ita, ut potior esset prioribus saltem tribus libris uirilis. quarto inualuit muliebris, quod sane mirumst, cum alioquin ultimo melicorum uolumine intenderit potius seueritatem quam remiserit. at enim insequentes tanta cum constantia seruarunt incisionem post tertiam arsin instituendam, illorum quos initio operis enarraui libris, quibus addas Phocam et incertos auctores hymnorum [96. 146. 147. 163] priore Danielis uolumine extantium, binis non saepius uersibus ut lex neglegatur. quorum alter est Ausonii hic [ephem. 23] 'Lesbiae depelle modum quietis' alter Luxorii [306, 8] 'dignus inter grammaticos uocari'. praeterea dignumst memoria Horatio etiam in maiore uersu sapphico post quintam syllabam incidi.

Iam in alcaico metro idem Horatius post secundum semper trochaeum orationem finiit exceptis uersibus his 'mentemque lymphatam Mareotico' 'spectandus in certamine Martio'. insequentes totiens seruatam legem quam his euersam sequi maluisse cui erit mirum?

Sed ad secundam huius uoluminis partem ut transeamus, siculi optimo tempore apud poetas Graecos et Romanos nulla fuit potestas accentus grammatici ad producendas syllabas breues, ita minime ratio habita eiusdem in pangendis uersibus. quare ne tum quidem, cum uiuidum sensum natiuae Latini sermonis proprietatis elanguisse supra declaraui et cum simul haud dubie sono uulgari pleraque quantitatum sunt immutata, grammatico accentui et pedestri pronuntiationi accommodauere poetae carmina, sed imitationem ueterum auctorum et aequalium sibi grammaticorum tenentes praecepta non alia quam poetae uel optimi ratione composuere proprios numeros. quod cum ita sit, nihil equidem obstat, quin uersus aut totus aut maxima ex parte sit rythmicus, neque quisquam uituperauit siue hunc Vergilii 'praecipitat suadentque

cadentia sidera somnos' seu Lucretii et Horatii tales 'quorum siquis uix uitarat funera leti' 'dignum mente domoque legentis honesta Neronis'. et quamquam certis caesurae modulis prohibitum fuit, ne facile euenirent similes illorum hexametri, tamen in uersibus incisione orbis numquam fuit cautum, ut pedestris pronuntiatio cum poetica ne concineret. uerum enimuero cum primum unicuique sit munus poeticum, ut nos quotidianae uitae miseriis et curis uulgaribus exemptos in puriorem, ut ita dicam, nec terrenae quidquam faecis habentem aethera collocet, poetae ueteres, studiosissimos formae carminum et metricae artis cum haberent populares, studiosissimi ipsi rerum talium, uix aliud potuerunt habere maiore cura quam ut rythmicum uocabulorum quibus constarent uersus accentum redderent quam diuersissimum a grammatico. sed haec regula cum in uniuersum habeat uerissime, tamen hoc praecepto immutatur, quod nullo pacto habetur bonus uersus, nisi finis ordinis metrici suos propriosque retineat numeros.

His duabus normis ars rythmica metrorum Latinorum cum contineatur, uideamus iam quid priores de eadem re statuerint. igitur quod Bentleius in schediasmate metrorum Terentianorum breuibus uerbis magno pondere sententiae affirmauit perinde ut in iambico ita in dactylico senario accentus grammatici optinere obseruantiam, intendit hoc Hermannus, intendere alii. porro quamquam non defuerunt, qui rem recte habere negarent — e quibus Ritterus in grammatica Latina quae pedestris pronuntiationis potestate effici existimarentur caesurae tribuenda esse statuit, Ritschelius ab hoc paullum diuersus in prolegomenis trinummi [p. 207] in dactylica poesi Latina accentus nim prope nullam fuisse autumauit —, tamen qui placita Bentleii et Hermanni, quorum longe grauissima in re metrica Romanorum aestimanda esset auctoritas, non tam opinandi suptilitate quam argumentis ex plurima poetarum lectione petitis seu iuuaret siue frangeret, nondum quisquam extitit, nec magis declarauere, quanam re sit effectum uelut hoc, ut hexametri finis optimus haberetur, si duo ultimi pedes continerentur uerbis aut dactylico spondiacoque aut trochaico et bacchiaco, quodque pentametrum quo quis perfectior esset arte eo saepius disyllaba uoce clauserunt. — quid quod ne de hoc quidem anquisiuerunt, quam recte Bentleius existimarit Romanos recitandis uersibus grammaticum etiam expressisse accentum non solum sicut pueri solent nunc in schola rythmicum, quae opinio tantum

abest ut sit certa ut potius confutetur apertissime testimonio Quintiliani asserentis [I, 5, 28] in Vergiliano illo 'pecudes pictaeque uolucres' mutato ob metri condicionem accentu paenulta acuta legendum esse uolucres. praeterea cum indicassent quidam uocabuli molossici si elidatur finalis syllaba retrahi a poetis accentum, quod non potuit fieri, nisi a uulgo itidem frequentaretur, primum omnium quam accuratissime natura elisionis fuit anquirenda. cui obnoxiae uocales si imminutae sunt potius quam expulsae, qui licuit illud euenire, quod ad doctrinam suam tutandam illi sunt commenti? quare haec iam omnia cum cura erunt aestimanda.

Ac primum quidem quae de heroici uersus exitu uerissime obseruauit Bentleius — neque enim inuentis eius sed rationibus imus obuiam — non credo ita posse infringi, ut trimetri iambici proprietates contrarias ab eodem primum declaratas memoremus. etenim ut omittam indignum esse et alienum a modestia putare Bentleium fugisse quod primo optutu animaduertunt pueri, facile poterit ista increpanti obici, quae in ultimo uersu iambico aut trochaico nullo pacto teneri potuerit obseruantia — nam monosyllabo uerbo concludi uersum Latinum aut Graecum nisi praecedente orationis parte aeque monosyllaba non licet —, iam translatam fuisse in medium. quare missis talibus primum haud contemnendum argumentum ab Horatii et satiricorum repetemus usu, apud quos non in ultimo uersu quam in medio magis curetur, ut respondeat accentui rythmico grammaticus. iam cum eorum dictiones ac uersus ad uulgarem normam accedere et rei natura et alienorum poetarum comparatione indicetur, nonne plurimos probabilitatis implet numeros nil curasse homines Latinos, ut congrueret accentus poeticus cum pedestri? at tamen male esset huic quaestioni, si similia potius ueri quam uera et certa liceret de ea proferri. itaque ut quae priores uulgatae pronuntiationis obseruantia effecta esse credidere longe aliis uenisse causis demonstrem, iam heroici uersus mox reliquorum ut quisque dignitate proximus ratio enarrabitur.

Sed ut nulla mora indicetur, qua re contineatur omnis usquequaque metri Latini ars, nullum in accentu uerborum omne in initio eorum aut exitu siue congruo pedibus carminis seu dissimili momentumst positum. et quidem dispositiones conexusque uerborum, quibus mixtis et confusis, constant numeri, recte animo nostro ut repraesentemus, optime, nisi fallor sententia, magnetis

ferrique inuicem coeuntium adhibebimus imaginem. nam sicut in his attrahitur a maiore minus, ita et in uerbis pedumque partibus ui et spatio infirmius cedit potiori. iam pueris credo apparebit minime aptum esse ad coeundum cum insequentibus pedem simul et uerbum eodem loco finitum, si modo sit pes principali carminis metro siue par seu contrarius. facile enim animus seruat pausam finita uoce utique incidentem, modo ne numerus efficiatur plane alienus a suo uersu. quare qui anapaesticum rythmum germanum uoluerit effici, non apte diuersis ille uerbis pyrrhichium et longam copularit syllabam. pone contrarium, inuenies eadem ratione, quo conexu prauus dactylicus proueniat numerus. hoc uitium per se odiosum augeri uerumst, utcumque laesa lege noui et a permissis diuersi prodeunt numeri. quare sicut hominibus rei publicae regendae peritis nihil curatius est cauendum, quam ne in ipsa ciuitate alia oriatur ciuitas, quae communia diducat et conturbet munia, ita probo poetae illud unice cordi sit oportet, ne uersiculi existant in uersu, praeterquam qui caesura efficiuntur. sed age rem disertius iam illustremus. igitur principale cum praeceptum sit uersus Latini — de qua re iam l. II monui —, ut finis ordinis metrici proprios sui numeros referat sinceros atque integros et non turbatos, iam erit anquirendum illud, quanam id ratione placitum seu seruari credatur siue infringi.

Ac primum quidem uix memoriast dignum probe effici rythmum legitimum uocabulo eius mensuram aequante. quid enim ut hoc exemplo utar meliorem anapaesticum praestabit numerum quam uerbum anapaestum explens? aut quid magis dactylicum ipso dactylo?

Sed non minus recte habebunt in fine ordinis positae uoces quae cum spatio sint longiore exeant tamen in rythmos arte sancitos. etenim cum sint seueris clausulae obnoxiae legibus magnoque impetu praeditos habeant numeros, ab ipsis trahi par est liberius laxiusque agitantia, non inuicem.

Deinde uero licet sincerum numerum anapaesticum effici uocabulo iambico assumpta quae praecedit breui syllaba neque aliter dactylicum trochaico super addita quae subsequitur. arripit enim et quasi diuellit propria ui locatus in clausula metri iambus aut trochaeus syllabam ad explendum rythmum necessariam, ut spatium quod interest imminutum paene auferatur. unde uelut in illo 'arma uirumque cano' longe minor fiet pausa uocis post uirumque quam post arma.

Porro legitima normast institutum, ad anapaestum dactylumue sincerum efficiendum apte ut credantur coire pyrrhichiacum uerbum et longum monosyllabum, sic quidem ut possint uenire pro illo duae uoces singulis breuibus constantes syllabis, utque liceat partem pyrrhichii eam, quae non sit contigua monosyllabo, uerbi esse plus quam monosyllabi. illud autem cur ita sit institutum nec ipsum erit obscurum. nam arsi cum maior utique longe insit uis quam thesi, licet illi haud dubie trahere ad se reliquas pedis partes, si modo non teneantur firmiore quodam uinculo alieno. quale non potest adesse, ubi propriis constabit thesis uocabulis. fatendum tamen quoquis perfectior in arte eo parcius fuisse usum ista licentia.

Ceterum ex his quae modo disputauimus sequitur eo argumento quod a fortiori dicunt dialectici non minus bonum haberi rythmum spondiacum uel trochaicum siue iambicum efficientibus binis monosyllabis.

His igitur rationibus, non aliis, integri seruabuntur numerorum fines, quae quotiescumque migrabuntur, totiens Latinae artis decor euertetur. — quae cum ita sint, nihil iam obstat quin ex ordine uersuum enumeremus dispositiones.

Igitur heroici metri cum pro uarietate caesurae duplex sit species, binae erunt describendae structurae. quarum prior si fuerit, incisione facta semiquinaria, duo prouenient ordines, quorum alterius finis quarto quintoque semipede, alterius eis continetur quae adonium metrum expleant. at si hephthemimeris erit caesura nulla cum trithemimeri, item duo erunt ordines figura ac ratione tam similes prius commemoratorum, ut pigeat uerbum addere. sed adiecta post alteram arsin incisione triplex oritur series, ita ut prior infirmior reliquis ad tertium semipedem, secunda ad septimum, tertia usque ad finem pertineat.

Igitur in hexametro penthemimeri diuiso cum quartus semipes et quintus et porro quintus pes et sextus finiti ordinis legibus sint obnoxii, iam prius contemplemur reliqua. haec secundum principalem ueteris artis legem quo magis diuersum a pedestri accentum habebunt rythmicum, eo propius ad perfectam accedunt elegantiam. pertinet autem id praeceptum perspicuam ob causam ad easdem etiam partes pentametri. quare non prorsus est laudatum primum aut quartum pedem dactylica constare uoce et minus etiam spondiaca, qua nimis grauati et tardati pedestres fiunt

numeri. est tamen ubi arte appetatur quod ratione plerumque abiciatur. uelut pulchre habent ipso uitio uersus Maronis hi

tantae molis erat Romanam condere gentem.
tanta mole uiri turritis puppibus instant,

quod sic repetiit Silius

magnae molis opus multoque labore parandum.

apte enim describuntur grauitas rerum uel difficultas ponderosis rythmis et segnibus. similia ab Horatio quarto pede proposita nuper obseruauit Meinekius [praef. Hor. p. 23]. ita etiam Maro

et pater Anchises dare fatis uela iubebat.

minus iucundum foret fatis dare. — praecipuus spondiaco uerbo in principe sede collocando Lucanus, eaque sola re duriores paullo eius numeri, alioquin elegantia omni illi floridi. similis tamen huius Homerus Latinus. iam cum quartus et quintus semipes puram speciem anapaesticam, at quintus pes et sextus dactylicam et trochaicam debeat referre, tales ferme in eo de quo dicitur metro legitimas agnoscemus finitorum ordinum formas

in noua fert animus mutatas dicere formas.
haec simul aduertas, facile ut cognoscere possis.
sollicitudinibus subigit uehementibus ira.
est domus alta. iacent penitus defossa talenta.
arma uirumque cano Troiae qui primus ab oris.
respexit tamen et longo post tempore uenit.
nam neque Parnassi nobis iuga nam neque Pindi.
simplicior quis et est? qualem me saepe libenter.
cederet aut quarta socialiter. hic et in Atti.
eueniet. nec enim dignabere numen honore.
o quotiens et quae nobis Galatea locutast.
quam pius Aeneas et quam pater optimus et quam.

at non sunt permissae species uelut hae

et cum frigida mors anima seduxerit umbram.
uel manifestas res contra clarasque repugnat.
ex infinito iam tempore res reparare.
et quo quaeque modo fierent opera sine diuum.
propter egestatem linguae et rerum nouitatem.
significant initum perculsae corda tua ui.
restinxit, stellas exortus ut aetherius sol.
adiutamur enim dubio procul atque alimur uos.
ac non ante malis dementem actum furiis quam.

ex his autem maxime displicent numeris qui aut spondiacum uerbum habent sede secunda aut ultimi pedis artem uiolant. —

restat ut quaeratur quanam sit re factum, ut tanto opere improbaretur Romanis quintum sextumque pedem uno uerbo contineri. nam displicuisse plane et poetarum proborum cautione et Fabii testimonio docemur, qui asserit lib. VIIII [4, 65] permolle esse exitu hexametri positum Tyndaridarum siue armamentis uel Orione. a quo illud permolle ne cum laude dictum esse credas, addito Ciceronis exemplo et totius sententiae ratione prohiberis. sed enim primum cauendum, nequis euenisse credat istud grammatici accentus obseruantia. etenim quamquam in uniuersum minime adsentior eis, quae Ritterus in elementis grammaticae latinae [pp. 38. 39] statuit de accentu uocum plus quam trisyllabarum plerarumque, tamen hoc pro certo habendum uerba adonium metrum siue dispondeum aequantia accentum grauiorem, si modo ullum habebunt praeter unum legitimum, in principali utique tenere syllaba. qualis si non adsit eis, tamen uocalem longam nulla insequente acuta insigniri accentu metrico tam non est uiolentum, ut uel Teutonico sermone idem admitti liceat. itaque omnino apertumst multo leuius laedi pronuntiationem uulgarem si quintus dactylus pentasyllabi uerbi priore parte constet quam si monosyllabo uocabulo cum pyrrhichiaco. quare hoc equidem uanum, causaeque aliunde repetendae. et uidetur quidem ab elegantia alienum, quod contractis in unum uerbum pedibus non satis seruatur utriusque peculiaris libertas ac proprietas. sed longe grauior aliast ratio, neque a grammaticis neque a metricis legibus repetenda illa sed ab aestheticis, quae ipsa natura uocum Latinarum istum uel similem explentium ambitum exoritur. etenim cum uersum graui ualidoque fine concludi par sit, at uerba pentasyllaba Latina exiguo perquam sunt pondere sententiarum, ut quae constent fere partibus aut simplicibus flexionum uastitate inanibus aut compositis quorum prior pars sit praepositio quae et ipsa plerumque exiguost pondere. nam uetusta illa et Graecis assimilata quae nominibus et uerbis oriuntur coalita, qualia sunt altisonans fluentisonus ueliuolus, post Ennium ac Lucretium cum Catullo magis magisque uenere in contemptum. quae cum ita sint, iam non erit mirum non satisfecisse Romanis uersus tales

in terris oppressa graui sub religione.
quodsi de nilo fierent, subito exorerentur.
interse nexu minus aut magis indupedita.

quid enim, amabo, feret dignum hic tanto promissor hiatu? non

alienus a ueritate Fabius, quod talia dixit permollia. quare ne ei quidem, quos ista aliquando affectasse Tullii Persiique edocemur testimoniis, aut saepe admisere aut quolibet uerbo sed fere in nominibus propriis quorum minor est offensio et mutato dactylo in spondeum. hac igitur non alia causa uitauere pentasyllaba in fine hexametri auctores Latini. nam et similem ob rationem plerumque caueri in caesura semiseptenaria, ut tertio trochaeo finiatur uerbum, aliaque eadem obseruantia orta infra declarabo.

Iam uersus semiseptenaria incisione praediti cum sit species prima

oscula libauit natae, dehinc talia fatur,

apparet sextum et septimum semipedem non posse constare nisi seruatis normis quae optinent quarto et quinto in caesura semiquinaria. at tali distinctione ne possit secundus dactylus contineri uocabulo dactylico ideo uetatur, quia prior sic series in binas diuelletur partes. etenim quintae arsi experti caesura minor etiam quam aliter est potestas ad se trahendi a uerbo superiore thesin. iam cum ne trochaicum quidem finem prioribus uersus heroici ordinibus adesse patiantur Latini, apparet ultro uitiosum esse dactylicum in exemplo tali

etsi plurima te teneant, tamen ipse uenito.

itaque in hexametro semiseptenariam habente si post tertiam etiam arsin terminetur pars orationis, quarto quintoque item semipede seruari debet sincerus numerus anapaesticus. dein species secunda ac tertia hephthemimeris euenere hae

despiciens mare ueliuolum terrasque iacentes.
infandum regina iubes renouare dolorem.

in his cum alter semipes et tertius haud dubie referre debeant anapaesticos numeros, propria primi pedis libertas legitimam turbauit seueritatem, quamquam quoquis perfectior fuit in arte, eo diligentius trithemimeris proprios custodierunt numeros. itaque Ouidius in primo metamorphoseon ter non saepius uersibus istis dactylicam uocem admisit sic [124. 541. 722] 'obruta sunt pressique iugo' 'ocior est requiemque negat' 'excipit hos uolucrisque suae'. idem artis amatoriae primo et Lucanus Pharsaliae decimo nusquam admisere similia. at Claudianus carmine de Mallii consulatu bis legem migrauit ita [268. 279] 'fortibus haec concessa uiris' 'notior est Helicone domus'. uitiosior autem longest admissus sede prima spondeus. iam monometri anapaestici eius qui secundam inter et quartam arsin est medius ut enarre-

mus modulos, cum haud dubie legitimis satisfaciant numeris uersus et hic

despexit mare uelinolum terrasque iacentes

et talis

infandum regina iubes renouare dolorem,

quaerendum erit cur plerumque generi priori praelatum sit posterius. quod ego eandem ob causam uenisse reor, propter quam noluerunt Latini pedes quartum quintumque constare uno uocabulo. etenim qui in maioris ordinis exitu uerbum adonio metro par non tolerarunt, uix potuere admittere in minoris fine quae aut paria essent uel maiora aut una tantum mora breuiora. scilicet eadem ratione in senario iambico euenit, ut pariter cum hephthemimeri aut post quartum aut post quintum semipedem finiretur pars orationis, neque in loco caesurae consisteret uerbum ditrochaeum aut plus spatii complectens. quippe uel in semiquinaria metri heroici, quae longe agitat liberrime, uerba plus quam choriambi spatium complexa suptilissimus quisque poetarum uitarunt quam acerrime. nam et eandem ob causam fuit usitatum Horatio in fine uersuum systematis nexorum quamquam parata uenia abstinere uerbis similibus ambitu, quae ubi admisit certis ut plurimum firmauit excusationibus. quid quod Seneca in Hercule furente trimetros deciens ter non amplius tetrasyllabo finiuit uocabulo, octiens quidem illo proprio? nam quod seuerius longe normam istam seruauerunt hexametro quam ceteris uersibus, non poterit esse mirum ei qui sciet metra quo frequentiore adhibeantur usu eo diligentius perpoliri. hac igitur sola ratione euenit, quod plurimi poetae declinarunt uersus tales

despiciens mare ueliuolum terrasque iacentes.
percutiet nec opinantem uis flammea caeli.
Aeneas Anchisiades et fidus Achates.

qualia cum tamen admiserint uersificatores nec ipsi ignobiles, inde id excusatur quod non perinde in ordinis alicuius quam totius uersus fine polysyllaba uitari oportuit. iam omissa trithemimeri ultro apparet uitiosa esse haec

sed quae corpora decedant in tempore quoque.
religionibus atque minis obsistere uatum.

neque melius multo habebit res, si secundo finiatur uerbum trochaeo. etenim cum insequenti proxime iambo, ut qui non constet uerbi fine, nulla insit uis ad iugandam quae proxime praecedit breuem, iam adonio initiis metri orto subsistet numerus in altero

trochaeo quae non concessast Latino hexametro distinctio. quare nec talia fert ars Romana

ex oculisque uetustatem subducere nostris.
una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis.

et iam nisi fallor apparebit, cur plerique poetarum, supra ut docui, in caesura hephthemimeri non aliud uerbum tertio finierint trochaeo quam quod certe etiam secundum expleret pedem. scilicet cum iambo in hephthemimeri collocato traheretur cum breui syllaba tertii chorei totum cui adnexa esset uerbum, sic demumst effectum, ne in duas partes non permissas lege dissolueretur ordo. praeterea cum uerba adonium aequantia et in fine uersuum uix umquam habeant locum nec in principio aut post caesuram, tum cum optinet semiseptenaria, eo frequentius eadem quibus conueniunt sedibus adaptari uerumst, ita ut licentias legibus, damna lucris compenset ars Latina. praeterea nihil est quod notemus praeter hoc, si non adsit pedi tertio uerbum trochaicum, choriambico ferme uerbo seu molossico effici hephthemimerin, potius longe ut habeatur tale

despiciens mare ueliuolum terrasque iacentes

quam illa

percutiet nec opinantem uis flammea caeli.
Aeneas Anchisiades et fidus Achates.

porro foedissimum longest ineptissimumque post tertium pedem finiri uocabulum. quod ubi acciderit, dactylico iam eueniente numero in aequas partes uersus dissoluitur, ita ut legitimae elegantiae uel minimum euanescat uestigium.

Restat ut de eis uersibus dicam, qui solam habent incisionem trochaicam. hi ob causas supra propositis similes magis etiam cauetur ne habeant dactylum aut trochaeum qui praecedat dactylico aut trochaico uerbo constantem. nec magis a simplicitate iudicandist alienum quarto trochaeo orationis partem terminari. alia quaedam huc pertinentia cum de caesuris agerem retuli.

Iam in pentametro illud tantum erit suptilius declarandum — nam cetera cum hexametro plane conueniunt —, cur praestantissimus esse putetur is finis, qui uocabulo constet iambico. igitur huius uersus pars altera cum quarto quintoque dactylo et arsi ultimae hexametri aperte respondeat, non poterit esse mirum Graecos et Latinos assimulare minoris numeri exitum maiori. unde pro reliquis utrique placitis Graeci sat licenter habuere illum, at

Latini seuerissime. nam cum legitimi hexametri fines sint tales 'corpora formis' 'unde Latinum', posteriore recisa syllaba natum hunc 'corpora dant' ineptum fuisse pentametro secundum ea, quae supra de ordinis exitu anapaestico proposui, facile apparet. igitur solum remanet heroici uersus species altera 'unde Latinum', cuius dempto fine iustus eueniat modulus 'unde tui'. tertia enim hexametri norma, quae talis est 'nam neque Pindi', cum apud praestantissimos auctores raro reperiatur, simile huius uelut tale 'nam neque te' in pentametro longe etiam minus optinere aequumst. ceteri uero moduli exeuntis uersus elegiaci ob id ipsum sunt deformes, quod addita syllaba habentur heroico metro uitiosi. igitur non possunt admitti in illum uerba plus quam disyllaba nec rectius trochaei quinti thesis breui monosyllabo constabit nisi praecedente monosyllabo. nam sic pentameter terminatus 'reiciet quid amans', tam esset foedus quam hexameter clausus ita 'reicient quid amantes'. ceterum omnia heroici metri comparatione tam facile pro se quisque enucleabit, ut pigeat uerbum addere.

Iam occasio incidit disputandi de hexametri pentametrique Graecorum et Romanorum rationibus ac differentiis, quas ira aut studio plerique aestimantes laudando uituperandoque fuere nimii. ac primum quidem quae de finiti ordinis principali lege exposui cum plane ad omnem pariter artem metricam ueterum pertineant, non erit mirum illas partes quae caesura hexametri pentametrique finiuntur omnino apud utramque gentem isdem teneri obseruantiis, ut tamen Latini hac in parte seueriores fuerint et constantiores. nam Graecis obstitit praegrauis Homeri auctoritas. uerum ut aliena in fini uersuum norma seruaretur, id inde uenit haud dubie, quod, cum caesuram tertiam trochaicam apud Latinos nullum siue nulli simillimum locum optinere supra probarim, ea apud Graecos praeter semiquinariam uirilem paene sola fuit usurpata. hinc apud Latinos partes caesurae obnoxiae aut finitimae cum omnino anapaesticum referrent numerum at trochaicum plerumque et iambicum apud Graecos, illis, ut dactylici uersus proprietas seruaretur, dactylicum finem seuere optineri par fuit, Graecos anapaesticum rythmum aptissimum istis metris sed plerumque a tertio pede exulantem quinto et aliquando sexto loco adhibere uerum erat. haec autem norma uetustissimis temporibus cum utique ad eos tantum uersus fuerit adhibita qui haberent caesuram muliebrem mox quod latius peruagatast uiuido usu, non magis mirumst, quam

quod e contrario ob legem tertii trochaei respectu natam uitatus est a plerisque quartus trochaeus etiam eis in uersibus qui haberent semiquinariam uirilem. mox pro diuersis hexametrorum modulis uaria pentametris conciliata fuit libertas. quare satis inepte fit, quod uulgo eximia quadam elegantia Romanorum dicitur euenisse, tam anxie hexametri pentametrique finientis leges uulgo notae ut seruarentur, cum potius sit dicendum praeclaram illam mediocritatem et sobrietatem, quae ut semper apud Latinos ita plerumque optinuit apud Graecos, cum maxime comprobari diuersitate formarum, quas nobilissimis istis uersibus utraque gens indiderit. nam contrariis quidem usi rationibus et uiis aequabilitati numerorum et uarietati non minore arte prospexere qui molliculam medii metri incisionem firmarunt anapaestis admissis ad ultimum quam qui uirilem illam temperauere collocatis in fine dactylo et trochaeo. quare hanc solam laudem esse dicemus Romanorum, quod melius est sane optineri fine uersus proprios eius numeros quam alienos. sed uidendum, ne, quantum hinc accedit decori illorum, tantum iam perdant caesurarum uniformi nimis aequabilitate. etenim sicut minime negabitur diuisiones trithemimerin penthemimerin hephthemimerin cum per se esse ampla ui et firmitate tum magis eis obseruantiis quas Romani in eis sanxere, ut uersus illis muniti ipso robore digni esse uideantur Martigena populo et urbe cui Valentiae esset nomen, ita nimis imminuta atque adeo exclusa caesura trochaica quod grauitati carminis addiderunt detraxerunt eidem lepori ac uarietati. nam et similiter admissis omnino siue uitatis in fine hexametri polysyllabis utra plus laudis gens meruerit plane non comparet. — praeterea uarietas artis hexametrorum in diuersum traxit pentametros.

Restat ut demonstrem, quatenus optimi auctores normas modo propositas sint secuti. itaque secundo pede hexametri uerbum dactylicum et aliquando spondiacum admisere uetustissimi Ennius Lucilius Lucretius Tullius. at Catullus Horatius Cato Vergilius Propertius sola recepere dactylica, sed uel haec praeter Flaccum rarissime. uerum apud insequentes classicorum nusquam reppereris similia. nam quod semel Iuuenalis habet tale [10, 331] 'destinat. optimus hic et formosissimus idem', licentia excusatur satirica. apud Manilium quod fertur [III, 603, 4] 'quaeque super signum nascens a cardine primum tertia forma est' aut elisione praecedentis uocabuli admissa integrum nec inclinatum seruabimus

illud 'est', ut apud Phaedrum [fab. Perott. 16, 12] 'quam non apparere est ut dictum mulieri', aut potius ponemus quod optime conuenit eis quae praecedunt 'forma erit' [cf. et Lachm. ad Ter. 2756]. ceterum uel hinc apparet Culicem uix posteriore quam Augusti aetate fuisse scriptum, in quo legitur principio metri [238] 'inplacabilis ira nimis'. deinde aliquotiens Terentianus spondeum dactylumue adhibuit secundae sedi sed plerumque in uocabulis ad artem pertinentibus. e ceteris abstinuere simili inelegantia Boethius Auienus Prudentius Auianus Martianus Sedulius Sidonius Maximianus Eugenius Octauianus nec non auctores carminum de Phoenice et de concubitu Martis et Veneris et qui epistulam Didus ac uerba Achillis in Parthenona heroico conscripsere metro. nam quod legitur apud Sidonium [paneg. Maior. 571. eucharist. ad Faust. 83] 'polleat. attamen hic nuper placidissime princeps' et alibi 'omnibus attamen his sat praestat quod uoluisti', diducendum fuit attamen. at Sedulii uersu quodam pro eo quod uulgo fertur istic reponetur breuior forma ita [IV, 122] 'nam socia stic puppis erat'. quippe et Paulinus rarissime simile admisit uitium et apud Priscianum quae inueniuntur a nominibus propriis et Graecis paratam habent ueniam. sunt enim haec [302. 758. 985] 'atque Gelonus cum' 'atque Carambidis irrumpit' 'hic aetites est'. itaque semel Ausonius [de clar. urb. 12, 1] 'nec tu Martie Narbo silebere'. nam carmen de signis caelestibus quod in eclogario eius extat praetereo.

Longe etiam Latini seuerius a pentametri pede secundo dactylicas et spondiacas uoces exclusere, in quo praeter Catulli et Paulini quaedam exempla migrari legem non memini.

Iam in tertium pedem Ennius et Lucilius quod aliquando admisere uocem dactylicam spondiacamue, habet id ab initiis pubescentis artis ueniam. at hercule post hos alibi apud classicos consimile ubi prostet exemplum exceptis binis Lucretii [I, 570. IV, 491] et Horatii [ep. I, 18, 52. II, 3, 41] uersibus plane mihi ignotumst. haec quasi miracula adscribenda duxi. sunt igitur haec 'at contra si mollia sint' 'et quaecumque coloribu' sint' 'possis. adde uirilia quod' 'nec facundia deseret hunc'. tum semel Terentianus [1960] 'fabula sic Euripidis inclita monstrat Orestes' et eadem tutus excusatione Priscianus [412] 'Arcades Apidanei sub scopulis Erymanthi'. at pessime habet quod uulgo tribuitur Paulino tale [21, 46]

quaeque suis proprie egerit hic in sedibus edam,

cum sit unice uerum quod est in libro scripto 'gerit', cui respondet proxime ad istum uersum additum agit. tamen Iuuencus 'hoc pretium pretiosi corporis instituentes' 'post fratres Iacobum Ioannemque marinis'. hinc est explicandum quod dicit Ausonius in epistula ad Paulinum

Paulino Ausonius. metrum sic suasit, ut esses
tu prior et nomen praegrederere meum.

At e uersibus trochaica distinctione diremptis longest inelegantissimus Flacci 'dignum mente domoque legentis honesta Neronis' qui multiplicato exitu languet trochaico. sed ut hunc mittam, aut in secunda sede aut in quarta pariter cum ista quam dixi caesura etiam admittunt trochaeum Horatius Vergilius extra aeneidâ Ouidius in transformationibus Propertius Manilius Statius Terentianus Sedulius Priscianus sed omnes rarissime nec fere citra legitimam excusationem. ueluti duos non amplius tales habet numeros Ouidius

et bis io Arethusa uocauit io Arethusa
et platanus genialis acerque coloribus aptus,

quorum alter nominibus propriis alter enumeratione rerum mitigatur. semel habet Manilius tale cum elisione 'et similis sibi mundus, et omnia in omnibus astra' semel Sedulius ita 'debet scire sumusque Sabellius esse fatendum' et Priscianus 'Aegylaque, inde Cythera, Calauria dura colonis'. abstinuere trochaeo altera siue quarta sede collocando cum Catullo plerique poetarum classicorum post Augusti aetatem qui uixere, praeterea e christianis Ausonius Prudentius Auienus Sidonius denique Octauianus et qui scripsit epistulam Didus supra memoratam. alienum quippe a librorum memoria quod dedit apud Calpurnium Glaeserus [5, 17] 'incipient nidosque reuersa lutabit arundo'.

Iam in fine hexametri quod antiquissimi saepius migrauerunt normam posterioribus seruatam, id tamen necessitate magis quam uoluntate aut imitatione Graecorum admisisse sunt existimandi. quam rem statim probabo exemplis. ueluti cum Lucretii libri primi uersibus a primo ad ducentesimum decimum quartum habeas laesarum legum quas supra proposui exempla XXII, at hercule in Iliadis initii totidem uersibus sunt numero LXVIII. tum in ultimi uoluminis hexametris primis centum hic uiciens septiens, Homerus deciens migrauit regulam. — igitur uetustissimi cum saepe neglexis-

sent normam, facilius quidem quinto quam sexto pede, longe tamen aliam rationem tenuere neoterici, quod et Catulli carminibus apparet et Varronis cui ab Atace nomen fragmentis. e quibus ille exceptis uersibus spondiacis, quos arte et consilio commodauit, non amplius triciens semel legem inuertit quinquiens deciens in nomine proprio. intendere rem insequentis aeui poetae et primus horum Vergilius, cuius merita ad artem Latinam pertinentia ea maxime re continentur, quod aequalitatem numerorum hexametri de qua supra dixi iam firmatam a nouellis poetis exemplo suo et propria auctoritate comprobauit insequentibus. igitur ab hoc inde perpetuo usu tenuere poetae classici exceptis satiricis, ut et rarissime nec umquam fere nisi legitime concessa uenia finientis hexametri laederent regulas. maxime autem placuit discedere a consueto usu in exemplis quae praeisset Vergilius sicut apud Graecos neoterici pleraque licentiarum in Homericis dictionibus tolerarunt. sed singula antequam declarem exemplis, dicendum quam recte statuatur uulgo uel a cultissimis auctoribus, ut aut grauitatem aut ridiculum adderent numeris, finitum esse interdum hexametrum monosyllabo uerbo, cui praecederet polysyllabum. quod cur irrideatur ut absurdum a Maduigio [bem. üb. verschiedene punkte der lat. sprachl. p. 87] equidem non intellego. etenim cum miraculo improuiso remissos percutiat animos numerus in ipso fine alienus, apparet non grauia minus quam iocosa eo posse exprimi. quis enim ignorat extrema quaeque haud raro esse affinia interse et contigua? — ac tamen res ipsa, prout uulgo circumfertur, non quidem ineptis sed falsis nititur rationibus. quae quomodo habeat iam aperiam. itaque cum apud Homerum extent quaedam metra finita monosyllabo cum proximo polysyllabo, quae possint uideri suptilius rimanti cum studio esse affectata ad maiestatem uiolentiamue addendam orationi, qualia sunt 'ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ' 'τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο Ζεῦ' 'οἱ δὲ λύκοι ὥς', Vergilius id sibi non neglegendum ratus eodem modo; aliquando contrario adhibuit. sed ex insequentibus similia qui admiserit non inuenio praeter singula Horatii et Ouidii carmina, quae quidem aperte Maronis aemulatione sunt composita. sunt enim haec 'parturiunt montes nascetur ridiculus mus' et porro 'in iuuenes certo sic impete uulnificus sus', quibus sunt expressa Maronis talia 'tum uariae inludunt pestes, saepe exiguus mus' 'litoreis ingens inuenta sub ilicibus sus'. nam reuera de imita-

tione cogitandum esse non uerbis modo paribus atque artificio metrico, etiam homoeoteleuti simili obseruantia conuincitur. quid quod Horatii quidem uersum aemulatione prodisse Vergilii disertis uerbis testatur Fabius? sed enim insequentium non magis quam uetustissimorum quisquam similibus est usus facetiis. ceterum quam acerrime uitandum, ne unius exempli aut alterius fallaci decipiamur specie. ueluti cum Ennii Lucretiique tales sint numerorum exitus 'summa nituntur opum ui' 'quae cum animi ui' 'horrens Arcadius sus', describuntur sane illis et uiolentia quaedam et horror, uerum ea non metricis rationibus declarantur sed uocibus quae sunt ui et horrens. quis enim credet Ennium ac Lucilium uel Homerum, qui minime sunt suspicati de lectoribus philologis, aut noluisse aut potuisse semel uel bis indicare insolentiam quandam orationis uersuum exitu eo, quem alibi saepe in oratione quam maxime simplici et quieta adhibuissent idem. ceterum satis constat Vergilium quaedam talium exemplorum de horum poetarum carminibus proprios in libros ad ornandum poema transtulisse. praeterea eundem cognitu haud absurdum etiam quinti pedis abnormitatibus uti ad grauitatem uiresque conciliandas orationi ueluti in his

nec rapit inmensos orbis per humum neque tanto
squameus in spiram tractu se colligit anguis.
caulonisque arces et nauifragum Scylaceum.
aeriae quercus aut coniferae cyparissi.
lamentis gemituque et femineo ululatu.

ita indignationem pulchre expressit idem uersu isto

at nunc ille Paris cum semiuiro comitatu

nec minus dolorem alibi

socii multo gemitu lacrimisque
inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.

sed age iam in uiam redeuntes quod ualidissimum in re nostra exempla producamus laesarum exeuntis hexametri legum. igitur Vergilius ultimae sedis normam uersibus amplius XXXX cum migrasset, at hercule Ouidius non plus undeciens. ceteri etiam maiorem longe adhibuere cautionem. et Maronis quidem aemulationem tam aperte prae se ferunt plerique, ut aliquando uersibus illius ad ipsorum emendandos possis uti. ueluti cum in thebaide Statii legantur haec [V, 140]

quin o miserae, dum tempus agit rem,
consulite. en ualidis spumant euersa lacertis
aequora. Bistonides ueniunt fortasse maritae,

non potest esse uerum illud 'tempus agit rem', quippe quo id solum significetur prospera iam occasione rem posse geri, quod alienum esse ab sententia et uerbo quod est tempus notari spatium seu facultatem, totius loci unde haec sunt sumpta declaratur nexu. itaque scribendum 'dum tempus agi rem'. quod cum sensuum probabilitate restituerimus, magis etiam placebit conferentibus unde ductumst Vergilianum illud [aen. V, 638] 'hic domus est inquit uobis. iam tempus agi res'. ceterum de Statio ne nunc plura afferam, non tamen dissimulabo deterius etiam quam illud agit habere quod legitur paulo post exire in hisce [149]

idem animus solare domos iuuenumque senumque
praecipitare colos plenisque affrangere paruos
uberibus ferroque omnes exire per annos,

quae donec quis explicauerit apte, reponendum esse contendam una mutata litterula saeuire. — igitur semel a Propertio habes laesam sexti pedis artem exitu hoc 'amor qui' — modo ne sint haec uerba corrupta — semel a Gratio tali 'ualet res' semel a Lucano ita 'tabificus Seps' porro a Nemesiano 'montiuagus Pan' bis a Silio 'deum gens' 'agunt nos' bis a Sammonico 'aerium mel' 'restituit rem' ter a Valerio 'agat uis' 'uirum ui' 'magis uis' quater a Statio 'canum uim' 'riget Sphinx' 'agi rem' 'cadit Sphinx' quater etiam a Claudiano scilicet bis 'occiduus sol' et singulis exemplis 'diuitiis mens' 'perspicuus fons' denique quinquiens a Germanico duriore poeta 'posterior pes' 'oceano bos' 'breuis lux' 'aquae mons' 'uenit nox'. scite a me apposita sunt exempla, ut gnari Musae Maronis statim deprehendant similia. abstinuerunt ultima sede uiolanda Cato Tibullus Manilius Calpurnius Homerus Latinus Columella Petronius Namatianus auctor Aetnae et qui scripsit carmen ad Pisonem. iam quinti pedis regulas cum Vergilius circa CXX laesisset exemplis — quibus etiam ea attribui ubi constat uersus finis uerbo adonium metrum aequante non ubi choriambico et monosyllabo —, Ouidius uix laesit octoginta, e quibus L ad metamorphoses pertinent, tum Manilius deciens octiens, cuius exemplorum unum de coniectura restitui. nam quod legitur apud hunc l. III [423] 'quodque his exuperat demptis diducito in aequas sex partes', non est credibile diducito correpta ultima a Manilio esse adhibitum, ut pro eo quod in codicibus extat idducit scribendum sit potius diduc id, quod traxit corruptela a pronomine t littera scripto. at e reliquis Martialis XXXVII

exemplis artem migrauit plerumque uerbis adonium metrum siue dispondeum aequantibus et quidem triciens bis nominibus propriis aut Graecis. tum Statius legem mouere ausus deciens nouiens, deciens sexiens Silius deciens quater Valerius duodeciens Claudianus. minus modesti fuere Germanicus et Serenus et Terentianus sed plerumque in uocabulis ad artem spectantibus. longe autem cautiores illis fuerunt alii. igitur semel Calpurnius deseruit normam uerbo Alphesiboeus semel Petronius ita Apennini semel auctor ad Pisonem 'ut pudibundos' itaque Symposius 'sex remanebunt', quamquam haec uerba non magis quam totum unde sumpta sunt aenigma [94] aperta habentur et certa. nam quod ultimo omnium opusculo legitur 'dum cecidi infelix mater mea me diuisit', nimis ineptumst illud quam ut possit probari ingeniis uel mediocribus, scribendumque esse firmatur librorum corruptelis et duce ipsa ueritate 'cum miserě cecidi, mater me diua reuisit'. porro Homerus Latinus in fine metri habet haec 'Prothoenorque Cloniusque' 'moueat tua Peleus' atque ita Namatianus 'amphitheatrum praefecturam Oarioni Apenninum'. denique pepercere omnino quinti sextiue pedis legibus inuertendis Nemesianus in cynegeticis Palladius Merobaudes Boethius qui nucem scripsere et priapea et laudes Herculis atque elegias de Maecenate ac Maeuio. — at christiani auctores satis uariis sunt usi in re eadem iudiciis. nam quidam eorum uersificatores haudquaquam spernendi tamen ex hac parte remisere artem, paene eadem qua Lucretius libertate ut uterentur exclusis tamen plerumque ab ultima thesi monosyllabis, quorum in numero fuere Ausonius Prudentius Paulinus. quod contra Venantius Prudentio longe alioquin inferior multo acriorest usus cautione. porro Auienus et Sidonius ac Priscianus non dissimili illorum cum utantur ratione, at classicorum hercule praestantissimos aemulantur modestia Sedulius Arator Martianus Reposianus auctor Phoenicis. e quibus semel Arator laesit legem in uerbis Paulli apostoli sic 'uideo clamans caro menti' semel scriptor Phoenicis 'geminos hyacinthos' quater Martianus 'Calliopea das tetrachordon sacer νοῦς fontigenarum' Sedulius equidem deciens sexiens sed tantum non semper in nominibus propriis aut oratione biblica. omnino abstinuere licentia ista Auianus Luxorius Maximianus Eugenius Octauianus denique qui epistulam Didus scripsit metro heroico.

Restat ut de spondiacorum uersuum arte pauca disserantur,

quos claudendi uerbis tetrasyllabis ut uulgatissima ita utilissima longest ratio, quippe quae et grauitatem habeant duplicato spondeo et mollitiem amplitudine spatii. proximumst bonitate molossicae parti in fine collocatae praeire talem quae choriambica mensura non sit minor. non perinde bene res habebit, si breuius praecedet uocabulum, sed et peius est in thesi extrema adesse monosyllabum. quod contra non malus est uersus sed nullus, si aut quintus pes aut sextus spondiaco uerbo seu continuis monosyllabis continetur. quippe ita diremptis partibus tota comparet spondiaci numeri quinta sede locati asperitas et tarditas, quae minuitur scilicet finalibus pedibus mixtis et confusis. ob eandem causam a quinta sede exulabit uocis plus quam disyllabae spondiacus exitus. igitur spondiazontes uersus uerbis tetrasyllabis ut reliqui plerumque ita semper conclusere Cato Horatius Propertius Manilius Germanicus Valerius Claudianus, praeterea trisyllabis praecedente uocabulo minimum choriambico Ouidius Lucanus Statius Silius Martialis Ausonius. quibus uides conuenire cum neotericis Graecorum, de quibus dixit Lehrsius quaestionibus epicis [p. 309—313]. at monosyllabo terminati metri haec potissimum inueni exempla. primum habes apud Ennium tale

dono ducite doque uolentibu' cum magnis dis

et porro apud Lucretium

matris et ingrati genitoribus inuenti sint.

eadem licentia non recte credunt plerique promiscue usum esse Maronem. nam quod bis eam admisit exemplis talibus 'cum sociis gnatoque penatibus et magnis dis' 'cum populo patribusque penatibus et magnis dis', uides expressisse illum totidem uerbis Ennianum quod modo attuli. praeterea Iuuenalis satirica usus lasciuia dixit 'et subiti casus inprouidus ad caenam si' atque ita Terentianus 'spondeis illum primo natum cernis sex'. alia exempla non memini. at disyllaba quinta sextaue sede admissa an possint tolerari uersu Homerico etsi nondum satis constare dixit Hauptius [prooem. Berol. aest. 1855 p. 12], tamen assentiendum existimo Bekkero qui illa recensione nuperrime edita remouit, quoniam haec exempla non maiore opera quam siqua inueniuntur alibi potuere tolli. ueluti quod legitur apud Aratum in fine uersus ἵππου κρήνης, unius omnino illud est instar uocabuli, unde etiam a Germanico ponitur in metri clausula. ceterum apud Latinos cum ne

specie quidem ac simulacro existant a normae firmitate aliena, tamen grammaticis ἀγραμμάτοις si credes et Catullus et Vergilius et quis non? istos numeros comprobarunt. ueluti Aristarchus Vindobonensis Ennio ut profundum producta prima [474] ita talem attribuit uersiculum [126] 'Floralemque Falacrem et Pomonalem fecit'. — concurrite omnes augures haruspices. inusitatum monstrum contemplamini. praeterea nuper homo aeque peritus rei metricae in emendationibus quas uocauit Vergilianis dicatis Ienensium saecularibus academicis [p. 16] Maroni [aen. IX, 66] hunc uersum edidit 'qua temptet ratione aditus et qua ui clausos'. sed socium erroris ut possit excusare iste, legat iam librum Marii Plotii inuenturus ibi [2630. 31] similia proprio et digna seque illoque exempla proposita. — igitur apud classicos non magis quam christianorum libris inueniuntur uersus tales, nisi semel apud Prudentium in apotheosi [266] 'ultra principium deus egerit aut quo pacto', quod tamen inde habet ueniam, quod quasi formulam aequat illud 'quo pacto'. — scilicet hoc uetustatis plurimo usu fuit detritum, cum non perinde placuerit insequentis aeui monachis, qui saepe per ignorantiam corruperunt uelut in illis

femina nulla bonast, uel si bona contigit ulla,
nescioquo pacto res mala facta bona,

in quibus uulgo fertur 'quo fato'. — ceterum Prudentii exemplo non credo posse defendi Lucretii metrum tale 'omnia cum rerum primordia sint in motu', quod satis probabiliter Lachmannus traiectione usus uocabulorum constituit ita 'omnia cum sint in motu primordia rerum'.

Iam in pentametri alterius hemistichii fine Catullus quod noluit esse diuersam multo artem quam in prioris, non erit mirum reputantibus tum primum coaluisse metri ipsius usum. similis autem huius Propertius. sed ab his uehementer discrepant Tibullus et secutus hunc Ouidius, ut qui iambicis plerumque uerbis uoluerint claudi uersum elegiacum. fatendum tamen non perinde quam in hexametro praeclari exempli normam optinuisse. quod quidem non sic uenisse puto, quasi timerent auctores, repetito usque eodem modo finiendi uersus ne lectorum fatiscerent animi aequalitate sonorum, sed potius ipsa difficultate operis et penuria uocum idonearum. igitur Tibullus non ita saepe nec nimis tamen infrequenter pentametros uerbo plus quam disyllabo finiuit. quod Ouidius in libris ante exilium scriptis adeo studiose uitauit, ut in epistulis

quarum dubiast plerumque auctoritas uix ullum sit certius signum artis ab illo alienae quam quod singulis locis carminum Hypermnestrae ac Paridis Helenaeque et Herus ea regula migratur [XIV, 62. XVI, 288. XVII, 16. XIX, 202]. uerum idem Ouidius quae post fugam composuit paullo habuit liberius, in quibus sane uerba hyperdisyllaba uersibus minus L idem adhibuit. quantillum tamen hoc est in tot millibus? hic quam amatoriis carminibus normam optinuit probauit qui scripsit elegias de Maecenate, in quibus pessime habet quod dedit Meyerus [110, 12] 'et morior, dixit, dum morior. satis est', nec non auctor nucis aetate ille compar priori tum Auianus et Arator. quibus proxime accedunt cura similes Palladius qui semel [100] inuertit artem uerbo tetrasyllabo. ita et semel Boethius 'non est iusta satis saeuitiae ratio' porro octiens similia auctores priapeorum in pentametris C at in CCCLVI quindeciens Namatianus tum Petronius quinquiens. — hos longe superauit Venantius ut qui in uoluminibus miscellaneorum primo quintoque sexiens, in libris de excidio Thuringiae ter concluserit pentametros uoce plus quam disyllaba. cuius ne Martialis quidem aequauit elegantiam qui in xeniis et apophoretis quorum sunt pentametri CCCLV migrauit Nasonis normam uiciens. minus longe fuerunt anxii ceterorum plerique, e quibus tamen Luxorius et Maximianus propius accedunt ad placita optimorum auctorum. restat ut moneam poetas admodum paucos et legitima plerumque quae ab enclisi uocum oritur uenia tutos sustinuisse collocare in fini pentametri uerbum monosyllabum plus quam monosyllabo praecedente. itaque Catullus semel concesso modo tale admisit ita 'dictaque factaque sunt' neque aliter Ouidius hoc [e. e. P. I, 6, 26]

quidquid id est ut non facinus sic culpa uocandast.
omnis an in magnos culpa deos scelus est?

et Claudianus

nec lapis est merito quod fluit et lapis est.

tum Martialis praeter similia exempla adhibuit quaedam liberiora [I, 32, 1. VII, 75, 2. XII, 47, 2]

non amo te Sabidi, nec possum dicere quare.
hoc tantum possum dicere 'non amo te'.
res perridiculast. uis dare nec dare uis
nec tecum possum uiuere nec sine te.

quibus addendumst durius aliquanto illud [X, 16, 8]

quidquid habent omnes accipe quo modo das.

cui tamen hac re conciliatur uenia, quod totius in quo situs est uersiculus ille epigrammatis lepos in dandi donandique uerbis constat. sed abstinuerunt tali modulo longe plurimi Tibullus Propertius Petronius Seneca Namatianus auctores catalectorum et priapeorum Prudentius Sidonius Maximianus Luxorius. — hactenus de fine pentametri.

Ceterum si quaeretur cur exeuntis metri leges non ea qua medii seueritate fuerint seruatae, id uero inde uenit haud dubie quod neglecta prioris partis norma cum grammatico accentu rythmicus consentit, at posterioris pedis migrata arte diuersus fit alter ab altero, quod pro principali artis ueteris proprietate facit ad eleuandam mitigandamque licentiam alioquin iniucundam.

Sed ut taediosissimi libri longas moras in quantum poterit fieri comminuam, missis metris dactylicis, quorum facile rationes similitudine hexametri expedientur, statim senarii iambici modulos rythmicos mox logaoedicorum uersuum quosdam ut quisque nobilitate idoneus enarrabo. igitur in trimetro pro uarietate incisionum legitima exempla erunt talia

paterna rura bobus exercet suis.
roges tuum labore quid iuuem meo,

positis scilicet in finibus ordinum uerbis trochaeo siue iambo exeuntibus siue binis monosyllabis. praeterea facile computabitur, receptis ob solutam arsin siue admissam syllabam communem nouis pedibus quonam modulo legitimi seruentur numeri. at male habent in prioris ordinis fine tales

nec tu negas id. expetent poenas dei.
diris agam uos. dira detestatio.
regnante te, uides ut imperium cadat.

e quibus exemplis primum ac secundum similia sunt heroici metri illis, quae habent pede secundo dactylicam uocem seu spondiacam, ultimum eis, quae tertio. fatendum tamen uel apud optimos scriptores inueniri identidem trimetros supra propositis similes, nempe quia talibus admissis licentiis optinetur in medio uersu accentus poeticus a grammatico discrepans. ceterum hephthemimeris migrari artem, quod non obscuram ob causam longe habet peius quam penthemimeris laesa, rarissimis inuenitur exemplis. illud autem non inelegans est sed falsum spondiaco uerbo tertium pedem teneri, quoniam ita plane non licet quarta thesi abstrahi syllabam praecedentem, si sit hephthemimeris. at si post finitum tertium

pedem erit incidendum, uides spondiacum haberi caesurae rythmum, qui pariter et a trochaico et ab iambico longest alienus numero. cuius insolentiae quotquot inueni exempla afferam. igitur in catalectis Vergilii uersum habes talem

stant in uadis caeno retentae sordido

et apud Terentianum

et de sequens longam priorem perficit.
Aristophanis ingens micat sollertia.
heroicus quare pedes per singulos.
sed simplici carmen per omne euectus est.
sic creticum siquis uelit diiungere.

porro Prudentius in epyllio habet haec

languetis inbelli fame ac fatiscitis.
manusque tendebat sub ictum uulneris.

at pessime habet ab omni parte quod circumfertur uulgo in priapeis [63, 1] 'parumst, mihi fixi quod hic miser sedem? agente terra per caniculas rimas siticulosam sustinemus aestatem'. e quibus primus uersus cum talis exhibeatur in libris scriptis 'parum est mihi quod hic fixi sedem', sic uidetur esse reconcinnandus

parumst quod hic, cum fixerint mihi sedem,

tum cetera prout nunc feruntur continuanda. quo remedio ut lenissimo ita plenissimo metro pariter et sensui consuletur. nam mutatam promiscue primam ad personam significandam pluralem numerum cum singulari nemo erit qui incuset. ita enim dixit Tibullus [II, 4, 5] 'et seuquid merui, seuquid peccauimus, urit' et Propertius [I, 1, 33] 'in me nostra Venus noctes exercet amaras' nec minus Naso [heroid. 5, 45] 'et flesti et nostros uidisti flentis ocellos'. — praeterea in uersu Auieni hoc

scis nam fuisse eius modi sententiam

eius modi uno uocabulost efferendum. abstinuere inelegantia ista ut classici praeter quos dixi omnes cum Boethio ita ex christianis Sidonius Martianus Luxorius. at in finis siue trimetrorum siue dimetrorum obseruantiis tuendis longe seuerissimos se praebuere plerique. diuersa tamen paullum iambo et spondeo exeuntium ratio. nam Hipponactios uersus cum apud Graecos ne si praecedat quidem monosyllabum finiri liceat monosyllabo [Meinek. ed. Babrii p. 160], id apud Latinos plane etiam optinet, ut non possit uox talis collocari in exitu, nisi quando cum priore iure enclisis coalescit. quae cum ita sint, non uere habet quod manco

catalectorum [2, 4] Maronis uersu fertur in fine 'illi sit' pro quo quidam exhibent uno uerbo scriptum illisit. — at enim iambo clausum trimetrum licet monosyllabo finiri, paris spatii uocabulum si praecedat. et substitere in hoc nihil alias licentiae admittentes Horatius Vergilius Petronius Martialis Boethius Martianus Luxorius auctores priapeorum. contra admiserē monosyllaba quae enclisi cum polysyllabis praecedentibus coirent satis quidem infrequenter Catullus et Seneca et Prudentius ac Sidonius, quibus paullo latius sunt euagati quamquam commoda plerumque nec ipsi orbi excusatione Terentianus Auienus Ausonius Paulinus. praeterea in exitu numeri bina iugari uocabula iambica, quod apud scaenicos uetustos perraro euenire demonstrauit Ritschelius [prol. Trin. p. 210], dactylicis non perinde displicuit, apud quos nec illud fuit inauditum tria in clausula metri cumulari uerba iambica [uelut priap. 83, 19. 21]. denique quod Porsonus obseruauit tragicis Graecorum trimetris [praef. Hecub. p. 32 ed. Lips.] paenultimae sedis spondeum non constare uocibus plus quam monosyllaba et cretica, id non perinde ad Senecam pertinet, non tamen ut ausim affirmare, neglegentiane potius an necessitate huic migretur norma, quippe quam nec frequenter uiolarit et addita plerumque excusatione. ceterum quae modō de trimetris iambicis protulimus etiam ad trochaicos tetrametros usquequaque pertinere uerumst.

Restat ut logaoedicorum metrorum potissima persequar, quorum artem a Catullo uel Horatio nouatam mox saeculi p. Chr. n. primi scriptoribus perpolitam et christiani plerumque diligenter seruarunt. quam primi migrasse inueniuntur neoterici, qui saepe per leuitatem aliquando studio ac uoluntate leges rythmicas artis ueteris mutarunt, cum crederent ut barbari sufficere ad iustos uersuum efficiendos modulos legitimas adhiberi quantitates. igitur in sapphico metro minore cum Horatius et Catullus non essent passi spondeum secundum uerbo constare spondiaco, id studiose optinuere insequentes. nam ex eis quorum his in libris fit mentione Paulinus quidem uel Ausonius aut Fortunatus hoc migrarunt praeceptum neque auctores hymnorum qui leguntur apud Danielem [96. 146. 147. 163]. at in exitu metri eiusdem cum Horatius ter collocasset qua non licet condicione monosyllaba exemplis his

cardines: audis minus et minus iam
sed palam captis grauis heu nefas heu
alme sol curru nitido diem qui,

ne Seneca quidem id admisit saepius cuius sunt haec [Troad. 1018. Herc. Oet. 1543]

> nemo se credet miserum, licet sit.
> iusserint nasci, iacet omnibus par
> quem parem tellus habuit tonanti.

quae antitheti figura seu repetitis excusantur uocabulis. semel etiam uitiose Paulinus [17, 145]

> ducat hunc aeque famulum suum dux.

numquam similia admisere Statius Ausonius Prudentius Sidonius Luxorius Fortunatus. porro uersum adonium cum unum habeat Horatius talem 'est hederae uis', at alibi uix inueneris simile praeter hoc Paulini [ib. 72] 'quae rapiunt te'. porro in metro asclepiadeo minore etsi Flaccus dactylum post basin positum aliquando dactylico extulit uerbo, illud exceptis paucis Terentiani exemplis studiose euitarunt insequentes. ita phalaecii uersus fini identidem cum adhibuisset Catullus monosyllabum polysyllabo proxime praegrediente, id Statius semel fecit in enumeratione nominum

> non leues alicae nec asperum far

itaque simili excusatione Sidonius

> hospes taurus Eryx aues Lycas fur.

idem aliter

> pars contraria nil timens tuam uim.

alibi uiolari artem non memini. — ceterum omisimus quaedam specie magis quam re aliena et uulgo usitatae tmesi obnoxia. ueluti quis credet artem laedi ea re, quod in fine hexametri fertur apud Calpurnium 'uixdum bene florem' apud Silium 'et superesse?'

Iam ut tertiam ultimamque huius libri partem absoluam, non magis quam grammatici accentus rationes sensuum spatia et clausulae enuntiatorum pertinent ad numeros metrorum componendos. quod non potest esse mirum cogitantibus ne pedestri quidem sermone concentus ut ita dicam logici ullam fuisse potestatem ad inuertendos accentus seu quantitates. praeterea idem probatur concessa libertate traiciendi uocabula, quae, ut in una sententia nihil paene interest quomodo collocentur, ita mirificum in modum saepe disiciuntur per diuersas. ceterum uix minus firmum argumentum ab elisionis finalium rationibus sumetur. qua admissa cum nobis uideatur ne posse quidem fieri, ut terminetur sensus post syllabam inminutam uel hanc ob causam, quod saepe uerbum truncatum iam alienam ab ore Romanorum uel Graecorum clausulam

accipit, id adeo non uerumst, ut et nonnullis exemplis apud hos et multis apud illos inueniatur in fabulis uel diuerbiorum in fine synizesis adhibita. at possit obici mihi istam scaenicarum actionum alacritate mitigari abnormitatem, cum praesertim ueteres illi actores sicut hodieque Gallici et Italici plurimum abfuerint a tarditate morosa pronuntiandi ea, qua Germani uerba solent quasi computare. audio. sed enim eadem synizesis proprietas etiam extra fabulas ac diuerbia reperitur. — quae cum ita sint, quis iam negabit a ueteribus, ut placita grammatica siue metrica starent, haud cunctanter posthabitas esse rationes logicas?

Ac tamen concinere interse sensuum fines ac numerorum aut certe non nimis inaequaliter discrepare tam simplicis elegantiae ratione praecipitur, nullo pacto ut potuerint esse expertes istius obseruantiae poetae ueteres. qua tamen in re insignis comparet Graecorum et Romanorum differentia. namque illi cum adulta per antiquissimam aetatem arte Gratia uterentur non tamquam nouerca sed ut matre, etiam in hac parte pleraque aspera et inconcinna ab initiis ferme uitauere, quae Latini sero imbuti Musis ne seuerissima quidem alioquin arte potuerunt optinere. — sed age placita horum sine molimine philosopho pro diuersitate metrorum uariis iam exemplis persequamur.

Itaque cum bene utique et probe concinant cum metrici ordinis exitu sententiarum clausulae, proprium has sibi uindicare locum uerumst et in fini uersus et in caesura. facilius tamen perspicuam ob causam in hac quam in illa admittetur, insignem ut in modum discrepent sensuum termini ac numerorum. haud dissimili ratione dissonantia ista minus erit ingrata in paruorum aut systematis iunctorum uersuum exitu quam eorum qui aut spatio eueniunt amplo aut in clausula constant periodi metrici. praeterea incisio, si fas est ita dici, logica quacumque uersus parte euenerit eo minus habebit offensionis, quo magis accommodetur pedum diuisionibus seu conexibus eis, quibus ad optinendas metrorum leges rythmicas auctores ueteres usos esse ostendi. his igitur obseruantiis nisi facile explanabimus omnia.

Ac primum quidem satis certumst non posse principem locum optinere in uersu uoces quas initio enuntiati poni non licet, quales sunt enim autem uero. igitur cum uerbum quod est inquit aliquando uel apud optimos auctores [e. g. Ou. metam. X, 544] inueniatur in prima parte numeri, infringetur istud praeceptum, si

modo uere Kotenius [ad Pindar. Theb. 150] asseuerarit numquam in principio orationis collocari illud. sed fallitur. ita enim dixit Septimius

inquit amicus ager domino
'si bene mi facias memini'

et porro Terentianus

noster rarus eo pastor Maro sed tamen inquit
'dic mihi Damoeta cuium pecus? an Meliboei?'

atque idem admisere Sidonius [paneg. Auit. 280] Martianus [VI, 704, 6] Arator [act. ap. II, 283] Corippus [laud. Iust. II, 44].

Potest autem dissonantia ordinum logicorum et metricorum prout supra iam indicaui esse duplex. namque aut subsistet metri finis in parte orationis artissime ad proxima pertinente ut puta praepositione uel adiectiuo aut incidet statim post finitam sententiam siue ante. cuius rei exempla sunt uelut haec

transque caput iace nec respexeris. his ego Daphnim.
pulnerulentus eques furit. omnes arma requirunt.
scribendi recte. nam ut multum nil moror. ecce
Crispinus minimo me prouocat.
expectant, ueluti consul cum mittere signum
uult, omnes auidi spectant ad carceris oras.

Igitur omnes obseruantiae principia circum et clausulas ordinum metricorum constant. reliqua habentur liberius. ac primum quidem hexametrorum et magis distichorum exitu apparet propter ipsum spatium numerorum aptius terminari sensus quam continuari. quamquam Catullus uel in pentametro hanc spreuit normam, cuius sunt praeter alia haec

ut tibi tum toto pectore sollicitae
sensibus ereptis mens excidit.
quo tibi tum casu pulcherrima Laodamia
ereptumst uita dulcius atque anima
coniugium.

at insequentes curiose id uitauere. unde bene ait Beda [p. 2366] obseruandum esse in carmine elegiaco, nequid unquam de sensu uersus pentametri remaneat inexplicatum, quod insequenti uersu hexametro reddatur. illique et in aliorum systematum fini ceteri seruauere, ne cum metro sensus non concluderetur nisi aut in enumeratione rerum seu multiplicatis epithetis aut parenthesi iniecta mediis primariae sententiae uerbis, ut tamen illam subsistere intra pentametrum sit necesse. quarum rerum exempla habebis

talia [Ou. her. 1, 91—93. 12, 62—64. Rutil. I, 519—521. Ou. trist. V, 2, 3—5. fast. IV, 357—59]

quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum
Eurymachique auidas Antinoique manus
atque alios referam?
mane erat et thalamo cara recepta soror
disiectamque comas aduersaque in ora iacentem
inuenit.
noster enim nuper iuuenis maioribus amplis
nec censu inferior coniugione minor
impulsus furiis homines diuosque reliquit.
pone metum ualeo corpusque, quod ante laborum
impatiens nobis inualidumque fuit,
sufficit.
quare primi Megalensia ludi
urbe forent nosta, cum dea — sensit enim —
illa deos inquit peperit.

porro in distichis apparet non posse ante extremum pentametri semipedem incidi sensum neque quisquam eundem praepositione constare passus est. quae haudquaquam normae firmitas in hexametro optinuit, in cuius exitum antiquissimi auctorum et secuti hos Lucretius ac Horatius admisere illa ab elegiaco uersu aliena. qua quidem in re notandum a Lucretio neque grauiore interpunctione thesin sextam ab arsi diuelli neque si leuior sit posita alteram in fine uersus addi. contra Flacci habentur talia

scitari libet ex ipso, quodcumque refers. dic,
ad cenam ueniat.
sapiens crepidas sibi numquam
nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens. qui?
si de quincunce remotast
uncia quid superat? poteras dixisse triens. eu.

at neque apud aequales horum similia Lucretii inueneris exceptis singulis Catulli et Propertii distichis [112, 1. III, 25, 17] neque apud insequentes classicorum praeter satiricos. e quibus tamen diuersi longe interse Persius et Iuuenalis. hic enim cum secutus Flaccum et praepositiones admittat fine uersus et interpunctionem post paenultimam syllabam, at illi neutrum placuit. nam quod legitur apud eum [6, 19]

solis natalibus est qui
tingat olus siccum muria uafer in calice empta,

unius uocis instar habetur illud est qui. quare alio loco [5, 143] et tali

seductum moneat 'quo deinde insane ruis quo
quid tibi uis'

primum interrogandi signum post illud quod est insane non post ruis collocandum esse existimo, quod firmatur exemplis Horatii

ne quis humasse uelit Aiacem, Atrida uetas cur?
discedo Alcaeus puncto illius, ille meo quis?

iam e christianis quidam remittendo artem Lucretii redintegrarunt licentiam, quorum in numero fuere Prudentius Ausonius Paulinus, non Sidonius Martianus Sedulius Arator Luxorius Maximianus. — tum post syllabam antepaenultimam pentametri cum non facile incidatur sensus, post heroici uersus pedem quintum Bentleius sibi persuasit [ad Lucan. I, 231] non posse interpungi, nisi insequentia constarent aut binis monosyllabis aut repetita ex prioribus orationis parte. quod tamen inuentum uanum esse facile apparet. ac primum quod de monosyllabis statuit ipsa paucitate exemplorum refellitur. praeterea quod uocabula iterata saepe collocantur sexta arsi cum praecedente interpunctione, non illud arcana lege numerorum euenit, sed ideo quod ualde concitata oratione, quae amat plerumque uerba geminare, minus curatur ne dissideant inter se insignem in modum metri fines et sententiae. itaque simili ratione orta sed minime Bentleii praecepto apta habes haec Vergilii

donec talis erit mutato corpore, qualem
uideris, incepto tegeret cum lumina somno.
adceleremus ait. uigiles simul excitat. illi
succedunt seruantque uices.
ingentem remis Centaurum promouet. ille
instat aquae

tum Ouidii haec

ter sine profectu uoluit nitentia contra
excutere Alcides a se mea brachia. quarto
excutit.
namque mihi genitor Megareus Onchestius, illi
est Neptunus auus.
tertia forma fuit maculosae tigridis. illa
territus Aeacides.
nec satis est, quod tale nefas committitur. ipsos
inscripsere deos sceleri.
sex Remus, hic uolucres bis sex uidet ordine. pacto
statur et arbitrium Romulus urbis habet,

ita Gratius dixit

nec longa in facto medicinast ulcere. purum
sparge salem

nec aliter Lucanus

abscidis frustra ferro tua pignora. bellum
te faciet ciuile meum

et Silius

maiorem surgere in arma
maioremque dedit cerni Tirynthius. altae
scintillant cristae

denique Claudianus

qualem te legimus teneri primordia mundi
scribentem aut partes animae per singula, talem
cernimus.

similia passim ceteri, quamquam nec desunt quae omnino egeant excusatione, qualest apud Tibullum

quae tua formosos cepit sollertia? certe
non tibi barba nitet, non tibi culta comast.

tum Silius

hanc rabiem in fines Italum Saturniaque arua
addiderat quondam iuueni patrius furor. ortus
Sarrana prisci Barcae de gente uetustos
a Belo numerabat auos.

nec non Martialis

de quadrante tuo quid sperem Garrice? nulla
de nostro nobis uncia uenit apro.

praeterea disyllabam in fini uersus stare praepositionem nulla lege uetitumst. — at tamen rara euenere illa finiti post pedem paenultimum sensus exempla. nec minus cauetur, ceterae pentametri hexametrique partes post quintam arsin sitae ne interpungendo turbentur. porro initiis uersus, nisi finis praecedentis interstitio sententiae erit diremptus, post primi pedis partem quamlibet ne interpungatur refert elegantiae. ceterum qualicumque sub condicione primam arsin a proximis segregari uetitumst. maxime autem illud inconcinnumst totum circuitum finiri circa principia metri, unde Vergilius commode idem admisit oratione abrupta et concisa.

'heia age rumpe moras. uarium et mutabile semper
femina'. sic fatus nocti se immiscuit atrae.
'purpureos spargam flores animamque nepotis
his saltem accumulem donis et fungar inani
munere'. — sic tota passim regione uagantur.
Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum
intactum Pallanta et cum spolia ista diemque

oderit. at socii multo gemitu lacrimisque
impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

praeterea in medio pentametro pro reliqua carminis seueritate ne inaequalitas numerorum et sensuum nimia oreretur, anxie cauerunt uersificatores uel mediocres. igitur neque coniunctione copulatiua seu disiunctiua siue praepositione tertiam arsin constare sunt passi, neque magis post insequentem syllabam siue praecedentem uoluerunt subsistere orationem. quamquam Catullum et pubescentem artem non moror, cuius sunt haec

quam ueniens una atque altera rursus hiems.
quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.
quanta in amore tuo ex parte reperta meast.
nuptarum laus e laudibus eximiis.

uerum similia exempla uix apud deterrimos christianorum inueneris, nam nec Lactantii in carmine de Phoenice bene habet quod edidit Martinus [62] 'adsuetum nemus et dulce cubile fugit'. — at heroico in uersu longe aliter habet res. nam secuti plerique Vergilium, cui praeierant illud Ennius et Lucretius, hanc tenuere normam ut in tertia arsi monosyllabas et praepositiones et coniunctiones paterentur subsistere. cuius tam frequentia usus extant exempla, ut adferre pigeat. nisi forte illud obicietur, condicione illa ubicumque etiam inueniatur in quarta arsi finitum uerbum, hephthemimerin potius optinere. hoc tamen ne probemus et Horatii exemplis cohibemur, qui pleraque licentiae illius in melicorum uersuum caesura aut fini admisit similia, nec minus ipsorum illorum unde oritur disputatio, quippe qui plerumque tertiae arsi in metris quae ne possunt quidem aliam quam semiquinariam habere incisionem idem adhibuerint inelegantiae. cuius modi exempla ab omni obscuritate aliena habes in secundo georgicorum XI [69. 149. 180. 196. 223. 324. 348. 351. 402. 506. 517], in primo septimoque aeneidos XIIII [I, 329. 414. 438. 477. 542. 662. VII, 119. 162. 423. 449. 515. 751. 764. 804]. praeterea quid faciemus eis uersibus, in quibus quarta arsi terminata uox aut numerorum habeat incommodum rationibus logicis longe potius aut etiam constet praepositione siue coniunctione? quales habes hos

moliriue moram aut orando inflectere mentes.
maior agit deus atque opera ad maiora remittit.

denique uel si minus euenerit illud, tamen statuendo in metro cuius non finiatur post quartam arsin sensus qualest hoc

uela dabant laeti et spumas salis aere ruebant

optinere hephthemimerin potius quam penthemimerin, quid iam lucrabimur nisi quod nullo paene parto emolumento minor caesura prae maiore neglegitur? reliquumst ut enarremus, qui frequenter ista admiserint qui raro qui tenuerint medium. igitur istorum ex numero fuere Statius Silius Valerius tum satirici omnes et porro Auienus Prudentius Paulinus, contra alienam plerumque secuntur normam Tibullus Propertius Ouidius Lucanus Martialis Calpurnius Claudianus Arator Sedulius Auianus Maximianus Luxorius. quidam medii sicut Manilius aut paucitate uersuum subobscuri. et horum quidem qui frequenter usurparunt istam licentiam quot sint exempla qui uolet computarit, ex ceteris Tibullus libro primo semel admisit tale sic

te canit agricola, e magna cum uenerit urbe.

itaque Martialis in xeniis et apophoretis

lasciuum pecus et uiridi non utile Baccho.

semel etiam Claudianus in carminibus de consulatu Aniciorum ac de Mallii

collectamque diu et certis utcumque locatam.

tum Lucanus primo uolumine ter

gentis Iuleae et rapti secreta Quirini.
auditae nemorum et uenientes comminus umbrae.
insonuere tubae et quanto clamore cohortes.

tum Ouidius libro initiali metamorphosium quater

ingentes animo et dignas Ioue concipit iras.
esse putat nusquam atque animo peiora ueretur.
altorum nemorum et nemorum monstrauerat umbras.
Arge iaces quodque in tot lumina lumen habebas.

ceterum cur his exemplis et siqua in hephthemimeri inueniuntur similia plerumque arsis caesurae obnoxia praecedentibus iungatur per elisionem insequenti libro declarabitur.

Longe minus est probatum simul cum distinctione semiquinaria grauiter incidi sententiam post quartum semipedem, quod puncti ferme signo exprimitur, aut post trochaeum secundum siue tertium tertiumue dactylum quantamcumque pausam fieri orationis. quarum causam obseruantiarum illis quae supra exposui de legibus finitorum ordinum nec minus elisionis rationibus propriis oritur. itaque paene inauditumst insequente caesuram breui terminari sensum, non ut recorder exempla aliena praeter hoc Lucilii [IV, 8]

uerum illud credo fore. in os prius accipiam ipse.

hoc minus male longe habet alterum auctoris eiusdem

quid sibi uult, quare fit ut introuersus et ad te
spectent atque ferant uestigia se omnia prorsus,

quoniam illud fit ut unius paene uerbi instar est [cf. Lachm. p. 410]. at post dactylum tertium subsistere orationem cum per se sit durissimum excusatur tribus sub condicionibus, si aut semipes sextus synizesi coeat cum sequentibus aut post finem uersus inciso sensu notabilis euadat partium aequalitas aut imitatione grata magnorum exemplorum repetantur uel errores. qualia habes uersibus hisce

Romulus excipiet gentem et Mauortia condet
moenia.
quaesiuit caelo lucem ingemuitque reperta.
cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos.
his lacrimis uitam damus et miserescimus ultro.
nam si debilitas redit, instauratio non est.

praeterea cum Ennii esset uersus talis

balantum pecudes quatit. omnes arma requirunt,

id tali aemulatione expressit Maro

puluerulentus eques furit. omnes arma requirunt.

nec minus ipsius metrum illud

Niligenumque deum monstra et latrator Anubis,

ita repetiit Prudentius

nil potuit Serapis deus et latrator Anubis.

[cf. Verg. aen. IV, 477. Nemes. ecl. 11, 17] denique Prudentii tale

Hebraeus pangit stilus, Attica copia pangit

sic expressit Venantius sub initium uitae Martini [u. 12] 'Hebraicus cecinit stilus, Atticus atque Latinus'. porro post dactylum quartum seu trochaeum admissam interpunctionem etsi sat bene habere existimamus, tamen minus probari poetis Latinis supra exposui. at in hexametro incisione semiseptenaria praedito quarti pedis obseruantiae similes sunt aut pares eis quas in semiquinaria optinere modo declaraui. tamen longe infrequentius post tertium pedem quam post secundum interstitium sententiae admittitur, nec saepius collocantur in septimo semipede praepositiones, quod potissimum euenit elegantia numerorum tertii anapaesti non uiolabili et seueritate inconcussa. ceterum ut in ista incisione et post trochaeum tertium et post dactylum quartum identidem admitteretur grauior distinctio sententiarum, qualis, si penthemimeris adsit metro, exulat plerumque a trochaeo praeeunte uel sequente dactylo, id ea effectumst causa, quod difficiliores longe sunt rationes metricae semiseptenariae in-

cisionis quam semiquinariae. adde quod et melius longe concessis metro heroico numeris consulitur, si in quarto dactylo quam si in tertio retardetur oratio, et post trochaeum tertium terminato sensu ne potest quidem diutius uox subsistere, cum necessaria iam eueniat et aperta proximi pedis incisio. haec ideo suptilius persequenda esse duxi, ne quis in metro tali 'quod male fers, adsuesce. feres bene. multa uetustas lenit' caesuram post quartum potius quam post quintum uerbum cadere existimet.

Iam cum antiquissimi Latinorum haudquaquam cauissent ut clausula enuntiati cum systematum fine eueniret — nam et Horatius aliquando hanc legem per multas et continuas neglexit strophas [e. g. I, 37, 5—24. III, 29, 29—48] —, reliquorum ex hac parte fuit eadem obseruantia quam distichorum exitu optinuisse supra memoraui. denique Horatius suorum hominum non Graecorum aemulatione quod in plerorumque uersuum fini uel caesura similem Vergilii adhibuit licentiam, ne hoc quidem probe persuasit popularibus. igitur apud Statium et Senecam frustra quaesiueris uersus uelut tales

uocibus regnum et diadema tutum.
nil interest an pauper et infima.
pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos.
plena miraris positusque carbo in
cespite uiuo.
audiuere Lyce di mea uota, di
audiuere Lyce.

ceterum epodicorum uersuum fini non eandem quam melicorum admisit inelegantiam Flaccus. praeterea non iam poterit fallere peritos in metris a Catullo aut Laeuio nouatis cum similis fuerit antiquo tempore libertas ei, quam obseruamus apud Horatium, quod posteriores tamen uel illa et siqua ipsi addiderunt ea cura habuerunt quae perfectae artis et aetatis serae propriast. itaque cum Catullus, ut hoc exemplo utar, post decimam phalaecii uersus syllabam sententiam incidisset hoc exemplo

qui? non est homo bellus? inquies. est,

non reperitur simile apud insequentes, nisi quod semel Sidonius in fini uersus collocauit illud et [ep. VIII, 11, 35].

Atque haec equidem hactenus. ceterum plerumque cauendum, ne praua distinctione sententiarum seu uerborum ab auctoribus optime constituta propria inelegantia destruamus. uelut

male et morose nos illud, quod uocatiuos interpungendo ab sensu ad quem pertinent separamus. praeterea si una pars orationis inter duas sententias posita ad bina pariter pertineat enuntiata, non est cur post illam uox inhibeatur. quare non recte dicetur post tertium pedem subsistere sensum in hisce

aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim
immotamque soli dedit et contemnere uentos

neque post secundum exemplis talibus

hinc Hosius stetit inde Leo
hic nuptam petit ille uirum.

porro haud absurdum memoria, quod illud tum cum unius potius quam duorum instar est uocabuli. quippe et Ouidius et ceteri ut quisque bonitate uersuum proximus numquam sic admittunt tum cum, ut in ipsa caesura sit tum, at saepe ita ut statim post caesuram. quod ipsum et deliquatur uersibus his Nasonis [fast. VI, 750]

profuerant Glauci manibus illa prius
tum cum obseruatas anguis descendit in umbras.

in quibus luce ipsast clarius nullo posse pacto ad praecedentia pertinere tum. ceterum quod optimis exemplaribus saepe inuenitur scriptum tunc cum, suspicor antiquitus fuisse formam tuncum emollita ut fit plerumque labiali litera in nasalem. intellegitur autem posse tale uocabulum eodem iure in proprias partes rescindi quo priusquam siue iamiam. quippe haec quod statuit Wagnerus [orthogr. Verg. p. 466. quaest. Verg.] rectius dirimi quam cogi, omnino a uero uidetur aberrasse. nam sicut minime desunt loci, quibus appareat recte discerpi uoces illas, extant item, quibus comprobetur non minus bene coalescere easdem. ueluti priusquam uno uerbo poni a Tibullo in hisce

quam bene Saturno uiuebant rege, priusquam
tellus in longas est patefacta uias

inde apparet, quod numquam ab eodem ponitur in fine metri monosyllabum praecedente plus quam monosyllabo. ita iam iam binis semper partibus si extuleris, haud raro durissimum atque adeo intolerabile orietur asyndetum ueluti his uersibus Statii et Ouidii [achill. I, 584. hal. 19, cf. Claud. 36, 267]

quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
figat, et in uerbis intempestiuus anhelet,
miratur, iamiamque dolos aperire parantem
uirginea leuitate fugit prohibetque fateri.

sepia tarda fugae tenui cum forte sub unda
deprensast iamiamque manus timet illa rapacis,
inficiens aequor nigram uomit ilicet auram.

in quibus illa nigram uomit auram, quae proprio commento posui, non hercule maiore dicuntur audacia quam simillimum Valerii [III, 106] 'dedit ille sonum compressaque mandens aequora purpuream singultibus expuit auram'. ceterum quod uidemus auctores a primo inde post natum Christum saeculo magis magisque cauisse, ne notabilem in modum discreparent sententiarum fines et conexus ab ordinum metricorum terminis, non poterit illud esse mirum. magis esset, si contrarium euenisset. quippe in omnium pariter populorum poetica euenit per temporum seriem sensuum et rationis logicae cura ut inualescat, inde ut uel soni aliquando rythmique prae illa contemnantur suptilitates. magis etiam id optinuit apud Romanos permanante lingua eorum ad ultimos prouincialium, qui sordida plerumque eruditione et pessimis magistris instructi quantillum propriae Latini sermonis elegantiae retinuerunt? itaque normam istam quamquam a prima uersus natura alienam tamen necessitate quadam et legitimo progressu additam qui sero prouenerint auctores uituperabunt facilius quam migrabunt.

Restat ut addam ab ipsa metrorum ratione profectam seruari legem, ut nec initio uersus neque fine exilis nimis et uulgaris notionis collocentur uocabula. quae quidem quo sint spatio ampliore, eo peius habetur uitium. quippe numeri, cum prima parte concitatius, at ultima lenius quam in ceteris fluant, aut praepedientur nimis aut emollientur humilibus uocibus. hinc est quod haec quae totiens prostant in capite uersus 'ille atque uerum quare' similia elisa fere inueniuntur ultima et quod grauiores ac rariores formae quae sunt olli et ollis plerumque in prima siue ultima parte collocantur. ita illud atque cum binis Vergilii [aen. XII, 355. 615] singulis Nasonis locis [trist. II, 145] sit in fine metri positum, omnino ab eadem sede exclusere posteriorum plerique. nam Horatius in hexametris saepe, semel in melicis collocauit uersus exitu [II, 10, 21]. ceterum contrario euenit uitio, ponderosa et grauia uerba exili si in loco delitescunt ueluti in his

labitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
litoreis ingens inuenta sub ilicibus sus.

Denique in fine adiciemus quasi pro mantissa displicere non quidem metricas ob causas, sed ut pedestri magis sermoni apta

cumulata nomina seu uerba. qualia cum haud raro admisissent antiquissimi auctores inopia metri, ab insequentibus praeter satiricos idem plane fuit alienum, nisi ultimi temporis auctores prauitate ingenii siue aemulatione uetustissimorum idem repetissent [cf. Beda 2367]. ceterum apte ea figura usus Lucretius sic

disiectare solet magnum mare transtra guberna
antemnas proram malos tonsasque natantis.

porro seuerissimis auctoribus artis non placuere uni substantiuo bina nedum plura addita adiectiua nisi in formulis quales sunt felix faustusque maius meliusque. denique haud absurdum cognitu poetas quo quis perfectior elegantia eo magis amare praeponi adiectiua substantiuis suis. namque illa semper onerosa sermoni plerumque et superflua si post partem ad quam pertineant erunt reiecta, nulli iam rei nisi explendo metro uidebuntur esse utilia. nec uero cordatus auctor necessitatem numerorum, qua probum poetam non umquam debere cogi fingunt imperiti, ultro adducetur curiosis lectorum mentibus ut retegat.

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor.

V.

LIBER QVARTVS.

DE VOCALIBVS INTERSE CONCVRRENTIBVS.

Tandem eis quae a prioribus non qua decebat cura sunt habita satis diligenter perlustratis licet emergere ad partes si non iucundiores certe securiores, quippe quae identidem praeclaras excellentium arte criticorum excitarint curas. quo magis auet animus ab illis optime incohata ad dignum finem perducere.

Itaque ut coepta perpetremus, si uocalis in fine syllabae posita excipitur insequente identidem uocali, subsistit et laborat et quasi hiat oratio. tale uitium, cuius sensum neoterici exceptis Italis et siqui aurem assidua lectione exemplarium Graecorum et Latinorum castigarunt perdidere tantum non omnem, grauius esse uerumst, prior si uocalis in exitu uerbi sit posita, quoniam finito uocabulo omnino per se retardatur sermo et interrumpitur, unde hoc hiatus genus peius multo quam alterum odere ueteres. apparet uero, quo molestior uocalium concurrentium eueniat collisio, eo plura et ualidiora adhiberi decere ad uitium tollendum remedia. intenderunt haec poetae, ut quibus sit iniunctum, natiuam patriae linguae eurythmiam et euphoniam ut praestent quam perfectissimam. quorum nos in placitis perscrutandis subsistemus modice usi digrediendi occasionibus, licet ultro plurimae offerantur. igitur Graeci pro reliqua carminis facilitate ut in media uoce factam collisionem satis patienter tulere plerumque ita uel in finitis admissam uerbis pro quantitate prioris uocalium uarie habuere. contra Romani nec in hac re propriae obliti indolis uitium haud dubie deforme durioribus curauere remediis, quae nos deinceps persequendo iam de hiatus uno uerbo constantis legibus dicemus.

Igitur primum omnium non licet coeuntium sine consona

media syllabarum priorem esse productam, licet posteriorem. porro pro diuersitate sonorum euenit, continuandi sese et excipiendi uaria ut insit uocalibus facultas. quippe partim numquam partim rarissime a uel o cum qualibet uocali insequenti, e cum altera e componi solent. proximae inconcinnitate accedunt iunctae ii iu ui uu, ita quidem ut quas primo et quarto loco posui deterius nectantur mediis. neque refert inelegantiae, si ex coiugatis his consona sit altera. minimum habent asperitatis ea ei eo eu ia ie io ua ue uo. praeterea non fugiet peritos uocalium quas in unam syllabam coire non liceat asperiorem concursum mitigari, si mutata alterutra efficiantur conexus ei, quos minus offensionis habere exposui. iam praeceptis his ut responderent, tribus rationibus effecere ueteres scilicet uocalem priorem aut corripiendo, si esset longa, aut, si breuis, copulando per contractionem cum proxima siue omnino abiciendo. est autem contractionis triplex in Latino sermone modus. namque aut exempta uocali una producetur altera aut mutabitur prior in consonam aut ambae in diphthongum coalescent. diphthongorum uero ita prodeuntium duplex genus, siue erunt etiam alieno usu frequentes sine paucis exemplis constantes et certis condicionibus obnoxiae. iam speciem primam contractionum hoc uulgo uocabulo, secundam ac tertiam synizesis uel synaeresis significant nomine. porro triplici modo distinguuntur quibus utuntur dactylici rationes hiatum in medio uerbo admissum uitandi, quarum prior est ea, quam insitam Latino ori etiam apud scaenicos inuenimus. constat haec primum contractione uel synaeresi facta in uocabulis siue disyllabis quae plerumque sunt simplicia — quibus pauca accedunt ampliora et ex istis orta — siue plus quam disyllabis et compositis. haec species quod plurimum optinuit non mirum, cum in illis uerbis uocales accentu insignita et in exitu posita, in ceteris prioris nominis ultima et prima insequentis coeuntes simillimam hiatus in fine uocum constantis habeant inelegantiam. — proxime addenda exempla i uel u in consonam mutatae, non admissa illa uerbis minus quam trisyllabis aut partibus compositorum, quae itidem aliena a Graecis et propria esse Latinorum et re ipsa et usu comicorum in dactylicis metris adhibentium apparet. id etiam eo declaratur, quod in Commodiani Afri hexametris rythmicis et ad uulgarem pronuntiationem compositis quidam inueniuntur uersus, qui non possint stare sine synizesi ista. quales sunt hi [I, 2, 4. I, 24, 11]

indignátio meá ne uós dispérdat ob ista.
quíd in sýnagogám decúrris saépe bifárius.

praeterea accedunt elisio uocalis prioris breuis et correptio longae. ultimum genus uitandi hiatus, de quo dicetur, alienum a scaenicis et Ciceronis primum aetate promptum Graecorum imitatione prouenit. id artis finibus clausum nominum quorundam substantiuorum siue adiectiuorum in eus ea eum exeuntium complectitur finales.

Restat uti declarem, auctorum pro temporum interuallo et materia carminis quae fuerit differentia. — ac primum quidem dignissimum memoria iam antiquissima aetate et uiuido etiamtum sensu hiatus in medio uerbo facti longe maiorem fuisse cautionem dactylicorum in synizesi et ceteris remediis adhibendis quam fuit ullo tempore scaenicorum. quod non poterit esse mirum cogitantibus hos, cum componerent sua hominibus plebeiis et non eruditis, potuisse admittere pleraque quae liberale cultiorum ingeniorum aspernaretur iudicium. nam hiatu ipso asperiora quaedam eius remedia. adde quod scaenicorum carmina audituris at lecturis dactylicorum fuere destinata, quae diuersitas quanti sit momenti neminem fugiet. praeterea ubi saeculorum cursu et communi mortalitatis damno consenuit sermo Latinus propter eas causas quas fine prioris libri exposui rationum plerumque grammaticarum inualuit cura, at cessit soni. hinc factum, ut a primo inde p. Chr. saeculo magis magisque euanescerent ex usu synizesis uocalium et contractio et quidquid aliud mitigando hiatui inuentum. quodsiqua uideantur repugnare obseruantiae isti, ea uero praeceptis grammaticorum uel imitatione ueterum prouenere.

Deinde quod Graecanicam synizesin non prius Catullo inueniri memoraui, neque hoc de nihilo esse concedet, qui huius et cantorum Euphorionis rationes probe cognorit metricas. nec uero intellego, qui potuerit Heinsius asseuerare [ad Ou. metam. VII, 223] exemplorum talium qualest Vergilii 'ferreique Eumenidum thalami' plenum esse Lucretium. neque quae Lachmannus similia huius et Lucilii carminibus intulit possunt tolerari. nam Tullius quod disyllabum posuit Cephei [arat. 52], id uero non licentia poetica et docta externigenarum aemulatione sed uulgo usitata Latinis pronuntiatione euenit.

Praeterea aptum memoriae et hoc genus synizesis et alterum quod constat i uel u duratis in consonam esse aliena a numeris

iambicis et trochaicis. haec res ut est omnium certissima, ita, siqua alia, clara luce poetarum Latinorum declarat modestiam. namque cum in dactylicis uersibus, sicut postea probabitur, licentiae istae non ferme adhibeantur nisi uocibus eis, quae ultro plerumque conueniant iambis aut trochaeis, praeterea concesso horum uice plerumque anapaesto siue dactylo, ne tum quidem sustinnerunt migrare normam, ubi uerba commoda alioqui metris certas ab causas essent inepta, neque ausi sunt rationem extrema necessitate expressam per ludibrium intendere. sed age obseruatum istud ne fallaciis circumueniant inprudentes, exempla repugnantia iam curemus. igitur priapeorum in uersu 'amygdalumue flore purpureo fulgens' iam Heinsius uidit scribendum esse purpurae. porro apud Senecam in Thyesta [232. 650. 1052] indubitata etiamnunc feruntur haec

in parte carpit prata quae claudit lapis
fatale saxeo pascuum muro tegens.
arcana in imo regia secessu patet
alta uetustum ualle compescens nemus.
sceleri modus debetur, ubi facias scelus,
non ubi reponas.

sed quis credet Annaeum in iambicis metris ea insolentia fuisse usum, quam ne in dactylicis quidem adhibuerit? et in tertio quidem exemplo non uidetur dubium quin scribendum sit 'ut facias scelus' in quibus ut loci notionem et ipsum continet, de quo dixit Lachmannus commentario propertiano [p. 238]. at in primo loco illud saxeo apertest ineptum, qui enim non poterit claudere lapis murum saxeum? quare nescio an recte statuatur uersum sensu pariter ac metro deformem uenisse ex eadem fabrica qua ille in Hippolyto 'haud facile quisquam ad uitam reuocari potest'. denique in medio metro illud regia ut aperto typographorum errore positum pro eo quod est regio nihil morarer, nisi omnibus quotquot adii recensionibus Senecae idem offendissem uitium. nam quod praeterea in Hercule Oetaeo [1341] habet liber Florentinus 'spiritus fugiens meo legatur ore, brachia et amplexus cape', id aperte corruptum et pridem persanatum ne mentione quidem dignumst. apud Terentianum [419] in trochaico metro scribendumst quattor pro eo quod uulgo fertur quasi disyllabum quattuor. mox idem quod trochaico in metro enarrauit [755. 759] dixisse Maronem tenuia et genua cum u consona uix memoriae

aptum. alia uero, non magis quae euertant regulam, infra perlustrabo, sed Ausonius et christianorum ultimi quin semel aut bis regulam laesisse existimentur non prohibeo. ceterum haec cum ita habeant, fallitur Victorinus statuendo [2572] uersum istum

beneficia pro re colere sapientis uirist

posse scandi per synaloepham.

Ceterum plerique priorum nec diuersa genera synizesis nec auctorum tempora et rationes satis cum distinxissent multiplicatis ueritatem inuoluerunt erroribus, quos quidem nos, ut ferme solemus, silentio tegentes exemplis iam firmabimus singula. mittemus autem in quantum poterit fieri uulgo nota, noua et indicta ore alio clariora luce ut appareant, nec Schneideri uel aliorum collectanea despoliare auet animus sufficiente re propria.

Igitur regulae illi, qua praecipitur uocales ante uocales in media uoce corripi, eximuntur communi classicorum usu e Latinis dictionibus formae nominum in aius uel eius desinentium quaecumque habent i uocalem, deinde genetiui primae in ai et quintae in ei, huius quidem tantum si non praecedat consona, tum uerbi quod est fio partes eae, quae non trahunt er, denique Gaius et Gnaeus et adiectiuum dius cum substantiuo cognato quod est dius uel dium [Lachm. p. 226]. praeterea incerta ratione fluctuant uocales ante uocalem positae genetiuorum in ius exeuntium praeter alius nec minus nominis Dianae et interiectionis ohe. et illos quidem antiquissimo tempore habuisse uulgari usu i breuem statuit Lachmannus, cum a Quintiliani inde tempore utique fuerit producta [cf. Quint. I, 5, 18. Consent. de barb. et metapl. p. 8]. contra in Diana posteriore saltem aetate correptam fuisse primam syllabam apparet hoc testimonio Diomedis [p. 436] 'ectasis est extensio, quae fit, cum correpta syllaba contra rationem per licentiam producitur, ut exercet Diana choros'. denique ohe uno uersu uariauit Martialis sic

ohe iam satis est ohe libelle.

praeterea antiquissimi interdum producta uocali hiante posuerunt fieri fierem et rei spei fidei, cum tamen et correptae eiusdem haud dubia apud illos extent exempla. porro Ennius fuimus fuisset adnuit Lucretius fuit fluida fluidus [II, 464. 466. III, 933] longa usurparunt u ob contractionem. denique memorabo Statio dictum praeire longa diphthongo sic [theb. VI, 519]

cum uacuus domino praeiret Arion.

eundem turpi errore perhibetur uerbi quod uulgo scribitur deesse ter produxisse primam, cum ne christianorum quidem ultimi plus binis id usurparint syllabis. quippe uulgo feruntur apud illum [theb. VIII, 236. X, 236. XI, 276] 'nullis deest sua fabula mensis' 'nec deest coeptis' 'deest seruitio plebes'. uerum primo loco cum exhibeant codices Heinsii 'nullisque deest iam fabula', at libri Cassellanus et Danielis cum Behotii altero 'nullisque deest sua', uerumst haud dubie quod Lindenbrogio et Bernartio placuit 'nullis iam dest sua fabula mensis'. tum secundo uersu commode legitur in membranis Heinsiana et Behotiana 'nec deerat'. at tertio probandast Cassellani codicis scriptura praebentis defit id quod et coniectando assecutus est Bernartius [ad theb. II, 187]. at in Graecis uocabulis cum sit uerum externigenam quantitatem seruari, non corripiuntur uocales ante uocalem positae nisi quae natura sua sint aut breues aut communes uelut e in aeneide [Ou. ep. ex P. III, 4, 84] Nereide Eoo Malea. ita uerborum in eus exeuntium flexiones eos et ea ut aliquando longam [Auson. perioch. II. I. Auien. phaen. 440. Verg. aen. I, 611. III, 122] plerunque breuem priorem habent syllabam. porro academiam Claudianus Aeschyleum et Pelopeum Propertius et Seneca dixere breui paenultima. dein satis licenter Statius corripuit primam in Pliadibus [silu. I, 3, 95]. at uiderint ipsi qui probarint, quo iure Io mensura iambica feratur in hoc uersu Ouidii [Ib. 620]

quem memor a sacris nunc quoque pellit Io.

nam in epistula Hypermnestrae quod legitur 'quae tibi causa fugae? quid io freta longa pererras?' particulam esse apparet io non nomen, cum sequatur statim 'Inachi quo properas'? quamquam libellus iste, qualis nunc quidem fertur, adeo omnis generis ineptiis dissonantiisque scatet, uix quidquam ut indignum uideatur eius auctore. sed ad Ouidium ut redeam, sane in libro tristium etiam Maeotis extat correpta prima ita 'longior antiquis uisa Maeotis hiems', ut tamen ne hoc quidem satis sit securum et certum. quare quod Ruhnkenius in hendecasyllabo Martialis tali [VI, 82, 6] 'aurem qui modo non habet Batauam' substitui uoluit Boeotam, laudabimus equidem amorem patriae, quo commotus ille non magis Batauorum cruditatem culpari uoluit a Martiale quam ab Iuuenale [15, 124] Britannorum saeuitiam Marklandus. sed neque nos ira aut fauore populari immutabimus ueterum pla-

cita et uerendumst, ne ipsa illa coniectura confirmari uideatur iudicium Martialis. — at multum degenerauerunt christiani classicorum a rationibus frustrati illi praeceptis grammaticorum. qui cum uiderent apud antiquos auctores Eoum et Nereidas et quaedam alia communem habere syllabam in hiatu constantem, paucorum exemplorum ambiguitatem pro regula amplexi persuaserunt poetis neotericis in media uoce longam sequente uocali pro arbitrio posse corripi. diphthongis tamen eneruandis pepercere eidem. nam quod ae uel oe interdum inueniuntur breuiatae, illae ultimis temporibus uix aliud sonuerunt quam simplex e, unde plerumque uel consona sequente corripiuntur. igitur ut exemplis rem probem, breui uocali hiante reperiuntur apud Prudentium cyaneus Nazareus rompheadis Maeander Pyrenaeus apud Auienum Pandion Epicureus Chius apud Martianum Sabaeus apud Sidonium glyconius pherecratius Darius porro apud alios alia. quare Terentiano qui potuerit in eis quae sunt Grai et Grais a corripi — ita i uel o breuiatis apud eundem sunt chorius dispondius heroum — quod uix ac ne uix quidem intellegere sese ait Santenius, quid aliud comprobatur quam illum non ea qua oportebat fuisse prosodiae Latinae peritia? ceterum idem auctores passim recta sunt usi quantitate. — maior etiam longe licentia in Hebraeis comparet nominibus, de quibus quae nuper notauit Obbarius [praef. Prud. p. 20] plurimis augeri possunt exemplis. praeterea uerbi quod est fio formae antiquitus productae saepe corripiuntur posteriore aetate. contra quod Luxorius [310, 1] diei et si fides erit Schneidero Paulinus Petrocordius [II, 423] dius breuiata dixerunt paenultima, id sine exemplo in quantum mihi constat sunt ausi.

At quas classici corripuere syllabas lege uocalis ante uocalem positae paucas extulere productas christiani. cuius licentiae ducem fuisse probabilest amicum quendam Gellii, in cuius carmine dimetris iambicis constante suspicor esse reponendum 'ut fierem ad me mortuus' — sicut Ennius dixit fiere longa i — pro eo quod uulgo fertur sine metro 'ut ad me fierem mortuus'. porro apud Paulinum Nolanum et alibi inuenitur saepe fidei longa e, et paene ubique productum in compositis prae, licet initio hexametri dixerit Ausonius 'te praeeunte'. contra idem solus, quantum sciam, quoad longa posuit o in ludo sapientum hoc uersu

manendo Solonem quoad sese recipiat

uerum quod hic et alii dehinc et dehisco et dehonesto porrecta

admisere e, id uero euenit ea doctrina, qua posteriorum plerique h pro consona adhibuere. praeterea haudquaquam inauditumst Graecis in uerbis breues uocales insequenti uocali produci ab auctoribus christianis, quamquam negauit fieri Schneiderus [gr. Lat. I, 98]. ita habes apud Ausonium [parent. 23, 10] Dryadiam apud Sidonium [epigr. ad Maior. u. 38] Marsyam longa y porro Luxorii carminibus [358, 9. 11] Biantem et Periandrum Maximiani [3, 48] Boethium extentis i uel o. neque intellegitur cur ultimi Latinorum in externo sermone abstinuerint licentia ista, quam uel optimo tempore identidem admisere ipsi Graeci.

At prior uocalium collidentium si sit breuis, potest quidem illa absorberi tota elisione facta, quale habes uersu Praxillae

ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον

et Sotadis

σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὠμόν

nec non apud Homerum et alios in uocabulo *Αἰγύπτιος*. sed ut apud Graecos haec est ratio omnium infrequentissima ita apud Latinos, diuersae uocales si concurrerint, paucis inuenitur exemplis. quamquam quae Lachmannus [p. 129] e scaenicis attulit exempla cur Ritschelius et Fleckeisenus damnarint non perspicio, cum neque a Graecis modus iste uitandi in mediis uerbis hiatus sit petitus et reperiatur etiam alibi in metro iambico. adde quod eundem aperte secutus in tragoediis Attius etiam scriptura expressit dicendo augura pro auguria. ceterum apud eos de quibus ego exponere institui, haec extant Lucilii Lucretiique et Laeuii ac Varronis exempla

primum dominia atque sodalicia omnia
tollantur.
denique diuino sumus omnes semine oriundi.
complexa somno corpora
operiuntur ac suaui quie
teguntur.
an qui gradu tolutili te meliu' quam tute molliter
uectus cito relinquat.

in his praeter uersum Varronis nequis diphthongo potius insolita quam prioris uocalis elisione tolli hiatum existimet, cum Graecorum exemplis et Attii prohibetur tum eis quae supra de Latinae synizesis legibus exposui. — longe usitatius est e geminatis i uel u absorberi alteram. et primum quidem occurrunt memoria digna uerba, quorum pars posterior a iaciendo siue a iugo descendit.

igitur cum dactylici ad Propertium usque uerbi quod est iacere composita semper sic adhibuissent ut prima eius littera consonae esset instar, id postea subinde mutarist coeptum, adeo ut sit certum Quintiliani et Gellii aequales una eas i et quidem uocali extulisse. quod nec posteriore tempore aliter habuisse docemur testimonio Victorini [2511] dicentis acephalum esse hunc uersum Maronis 'adicias nec te ullius uiolentia uincat'. quod cum ita sit, non intellego, quanam tam sera aetate optinuisse statuat Ritschelius [prol. Trin. p. 92], ut scriberetur geminata i obiiciunt. sed neotericam normam primus uno exemplo secutus est Ouidius ita [ep. ex P. II, 3, 37]

turpe putas abici, quia sit miserandus, amicum.

in quis Heinsius quod scribendum duxit abigi, commodo sane inuento et facili nec tamen uero usus ille. quippe defenditur abici Taciti illo 'exueret segnem magistrum', nec de primae syllabae quantitate timendum esse Manilii aequalis tempore declaratur exemplis. mox ceteri et corripuerunt passim praecedentem iaciendo syllabam propriae aetatis usu, nec rarius scriptorum ueterum imitatione produxere. quod quidem solum probauit omissa ratione altera Valerius Flaccus. uerum hic usus cum sola auctoritate antiquorum non uulgato more niteretur, plerosque imprudentes fefellit, unde alii priorem compositionis partem longam quasi natura ac non positione produceretur extulere [Gell. IV, 17], alii pro eo quod est icio scripsere iecio uel hicio [Lachm. p. 128], denique in uerbo quod est disicio sibilam geminauere. quam ob causam idem plerumque cum dissecando permutauere librarii, ueluti uersibus binis Auieni [964. 1174] etiamnunc perperam fertur dissicit pro eo quod est dissecat. sunt autem uerba haec 'Rhebas cyanei qui dissicit aequora ponti' 'sic Elidis incola pontum dissicit'. contra in Troadibus Senecae [395] dissicat traditumst libro Mediceo pro eo quod est dissicit. — etiam in eis quae ab iugo descendunt uerbis, qualia sunt biiugus quadriiugus altiiugus, quibus addemus in lexicis omissum celsiiugus, quo utitur auctor carminis in genesin [u. 291], eximitur prior i, at posterior liquefacta corripitur. nam ne credatur tempore uel antiquissimo coisse in istis iiu per synizesin, Ennii uersu prohibetur illo 'Hectorem curru quadriiugo raptarier' in quo non stabit metrum, nisi quadriiugo explerit paeonem quartum. ita idem uocabulum Sidonius [ad Consent. 371] biiugum Ausonius [epist. 11, 1] et Beda [p. 2373] di-

ductis sunt dimensi syllabis. denique abiecta i habes apud Persium [1, 114] meite. non uidetur ineptum hoc loco de i consona in medio uerbo inter uocales reposita dicere. qua etsi recte contendit Aufrechtus [Zeitschr. für vergl. sprachforschung I, 224—234] non produci, uulgo ut creditur, syllabam breuem — namque hoc si statuetur, qui potuit euenire, initio uerbi collocata illa ne semel quidem ut praecedentis uerbi finalis positionis iure longa efficeretur — tamen hic non magis quam ceteri demonstrauit, cur in reiciendi uocabulo, quod ipse pariter ac reliqui obliuio praeteriere, producatur haud dubie natura breuis prima. sed ita res habet. nempe i consona ubicumque mediis uerbis admissa praeeuntem habet uocalem cum ea, nisi et ipsa sit i, coalescit in unum, ita ut eieci proieci ei uel oi diphthongos habeant, quae ut firmiores longe quam ae uel oe potuere uel ante uocales propriam retinere quantitatem. ceterum, si longa fuerit uocalis prior, ne uideantur ortae diphoni non differre ab eis quae sunt in deinde proinde Graecorum auctoritate prohibemur, qui semper *Πομπήιον* et *Βηίους* non umquam *Πομπεῖον* et *Βείους* scribunt. quare potius adducor ut credam sonuisse diphthongum idem apud Romanos quod antiquissima aetate Graecorum *η* uel *ω* cum *ι* subscripto. illarum autem quas exposui modo rationum similitudo traxit et Graeca quaedam qualia sunt Aiax Maia Troia, quae uetustissimo tempore a Latinis recepta proprias seruarunt diphthongos, quibus simul exemplis declaratur uerissimam esse quae nunc optinet *αι* et *οι* diphthongorum Graecarum pronuntiationem. contra minime mirum quod aliter formarunt idem Boeotum Maeotida similia posteriore longe spatio recepta, quo iam diphthongorum spuriarum magis magisque inualuit odium. nam nec in Latinis uocibus morem illum pronuntiandi ultra nonum a. u. c. saeculum optinuisse credam, at insequentes quod tamen semper reieci et Troia et similia extulerunt eadem qua ueteres quantitate, id uero fecerunt auctoritate priorum, simul quod i in illis plerique duplicis instar credidere consonae. nam quod Tullium constat scripsisse aiio et Maiiam hac ipsa re nihil aliud uidetur significari quam illud i neque uocalis prorsus neque consonae sed mediae potius litterae in uerbis istis optinere uicem. — iam ut exsequar unde sum digressus priore u delitescente dixerunt ueteres Vesuuium et Pacuuium [Lachm. p. 306] tribus siue quattuor syllabis. ita bis est apud Silium [XI, 58. 313] restituendum Pacuio, cum habeat liber Co-

loniensis longe ille praestantissimus — nam de ceteris siletur — Paculo uel Pacculo. Iuuenalis satura sexta [343] simpuuium uel simpuium aequa fere nituntur librorum auctoritate. ita apud Nonium s. u. simpuuium [p. 544] in ipsius pariter uerbis atque Varronis simpuium habes et simpuio, quamquam in alio fragmento eiusdem Varronis etiam apud illum extante [545] fertur simpuuium. quin apud Maronem aeneidos VII [750] cum habeat liber Romanus Marrula, scribendum esse uidetur Marruia, prout est apud Strabonem *Μαρούιον*. sic Lanuinum habes apud Frontonem [p. 49 ed. Nib. a. 1816] et Catullum [39, 12] porro in uersibus Naeuii, quos emendatos ascribi placuit, quoniam insanit Ribbeckius — qui et illud sibi persuasit Lanuuinis expleri dispondeum — statuendo eos tribus hiare lacunis, cum quantum ad sensum ne una quidem eis desit litterula. sunt autem hi [Macrob. III, 18, 6]

quis heri ápud te? — Praenestíni et Lanuini hóspites. —
suópte utrosque décuit acceptós modo,
altris inanem búlbulam madidám dari
altris nuces in próclini profúndier.

in quibus praeterquam quod scripsi Lanuini et altris — nam uulgo fertur Lanuuini et alteris — bulbulam posui pro eo quod est in scriptis libris bulbam siue bullam. — ceterum haec cum ita sint, apparet non recte a Lachmanno Pacuium et Vesuium tribus syllabis elata Oscorum ad usum relata esse, qui pro simplici u uocali posuere plerumque consonam, cum potius propria illa sint Latini oris sintque eodem modo dicta quo adicio obicio. nam quod pro libidine u uel consona euenit uel uocalis, id uero legitima norma sonorum supra quam proposui euenit. ceterum ab eadem ratione sonorum non Graecanica norma uenit Argius pro Argiuus, quod binis Liuii locis [XXV, 25, 3. XXXIIII, 25, 7] librorum Puteanei et Bambergensis firmatur auctoritate, nec minus huc pertinet adiectiuum dius, quod digamma eiecto primum ut puto eas formas quae flexioni u addunt mox ceteras imminuit, etsi quae pleniores eaedem potiores fuisse uideantur omnino quolibet tempore. mansit tamen illud quod agnoscitur a Terentiano [670] ad sextum p. Chr. n. saeculum. praeterea dignum memoria semper omissa e pronuntiari anteactum anteambulonem anteea anteire antehac neumquam neusquam neutiquam, id quod in illis quae sunt anteea neumquam neusquam semper, aliquando etiam in anteeundo declaratur scriptura. tamen scholastico acumine Ausonius, ut compo-

sitionis partes apparerent, dixit anteit trisyllabum [idyll. 11, 16] 'quem nouiens senior Gangeticus anteit ales'. huius igitur facetias excusent; qui etiamnunc inter synizesis exempla referunt antehac et anteire. ceterum non magis fortassean potuit esse Attio tetrasyllabum quamquam fertur uulgo eius uersus talis 'fortassean sint quos hic non mertet metus'. in quo tamen scribendum esse mertaret fatebuntur ei qui legerint lemma Nonii, cui adscriptus est [138]. ceterum deorsum et seorsum ubicumque reperiuntur disyllaba, scribendo pronuntiandoque etiam priorem uocalem subtrahemus potius [cf. Lachm. p. 134] quam synizesis molestiam adhibeamus, qualem ut deuitaret Ennius dehortandi uerbum diremit per tmesin ita 'Hannibal audaci cum pectore de me hortatur'.

Iam ad contractionem uocalium concurrentium ut transeamus, dixerunt poetae ueteres colesco et coperio [Lachm. p. 134 sq.] pro eis quae sunt coalesco et cooperio quamquam raro usu aut ambiguitate metrorum subobscuro. quare perperam Consentius asserit barbare dici uulgo coperit pro operit scilicet non intellecto qui sit ortum istud uocabulum, quod et Gellium [II, 17, 7] fefellit et alios. deinde Lucretius etiam dixit [I, 977. III, 862] probeat et probet et fluto [III, 189]. praeterea desse et derrare [cf. Vel. 2227] constanti semper usu dicitur. quippe desse geminata e ubi ponatur nusquam inueni praeter unum uersum rythmicum [Daniel. I, 102, 12] 'abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur'. deinde sicut chortes dixerunt alii coortes, ita coartantes disiuncta cohortes uulgo pronuntiauerunt cortes [Vel. 2234]. porro conestare non quod Ribbeckio placuit cohonestare dixit Attius hoc uersu

pro se quisque cum corona clarum conestat caput.

nam traditumst antiquitus constat uel conectat. — iam exponemus quaenam in contrahendis eis quae sunt mihi nihil prehendo uehemens optinuerint obseruantiae. et prehendo quidem ac prendo aequo iure habuere cum scaenici tum dactylici, licet Velius [2229. 2234] et Scaurus [2256] damnent adiectum spiritum. at illud uehemens cum Lachmannus neget reperiri distractis syllabis prima et secunda praeter hendecasyllabum M. Aurelii 'nos istic uehementer aestuamus', nec ipse alia exempla inueni excepto uno Prudentii [p. st. 6, 20]

praeceptor uehemens eundo firmat.

sed uerendum tamen ne plerique id statuant casu esse factum,

quamquam asserit Velius [2229. 2234] emendatius dici uemens et uementer — pro quis formis male fertur uulgo apud istum ueemens et ueementer —. denique mehercule sine mehercules tribus syllabis dixit Catullus, cui accedit Phaedrus, qui tamen semel diduxisse uidetur uocales [fab. Perott. 13, 3] 'sonore tactae. bella res mehercules'. iam illud nihil quamquam posterioris aetatis usu communi haud dubie distractis promptumst syllabis, idem tamen non minus recte, ut Seruii uerbis utar, pro metri necessitate cogitur [ad aen. VI, 104]. restat mi pro eo quod est mihi dictum, quam formam utique uetustiorem disyllaba cur ab arsi uersuum scaenicorum excludi uelit Ritschelius [proleg. Trin. p. 291] non capio, cum apud dactylicos non minus in illam quam in thesin inueniatur admissa. et quamquam euenit aliquando, ut mi pro mihi poneretur a librariis, tamen longe saepius contrario errore peccauere idem, nonnumquam etiam illud mi quod descendit a meo ut distenderent. sed e dactylicis usi sunt breuiore forma ubicumque longior inepta esset metro indifferenter Ennius Lucilius Lucretius Catullus Vergilius in aeneide Horatius in saturis et epistulis Ouidius in transformationibus Propertius auctor priapei [20, 1] Phaedrus Persius Iuuenalis Septimius Prudentius in iambis Ausonius Venantius. sed abstinuere plures Vergilius in bucolicis et georgicis et opusculis Horatius in melicis et epodis Ouidius in distichis Tibullus Manilius Seneca Lucanus Calpurnius auctor ad Pisonem Homerus Latinus Statius Silius Valerius Martialis Nemesianus Sammonicus Claudianus Rutilius Terentianus Boethius Auienus Iuuencus Prudentius extra iambos Paulinus Nolanus Martianus Sedulius Luxorius Sidonius Maximianus Arator Priscianus Corippus Orientius Eugenius alii. ceterum qui breuiore forma utuntur tantum non omnes adhibent rarissime nec praeter metri necessitatem, bis Vergilius ter Ouidius [met. IX, 191. XIII, 503. XV, 600] semel Persius semel Iuuenalis. quare pessime habet, quod uoluit Perlcampius scribi in Horatii uersu asclepiadeo 'nec mi plura uelim'. ceterum falsus est Seruius dicendo [ad aen. VI, 104] pronomen mihi non uenire in synhaeresin eam ob causam, ne incipiat esse blandientis aduerbium, cum potius odio monosyllaborum aut patientia hiantium in medio uerbo uocalium, quibus intercederet h, uideantur plerique uitasse formam breuiorem. praeterea ut omittatur di uel dis, inuenitur mis pro meis in epitaphio Cn. Scipionis

uirtutes generis mis moribus accumulaui

et in Troasin Senecae [191]

ite ite inertes. manibus mis debitos
auferte honores,

quem potest uideri respexisse Quintilianus, qui eius formae ut antiquae nec tamen ineptae aequalium suorum orationi facit mentionem [VIII, 3, 25]. porro dignum memoria Lucretium cum ei non liceret illud aranei tribus syllabis efferre dixisse arani [III, 383]. denique i et is pro illis quae sunt ei eis qui dixerit dactylicorum non inuenio. nam quod Vahlenus dedit uersum Ennii talem

is pernas succidit iniqua superbia Poeni,

cur spreuerit quod habetur apud Paulum his non ille magis opinor declarabit quam ego. quamquam ne optimis quidem testibus satis constat harum rerum fides, cum perpetuo confundantur interse et permutentur ii iis et hi his. ita Iuuenco reddendumst [h. e. I, 500. 503] 'uisibilis deus his' et 'his mox regia caeli' pro uulgato iis. quis enim credet poetas dactylicos ibi usos fuisse contractionum insolentia, ubi liceret eis uti pronominis hic paratis formis magisque uiuidis. ceterum cum i et is non uideantur inueniri extra scaenicorum libros, non tamen placuere ei et eis disyllaba. at in composito legitime optinuere idem et isdem, miraculosa ut sint Iuuenalis [14, 30]

implet et ad moechum dat eisdem ferre cinaedis

et Claudiani [18, 412]

ecce recens clades ab eisdem partibus exit.

nam in Calpurnii carmine illo 'lentus ab urbe uenis Corydon' unice uerumst, quod optimo codice exhibetur 'et in isdem saepe cauernis aurea cum croceo creuerunt arbuta nimbo', ut est apud Propertium

surgat et in solis formosius arbutus antris.

uulgo apud illum fertur et eisdem. nec rectius creditur iunctorum spondei et bacchii et iambi hoc exemplum positum a Quintiliano [IX, 4, 99] 'in armis eisdem fui' pro quo traditur antiquitus 'iisdem in armis fui', quod e proxime praecedentibus uerbis ortumst. uenit a Fabio 'armis in isdem fui'. haec autem omnia ut possent prouenire, prior e sequenti uocalist assimilata. praeterea dignum memoria bis produxisse Lucilium ut contractione natam primam syllabam uerbi indeclinabilis quod est ducentum [XVIII, 1. XXX, 20], cum alibi ipse pariter cum ceteris ducentos et dupondium [libr. inc. 38] efferant correpta eadem. ita coactis u e

puros Lucretius [IV, 1019] puritiem dixit Ausonius [prof. Burd. 10, 17]. denique dis pro eo quod est diues binis, nisi quid me fugit, dactylicorum constat exemplis, quorum alterum apud Sammonicum reperitur [397] alterum apud auctorem uersuum nuper repertorum de figuris et schematibus sententiarum [85], quod in tanta librorum penuria non est mirum, quamquam uulgo optimuisse formam contractam non inepte concludes e uersu Ausonii

diues opum cur nomen habet Ioue de Stygio dis.

Iam pleraque alia declinationum et coniugationum eadem ratione sonorum imminuta ut omittam, de quibus septimo exponetur libro, ad alterum contractionis genus transibimus, quod constat i uel u duratis in consonam. — quae synhaeresis minore fit culpa in uerbis omnino dactylico metro ineptis. prorsus autem exclusumst hoc genus synizesis a compositione uerborum. ueluti non potest in eo quod est semianimis i pinguescere, neque magis eam licet adhiberi coniugationum flexionibus exceptis paucis exemplis uetustissimorum ac recentissimorum poetarum ueluti apud Lucilium [l. inc. 3] maluisti apud Corippum [iohann. IV, 691. VI, 177] paruere et miscuissem tribus habes syllabis. quare non recte Iuuenali condiat disyllabum tribuit Lachmannus, qui et alias nimis facilis fuit admittenda synizesi. porro indignumst credi Latinos, quasi Sarmatarum essent similes, post geminatam consonam i uel u extulisse non uocalem, sed dixere potius Lucilius [XV, 2] et Martialis [II, 5, 3] passum Vergilius cum Sidonio [ad Consent. 408] currum Ennius Seneca Terentianus [419] quattor. ita Maroni binis syllabis stelio dicitur non stellio neque Persius trisyllabum posuit ebulliat, pro quo libris bonis omnibus habetur sane falsum et ipsum ebullit. unde apparet monstri esse simile, quod apud Martialem [II, 29, 5] in fine hexametri posuit Schneidewinus Marcelliano. contra alia inueniuntur exempla synhaeresis nobis quidem quae uideantur sat dura, qualia sunt uietus omnia patrui elata binis syllabis. sed enim fatendum pleraque pronuntiationis Latinae esse incerta. ceterum simul i et u qui pinguescere sit passus non inuenio praeter Statium, quamquam nec de hoc satis constat. praeterea genus hoc licentiarum in hexametris, quibus plerumque cedit, pedes praeter primum quintum potissimum et sextum haud occultas ob causas optinet. — itaque i uel u pinguefacta posuere Ennius Nerienem et insidiantes et auium quod descendit ab aui Lucilius Dicaearchium et maluisti et omnia Lucretius formas adiectiui tenuis, nihil praeterea. sic

Camerium metro phalaecio tribus syllabis dixit Catullus [55, 10]. at apud Vergilium synizesis eadem reperitur in his quae sunt abiete abietibus ariete arietat pariete parietibus tenuia tenuis genua fluuiorum stelio omnia precantia. constant uero exempla numero XXII. praeterea curate quaesiuere homines docti, Lauinia an Lauina littora principio aeneidos dixerit idem, multa illi in utramque partem disserentes, etsi minime locus sit ambigendo. ac primum quidem codices Romanus et Palatinus habent Lauinaque, cum in Mediceo quidem sit Lauinia adiecto signo liturae. porro grammaticorum qui afferunt uersum libris quamquam plurimum uariat lectio, tamen antiquissimus auctor Gellius firmat Lauinaque. sed quid opus seris testimoniis, cum Propertius ipse pentametro tali 'iactaque Lauinis moenia littoribus' haud obscure tueatur Lauina. nam quod dicit Lachmannus Lauinis dictum esse pro Lauiniis, non inuenitur apud istum contractio illa. qui si legit Lauinia apud Maronem, cur non scripsit 'iactaque Lauini moenia littoribus'? descendit uero adiectiuum Lauinus a breuiore urbis nomine Lauinum, quo usus est Iuuenalis [12, 71]. sunt autem Lauina littora eadem ratione dicta qua ipsi Vergilio purpura Meliboea Horatio Pimplea dulcis Rutilio Lepidum malum Corippo Iustinianus apex aliis alia [cf. et Non. s. u. Argus]. fac soloecum esse illud, tamen inepte dicetur non esse Latinum, quod tot scriptores Latini sine offensione legisse noscuntur. at Lauinia et synhaeresin qui maluerint, eis uero primum omnium erit commonstrandum quemquam poetarum Romanorum nedum diligentissimum omnium Maronem in ipso quasi limine operis tam insigni usum fuisse inelegantia metri. certe Valerius Flaccus initium libri synizesi ut ne deprauaret, Iulos dixit pro Iuliis. longe rarius Vergilio adhibuit contractionem Flaccus, qui posuit coactis syllabis in hexametris uindemiator Nasidieni uietis porro bis pituita praeterea metro alcaico consilium et principium. at Ouidius bis non saepius admisit idem et quidem in transformationibus et exemplis his [XV, 709. 718]

inde legit Capreas promontoriumque Mineruae.
et tellus Circaea et spissi littoris Antium.

contra idem pro Phrixeo ariete arborem sustinentem eius uellera maluit dicere sic [met. VII, 151]

dentibus horrendus custos erat arboris aureae.

iam insequentes ut paucitate exemplorum Ouidium ita specie Maronem sunt secuti. sed omnino abstinuere licentia tali, minores

ut omittam, Tibullus Manilius Gratius Homerus Latinus Martialis Seneca Calpurnius scriptor Aetnae auctor ad Pisonem Nemesianus Claudianus Rutilius Symposius Boethius Terentianus Martianus Auianus Sedulius Maximianus Arator. at e ceteris semel admisit synizesin Iuuenalis 'comitatast Eppia ludium' semel Sammonicus 'ebibe seu salibus piper adde et tenue cyminum' Propertius ter in his quae sunt abiegnae abiegni Valerius Flaccus sic arietat abietibus tenuia septiens Statius genua tenuia tenuior tenuiori patrui deciens quater Silius simia Maronis cuius sunt spissata i uel u abiete ariete arietat parietibus sinuatis sinuato sinuatur genua tenuis tenuia. ita Sidonius [burg. Leont. 118. 200. paneg. Maior. 590] singulis locis imminuta habet i latius parietibus uesties Prudentius [hamart. 488. 852] arietat parietibus Ausonius [epist. 9, 28. idyll. 16, 24. 2, 49. de rat. dier. a. u. 3. id. 11, 44. ep. 16, 87] carentia omnia omnium ariete parietibus Siluios.

Semoui uero quaedam, perperam uulgo synizesis exemplis quae attribuuntur. ac primum quidem fortuitus quamquam haud dubie longa i ponitur a Plauto et Horatio et Phaedro, tamen eodem iure quo gratuitus [Stat. silu. I, 6, 16] eandem corripiet. neque aliter stabit uersus Manilii [I, 182] 'nam neque fortuitos ortus surgentibus astris', cum abstineat ille omni synhaeresi. quare uersu ut puta hoc Iuuenalis 'non quasi fortuitus nec uentorum rabie sed' non dicemus illud quod est fortuitus per synizesin explere molossum sed potius integris syllabis choriambum. — sed plurima contractionis exempla sustulimus dempto uno uocabulo conubii, quod uulgi opinionem et uetustum errorem si amplecteris, semper habet longam antepaenultimam, ut ubicunque in dactylico metro prima sit in arsi syllaba appareat i uertendam in consonam. et notabile quidem debuit uideri tot exempla durissimae synizesis cur noluerint uitare poetae ponendo coniugium uel coniugialem. sed enim augebitur admiratio reputantibus Lucani et Senecae qui numquam i uel u mutarunt in consonam uersus tales

mox ubi conubii pretium mercesque solutast.
conubia uitat. genus Amazonium scias.

porro Statius synizesin cum alibi non plus septiens admiserit, in uno uocabulo conubii, si productam habet semper secundam, deciens octiens eam adhibuisse erit credendus. sed quid multa? conubium corripere antepaenultimam aperte testatur Consentius ita

'ectasis est cum correpta syllaba poeta sic auctoritate sua utitur, tamquam sit temporis longioris, ut est Italiam fato profugus et conubia nostra reppulit, cum i et u aperte breues sint ut alibi antiqua e cedro Italusque paterque Sabinus et conubio iungam stabili propriamque dicabo'. quibus conuenit quod Seruius [ad aen. IV, 213] eisdem exemplis usus dicit modo produci modo corripi a Vergilio in uocabulo isto antepaenultimam. quare recte stat conubium, ubi ratione musica non licet molossum poni pro choriambo ueluti uersu hoc Claudiani [40, 18]

uectigal meritae conubiale lyrae

aut Prudentii tali [cath. 3, 75]

nexilis inscia conubii

siue males Martiani hunc [I, 92, 39]

illum conubio rite iugarier.

quibus addas Sidonii hendecasyllabum [praef. ep. Pol. et Ar. 1]

prosper conubio dies coruscat.

quodsiquis christianorum poetarum exemplis fidem abrogarit, at certe Claudiani testimonium firma immunitumst auctoritate. — restant partes orationis eae, quarum prius est membrum semi. quod ubi excipitur insequente uocali et retinere potest postremam et abicere, ampla ut confirmentur auctoritate librorum ut puta et semianimis et semanimis. iam seruata i etsi minime synizesin admitti posse supra indicaui, tamen placet rem altius repeti. igitur primum omnium quis credet eos qui numquam alias i uel u mutarunt in consonam dixisse semiesum semihominem et similia, cum uulgato usu i uel addi posset uel demi. sed ne ceteros quidem pro reliqua ipsorum modestia probabilest durissimam synizesin quam paratum ultroque oblatum maluisse auxilium. sed maxime omnium notabilest ne in iambis quidem umquam inueniri formam longiorem sed posuisse Senecam semiustum ternis item semianimum quaternis nec aliter Prudentium semiustulatum quinis syllabis. praeterea uerumst Ouidium semiadapertum potius dixisse quam semiapertum. iam cum nec apud scaenicos usquam recorder semi ante uocalem poni integrum, recte statuetur semper pronuntiatum fuisse in carmine ut puta semesum semanimem, quod non est dubium quin et pedestris orationis potiore usu optinuerit. ceterum quod Wagnerus [ad aen. III, 578] ideo damnat semhominem, quia non uideantur Romanis certe antiquioribus placuisse coiugatae litterae m et h, plane falsumst uanumque, sed

dixerunt semhominem complures porro Catullus in glyconico metro [61, 220] semhiantem et amicus Gellii [XIX, 11] οὐκ ἄμουσος, ut ait ille, adulescens semhiulcum. ceterum ut iam memoraui eis qui nihil probant nisi librorum testimoniis tutum solatio erit et semesum et semanimum et cetera bona niti codicum auctoritate [cf. e. g. Lucr. VI, 1266. Verg. aen. III, 244. 578. VIII, 297. XI, 200. Iuuen. 5, 167], quamquam saepius inuenitur addita i. sed iam taedet nugarum, neque enim id agimus, ut demonstremus pronuntiando easdem omnino quas scribendo litteras expressas esse a Romanis, quod mihi quidem uidetur longe aliter habuisse. — porro larua et larualis apud Plautum et in priapeis [32, 12] habent u uocalem at eandem Horatium apud et auctores christianos consonam. atque ita milui et relicui uocabula ad finem octaui a. u. c. saeculi cum habuissent tres et quatuor syllabas, mox in breuius sunt artata. in quibus non licentiam metricam scriptorum sed uulgati sermonis agnosces differentiam. et Varro quod posuit promisque pro uulgato promiscue seu promisce hoc uersu [Non. p. 361] 'cetera promisque uoluit communia habere', id Lucilii [Cassiod. 2283] fecit commotus auctoritate, qui statuit tum recte poni q, cum illi c statim u littera et alia quaelibet uocalis iungantur. denique arquatum tribus semper syllabis dixerunt poetae. praeterea in Gaio et Gaiano i uocalem constanter seruarunt antiquiores neque aliter Terentianus [897]. sed insequentibus saeculis consonam placuisse poetarum constanti usu et Prisciani testimonio [p. 739] confirmatur. denique non definiam, quonam iure inter synizesis exempla disyllabum tenue rettulerim. etenim quamuis haud raris exemplis et in hoc uerbo et in compositis comprobetur u uocalis quae et firmatur diserto testimonio Terentiani [748—759], tamen neque illud negabitur tam saepe in ipso inueniri eandem consonam, nusquam ut saepius, et quidem etiam apud illos auctores qui numquam alias admiserunt synizesin Lucretium puta et Sammonicum. accedit quod Statius tenuia tenuior binis tenuiore ternis dixit syllabis, in quibus si statuerimus pariter i et u duratas esse in consonam, id certe exemplo carere alias fatendumst. quae cum ita sint, plerumque adducor ut credam in eo quod est tenuis sicut in soluendi et uoluendi uerbis u fuisse sono incerto et consonam inter ac uocalem mediam.

Iam in uocabula Graeca perspicuam ob causam contractionis

species modo enarrata cadere non potuit, unde uergente demum aetate nec probos apud auctores ea euenit. sed primum exemplum — nam 'Pharsaliam coeunt' et 'io Hymen Hymenaee io' cum synizesi elata non rectius tribuerunt quidam Catullo quam alii itidem imminuta Martiali 'clamant ecce mei io saturnalia uersus' uel Silio 'Ossaque cum Pelio' — inuenitur uersu satirico Sulpiciae

nec trimetro iambo nec qui pede fractus eodem.

quod uitium, cum difficile possit sanari, mitigabimus potius excusando puellarum ludos litterarios, quibus paretur metricarum rerum notitia, neoterico demum prouenisse tempore. proximus huic Terentianus cum Ausonio iota binis ponit syllabis, qui dicit nescioqua auctoritate etiam apud Graecos plerumque i breuem initio uerbi sequente uocali fieri consonam [501—506]. ita habes coacta apud Ausonium [monost. de VII sap.] Periander apud Licentium [123] christiana. praeterea simili errore quidam ultimorum temporum scriptores dixere euangelicum et similia u consona et correpta e ueluti Paulinus Petricordiensis [tom. LXI p. 1009] et Venantius Fortunatus [miscell. IV, 1 p. 151]. sed apud Sidonium [paneg. Anth. 372] scribendumst Syracosios, quod ipse sicut Ausonius [idyll. 10, 304] Vergilii imitatione adhibuit. ceterum Iulus etsi constanti poetarum usu uocalem habet i sicut Iulii ab illo deductum uerbum consonam [cf. Verg. aen. I, 288. Terent. 532. 536], tamen cum idem nomen etiam agnoscatur esse Latinum et ab eadem qua Iouis stirpe deductum, quin disyllabum adhiberi potuerit ab Horatio [c. IV, 3, 2] in illo 'Iule ceratis ope Daedaleo' non intercedo. certe uanus est Perleampius, qui Iulium dictum uoluit triumuiri filium, cum non magis potuerit esse aetate illa Iulius Antonius quam Aurelius Propertius [cf. Nipperd. ad Tac. ann. II, 30]. iam e nominibus barbaris Iudaeos semper tribus syllabis extulere Romani itaque Iazyges Ouidius [trist. II, 191] Iaxartem Auienus [descr. orb. 929]. porro magnam sibi permisere licentiam christiani uocabulis Hebraeis, quae i littera inciperent. ita Iob pro libidine una syllaba uel duabus, sic quidem communi priore, effertur. praeterea dignumst memoria Prudentium semper dicere disyllabum Iesum et hoc ferme modo

uir solus perfectus adest atque integer Iesus,

ut appareat ei placuisse Isum, quod habet semel liber Puteaneus [cath. 1, 81], quamquam aliter dixit idem [cath. 12, 173] 'hic

nempe Iesus uerior'. ceterum similiter Iuuencus [hist. eu. I, 299] Iremiam, alii posuerunt Isaiam.

Non inepte uideor hoc loco addere quod uulgo creditur quinto p. Chr. n. saeculo primum euenisse, ut c et t sequente i pronuntiarentur quasi z, eius rei certissimum exemplum ducentis reperiri annis ante. etenim cum Commodianus Afer in acrosticho concupiscentiae ad litteram a fine quartam exprimendam uocabuli quod est 'cum' utatur prima [p. 182], sequitur iam huius tempore t et c supra indicata sub condicione liquefactas sonuisse idem. praeterea illud u antiquo tempore cum semper addita q nec raro iuncta g uel s fuisset proprio quodam modulo, ut quasi in diphonum coalesceret cum consona praecedente, mox temporum interuallo paene exaudiri desitast, plerumque ut omitteretur scriptura. contra in illis quae sunt tuus duellum cum initio etiam fuisset ualde tenuis littera eadem, saeculorum cursu corroboratast.

Iam dihaeresin ut enarremus, illa apud Romanos nisi fallor minus poetarum placitis quam usu populari prouenit. nam et pauca eius nec satis aperta inueniuntur exempla. sane Lucretius suadeo et suesco et suetum et composita uerbi quod est soluo plerumque posuit cum u uocali, praeterea semel consecue [V, 677] semel acuai [VI, 1070] bis acuae [VI, 552. 868]. itaque diductis dixere syllabis Cicero suerunt Catullus soluo et uoluo Horatius suetae et siluae, tum auctores elegiaci soluo et uoluo. sed ut omittam nunc ea quae su habent, ex reliquis pleraque non satis constat populari sermone num semper habuerint u consonam. scilicet ex eis consecue etiam uulgari usu optinuisse satis constat, cum etiam apud Plautum in iambis reperiantur adsecue et obsecuum. quippe dihaeresis Graecorum aemulatione nata si fuit umquam apud Latinos, certe non permanauit ad scaenicos. deinde illud aqua satis propria praeditam natura habere qu apparet inde, quod theotisce disyllabum sonat ahua. porro uoluo et soluo u mediam habuisse uocalem inter et consonam cum eo probatur, quod auctores elegiaci, qui ne suesco quidem aut suauem, ista tamen uerba tribus dixerunt syllabis, tum quod in codice uetustissimo orationis pro Fonteio, cuius exemplum repraesentauit Niburius, uerbum quod est dissoluisse sic diuiditur [p. 48], ut in fine lineae positum sit disso quamquam abundante spatio addendae l, quod eo grauius est testimonium, cum alias in libro eodem diligentissime diductae reperiantur syllabae. neque tamen ignoro testari Consentium [16]

consonam esse u in uerbo soluendi. sed haec siue poetarum arbitrio seu uulgato prouenere usu post Augusti aetatem euanuerunt. quare post Nasonem non inuenias diductis syllabis nisi apud christianos quae su habent, qualia sunt suauis suadeo suesco, itaque auctor de figuris orationis [63] 'cum dixi deinde suasi'. excerpuntur tamen propria nomina ut puta Suerius [Paul. Nol. 21, 62] Suesco Suesso Suenus, quae plerumque et classicorum usu integram seruant u. praeterea barbara uocabula Gelesuintham et Goisuintham Venantius diductis syllabis [misc. VI, 7 p. 216] at Corippus Guenfeium Ilasguam Languantan Suartifan similia coactis extulit [iohann. I, 468. 478. 467. IV, 861].

Apud Consentium incertae aetatis auctorem, cuius nuper est inuentus de barbarismis et metaplasmis liber, haec leguntur [31] 'similis ratio in dihaeresi et episynaloephe. nam quod Horatius ait feraeque foetae et Lucanus ait dixisse Phoebos et Vergilius et uotis iam nunc adsuesce uocaris item aeripedem ceruam, siue conglutines syllabas siue diuidas, isdem litteris scribetur'. iam cum fere sit Solis fugata nocte lucem almam praebere mortalibus, tamen mirum quantum caliginis ac tenebrarum obiecit Phoebus iste uiro cuidam doctissimo Roberto Vngero. nam perdite dum conquirit Heliadum Lucani uestigia quantumuis tenuia, uerba quae sunt dixisse Phoebos nusquam in Pharsalia extantia — neque timeo spondere eadem illa ne tum quidem, si non modo Lucani sed omnium poetarum Latinorum utamur operibus integris, futurum esse ut inueniantur — cupide assignauit libro isti. sed primum omnium nisi fallor debuit quaeri eidem, liceatne per deos hominesue talem, quae creditur asseri a Consentio, distractionem fieri diphthongi. scilicet longe meliora Vngerus huius ipsius testimonio doceri potuit, qui alibi ait [9], siquis audeat admissa dihaeresi sic cludere uersum 'dixisse Phoebum', utique barbarismum esse, quia auctoritate deficiat. — iam nisi statuemus Consentium fuisse hominem sanitatis omnis expertem — ego autem cur uecordi potius quam mediocri ingenio fuisse credam non habeo —, apparet non potuisse ab eo tribui Lucano grauissimo poetae quod alias dicat barbarum et exemplo uacuum. sed probe qui cognorit Lucanum, is uero minime dubitabit posuisse Consentium loco unde orsi sumus pro dihaeresis exemplo Lucani illud [II, 51] 'Aquilone Suebos'. scilicet ubi corruptelam traxit Suebos eandem, qua in Horatii uersu traditumst foetos pro eo quod est

suetos, homo male recordatus prius positum illud 'dixisse Phoebum' paruum errorem ingenti intendit peccato. nisi forte statuet Vngerus etiam recte habere illud feraeque foetae et pertinere uerba ad perditum aliquod Horatii carmen quod fuerit inscriptum de partu ferarum.

Denique quod Propertius [V, 10, 31] Vehium Martialis [XIII, 74, 1] Tarpeia diductis posuit syllabis, id utrum nominis proprii excusatione an similitudine exemplorum Graecanicorum quae sunt elegeia Cybeleia admiserint, non definio.

Sed ad tertiam contractionis speciem ut transeamus, duo fuere apud Latinos genera diphthongorum, ex quibus prius uerarum spuriarum alterum haud inepte uocitabimus. et in illis quidem longe potissimum locum optinent ae oe au. accedunt monosyllabis plerumque uerbis seu compositis elatae ei oi ui eu. at posterior species nec ipsa satis amplo constans apud dactylicos usu euenit plerumque coiugatis e siue u cum diuersis uocalibus praeter i. omisi uero primum ai, ut quae non inueniatur in uersibus dactylicorum nisi semel in hymno christiano sic [Dan. I, 89, 22—24] 'nec morte dura linquere tramitem ueri coactus non licet ait tibi uxorem habere fratris adulteram'. nec magis apta memoriaest Graecanica yi, quam cum antiquiores haud dubie externum ad morem pronuntiassent, neoterici inueniuntur distraxisse transmutata plerumque i uocali in consonam, licet Rutilius secunda pentametri parte dixerit Harpyias [I, 608], eandemque formam in Thyiade testetur Consentius [9] sic 'simile est et Thyias. nam ut scandi possit uersus et stare, ex duabus syllabis unam fieri necessest ut Thyias ubi audito'. qui non satis comparet breuiorem formam qualem esse uoluerit. quod contra Victorinus [2474] et Velius [2220] in Harpyia et Thyiade i consonae esse instar asserunt. sed oy non fuit qui apud Latinos esset diphthongus. neque bene fertur apud Iuuenalem [14, 102] spondei instar Moyses quae sane species nominis ultimorum imperii temporum auctoribus et sequentium saeculorum librariis longe uit usitatissima. at scripsit ille Moses, quam et apud Paulinum habes formam [15, 224]. iam contractionis eius qua ae oe au efficiatur perexigua apparent exempla. dignum tamen memoria coemisse Terentio tribus syllabis dici, quod recte Lachmannus [p. 248] illius uerbi quod est coepi defendit similitudine, cuius principalis probatur forma uersu Lucretii 'siquis forte manu pre-

mere ac siccare coepit'. sed magis est notabile, quod Phaethontem tribus syllabis dixere Varro cui ab Atace nomen et Manilius itaque Laucontem Petronius in halosi Troiae [43]. porro incertus auctor [Mey. 644, 1] 'Laucontem gemini distendunt nexibus angues' atque alius aeque ignobilis in argumento libri II aeneidis quod extat in codice Romano [Wagn. orthogr. Vergil. p. 444] 'Laucontis poenam et laxantem claustra Sinonem'. iam ex his exemplis alterum Latinae linguae natura, quae a cum e non patitur non coalescere, euenit, alterum, Odofredo Müllero si credimus, [ad Fest. p. 18] crassiore Aeolensium Dorensiumque pronuntiatione nascitur, nisi potius dicetur hoc et ipsum proprium Romanorum, qui o in u mutata, prout habes Laumedontem et Laudiceu, a nota lege correptam cum sequente uocali coingarint per diphthongum. sed alia similis licentiae uix inueniuntur praeterquam quod Octauius uidetur dixisse [202] 'proditur Amphiaraus atque Hector uenditur auro'. Sed Laertium ne per diphthongum pronuntiarent, Graecos secuti dixere Latinorum uetustissimi Lartium itaque Ausonius Lartiaden [epitaph. her. 12, 4]. at in Vergiliano illo 'fixerit aeripedem ceruam licet', quod imitando comprobarunt metrum Martialis [IX, 101, 7] Silius [III, 39] Ausonius [de aerumnis Herculis u. 4. de ternario numero u. 14], aeripedem quod unico stupore grammatici metricique uetusti interpretantur quasi sit illud ἀελλόπους potius quam χαλκόπους, uix erit mentione dignum, etsi possit uideri coactum dici illud aer ab Sidonio sic [epithal. Polem. et Aran. 88] 'hunc aerem pariterque deos sic autumat ortos'. iam diphthongos ei eu oi ui antiquo certe tempore haec potissimum uerba sumpserunt Latina 'dein deinde deinceps ceu neu seu neuter quoi proin proinde cui huic', quibus accedunt simili sono praedita quae post e uel o uel u habent i consonam sequente uocali qualia sunt 'eius quoius huius reicio', quae quidem compositione diuersarum uocum seu mixtis stirpibus et flexionibus oriuntur. horum pleraque iam curatius perlustranda. igitur dein deinde deinceps non inueniuntur diductis syllabis tempore antiquo, ut uerissimus fuerit Fleckeisenus uersum bacchiacum Terentii sic scribendo [Andr. 483]

nunc primum fac ista ut lauet. poste deinde,

cum uulgo feratur post deinde. aliter primus Terentianus, cuius sunt haec [195. 430. 207] 'e pressius urget. dein hinc et hinc remittit' 'ε, deinde ἰῶτα, Graeca quod diphonos ει sonat' 'quas-

cumque deinceps libeat iugare uoces'. mox ceteri passim usi diaeresi. quod contra dehinc propter mediam h plerumque separatas habet uocales. eius uerbi contracta forma aliquotiens usus Vergilius semel Propertius [II, 3, 50] semel Ouidius [fast. VI, 788] semel Statius [achill. I, 370]. nam quod praeterea fertur apud eundem [theb. II, 100]

uittarum pronenit honos. dehinc tangere ramo,

habet liber Casselanus dein. inuenitur etiam bis terue breuior forma apud posteriores, sed hoc quantillum erit, multitudinem contrariorum exemplorum si comparaŕis. quare pessime habet quod dedit Wernsdorfius 'aduersus quam' in uersibus Auieni, qui uulgo feruntur inepte tales [descr. orb. terr. 220]

Pontus enim nostrae sinus est amplissimus undae.
hic Asia ab laeuis praecingitur Europamque
excipit, aduersus quam dehinc se Thracius artat
Bosporus et tenui uix panditur oris hiatu,

cum praesertim Auienus aliter ne semel quidem dehinc quo saepissime utitur non extulerit disyllabum. sed sensui pariter ac metro optime prospexeris scribendo

huic Asia ab laeuis praecingitur Europamque
excipit, aduersusque dehinc se Thracibus artat
Bosporus et tenui uix panditur oris hiatu.

dehisco dactylicorum qui coalitis dixerit syllabis non reperio. ceterum ex eis obseruantiis, quas dixi optinere in uerbis prehendo mihi dehinc similibus, certo apparet firmiterque interiecta h plurimum asperitatis demi concurrentibus in medio uerbo uocalibus. quae cum ita sint, quod saepe in codicibus prostant scripta dehicere cohercere cohortus similia, id uero non librariorum uel grammaticorum curis perspicuitati consulentium euenisse existimabimus, sicut uisum Lachmanno, sed uiuido uulgi usu turpissima hiatuum sic mitigantis. — iam quod quaeritur Atreus Tereus et similia disyllabamne an monosyllabam habeant in gignendi casu ei, id uero pro temporum internallis diuersum fuisse existimo. nam Quintiliani equidem usque ad tempus Atrei et Terei binis fuisse syllabis prolata ipsius uerbis constat [I, 5, 22—24], quae cum uulgo ferantur ineptissima pro fide emendata ascribemus 'adhuc difficilior obseruatiost per tenores uel accentus, quas Graeci προσῳδίας uocant, cum acuta et grauis alia pro alia ponuntur, ut in hoc Camillus si acuitur prima, aut grauis pro flexa ut Cethegus et

hic prima acuta — nam sic media mutatur — aut flexa pro graui. sed id saepius in Graecis nominibus accidit ut Atreus circumducta sequenti, quam ex duabus syllabis in unam cogentes et deinde flectentes dupliciter peccant. quem nobis iuuenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant ut necessario secunda grauis esset, item Nerei Tereique'. quibus accedit satis imbecillum Bedae testimonium [2351], cum diuersum tueatur Priscianus [735]. igitur uulgarem pronuntiationem non hercule Graecanicam licentiam secuti Pacuuius [136] et qui scripsit peruigilium Veneris [86] per diphthongum ponunt Capherei uel Terei ita

pater Achiuos in Capherei saxis pleros perdidit.
adsonat Terei puella supter umbram populi.

neque minus apertumst, quod Lucanus in fine metri dixit Enipei [VII, 224], cum ille ab omni synizesi Graecanica abstineat. quibus congruumst, quod hi genetiui aliquando simplici i scribuntur, sicut habes in libris Vergilii Mediceo codice firmatum Oili [aen. I, 40] et a Seruio agnita Teri Promethi Neri [ad ecl. VI, 78. aen. VIII, 383]. ita apud Merobaudem fertur [I, 15] Peli. ceterum non abhorret a uero alios alium in genetiuis istis secutos esse pronuntiandi modum. praeterea cum diphthongo in dandi casu uix dubiumst quin etiam dixerint Orphei et Mnesthei Vergilius [ecl. 4, 57. aen. V, 184] et Claudianus [40, 33]. ceterum Latinorum nominum fine idem optinuisse non crediderim, sed ubicumque aurei aureis inuenientur disyllaba, ea uero docta Graecanicorum exemplarium imitatione uidentur esse admissa, neque apparet ratio sonorum. iam in genetiuo declinationis quintae illud ei, cuius prior pars initio longa fuit mox correpta, per diphthongum fuisse positam a poetis difficilest ad credendum. cur enim, ut hoc exemplo utar, cum dura synizesi Lucretius diceret 'aut aliae cuius desiderium insideat rei' cum ipso usu populari suppeditaretur re [cf. etiam Ritschel. prol. Trin. p. 90]? iam neutrum Bentleius quod haud dubie habuit trisyllabum [cf. Andr. 839], nec Fleckeiseno persuasit nec mihi. quippe diphthongum eu minime esse alienam a Latinis uerbis probatur particulis supra allatis ceu neu seu, nec hercle magis neuter potuit integram seruare partem priorem quam neutiquam neumquam neusquam. quare nisi pyrrhichium non potest non explere trochaeum, certo ut probetur diphonos uersu tali Ouidii

et quamuis neuter, mixtus uterque color

seu Petronii manis

ad ora referunt. neuter auxilio sibi.

quibus ne haec quidem satisfaciunt, at ampli erunt testes Claudianus et Arator, quorum prior hunc habet uersum [74, 16]

neuter enim quaestor, pauper uterque fuit,

alter metrum tale [a. ap. II, 498]

ambo uolunt quod neuter habet. nas lumine plenum
subdit utrumque deo.

itaque Martialis ueritus trisyllabum ponere neutrum dixit necutrum ita [V, 20, 11]

nunc uiuit necuter sibi bonosque.

nam Consentium [9] et ultimae aetatis homines non moror, qui scholastica usi suptilitate ut integrae seruarentur compositionis partes neutrum diductis uoluerunt pronuntiari syllabis. iam in mediis nominibus Graecis plerumque pro metri necessitate eo transformatur in eu et apud ipsos Latinos. ita dixere Ouidius Theudotum Claudianus et alii Theudosium neque aliter ut puto Venantius Theudorum [misc. VI, 12 p. 232] aut Cleubulum Luxorius hoc uersu [358, 13]

Cleubulus, proprium clamat quem Liudia ciuem.

ita in pedestri sermone Mallius 'Theudori fili' [praef. 1]. praeterea in nominibus barbaris fertur apud Sidonium Theudoricus [ad Consent. 72] Theuderis Theuderidae [paneg. Au. 220. 302]. sed dignius longe memoria optimo quoque tempore in illis Tereus Atreus u fuisse consonam. id longe amplissimo sed neglecto a doctis Verrii Flacci testimonio adstruitur, quem refert Velius Longus [2215] uel ex talibus quae sunt Theseus Menoeceus Peleus affirmare eandem esse apud Latinos u quam apud Graecos υ. cui accedunt Priscianus memorando [735] illud Tydeus una in genetiuo crescere syllaba et auctor incertus — falso olim crediderunt Censorinum — cui ponitur anapaesti instar Capaneus [p. 92]. quae cum ita sint, non mouent me Victorini Consentiique et Bedae diuersa placita, licet ipse Quintilianus loco supra posito improbare uideatur trisyllabum Atreus, ut tamen appareat non idem quod ipsi placuisse eius aequalibus. quare operae pretium uisumst diductae exempla eu quotquot inueniuntur proponere omnia. sunt autem bina eius qui culicem scripsit [117. 269]

Naiadum coetu. tantum non Orpheus Hebrum.
poenaque respectus et nunc manet Orpheus in te

bina Pentadii [251. 19] in schemate epanalepsis

> Theseus Hippolyto uitam per uota rogauit.
> optauit mortem Theseus Hippolyto

unum Phaedri [V, 1, 1]

> Demetrius qui dictus est Phalereus.

nec aliter ut puto Attius [Festus p. 372]

> iam hanc urbem ferro nastam faciet Peleus.

contra apud Manilium quod legitur [I, 350]

> et finitur in Andromeda, quam Perseus armis
> eripit et sociat sibi, cui succedit iniquo
> diuisum spatio,

iure suspectauit Bentleius uerba a prioris uersus quarta thesi ad eandem secundi pertinentia. iam oi ut in datiuo quoi ad Quintiliani usque tempus uulgari sermone optinuit, ita in illis quae sunt proin proinde poetarum certe usu adhiberi non est desitum. ita dixit Ausonius [prof. burd. 10, 47] in dactylico metro 'proinde ut erat meritum'. quamquam ab Augusti inde tempore nec frequentia satis et apud duriores potissimum auctores prouenerunt synizesis istius exempla. ceterum quibus breuior forma placuit, non tamen diducta fuit offensioni excepto Lucretio qui semper habet diphthongum. ita eiusdem sunt Senecae [Thyest. 201]

> proinde antequam se firmet aut uires paret

et alias [Phoen. 458]

> proinde bellum tollite aut belli moram.

at timuere proin et proinde et diductis et coalitis dicere syllabis Manilius Lucanus Martialis Claudianus Homerus Latinus alii. nec uere duxit Heinsius scribendum esse apud Ouidium [med. fac. 27] 'proin se quaeque parent'. iam cui et huic cum non sit dubium ita esse orta, ut ad stirpes principales nominum quae sunt qu uel h accederet datiui terminatio oi, sicut habes populoi Romanoi a Mario Victorino notatum [2463], mox o in u mutata breues coirent uocales — quod ubi euenit qu pronominis relatiui in c mutatumst —, uarias tamen excitarunt grammaticorum antiqua iam aetate curas. quorum studia pro grauitate operis omittentes uiuida potius poetarum respiciemus placita. igitur formas istas una syllaba positas sicut scaenici uetusti ita dactylici ad finem usque octaui a. u. c. saeculi constanti extulere usu. primo diductis partibus cui dixit Seneca ita [Troad. 852. Agam. 146]

donet et mittat cuicumque terrae.
cui ultimast fortuna, quid dubiam times.

nec aliter Iuuenalis [3, 49. 7, 211]

quis nunc diligitur nisi conscius et cui feruens.
cantabat patriis in montibus et cui non tunc.

ita quater apud Martialem inuenitur cui disyllabum [I, 104, 22. VIII, 52, 3. XI, 72, 2. XII, 49, 3]. porro huic bis distractum habes a Statio [silu. I, 1. 107. I, 2, 135]

laetus huic dono uideas dare tura nepotes.
falsus huic pennas et cornua sumeret aethrae.

congruit autem cum primi p. Chr. n. saeculi scriptorum usu, qui semper pyrrhichiace ponunt cui, quod dicit Plotius [2639] in Maronis uersu 'o regina nouam cui condere Iuppiter urbem' primum spondeum ceteros esse dactylos. neque alia quantitate fuit huic, qualem habes uersibus Paulini [6, 29. 16, 64]

obsequio condigna dei coniux huic alma.
cum subito aut illis corda hostibus aut huic ora.

uerum ultimorum temporum auctores in utroque uocabulo uoluere i communem, uelut habes apud Terentianum [1533. 1375]

is primus erit longa cui locata primast.
est huic aduersus ille qui duas longas habet.

hinc apparet Albinum rerum Romanarum scriptorem, quem, ut alia aeque futilia omittam, quidam Caesaris Augustique assignarunt temporibus, uixisse tertio quartoue post Ch. n. saeculo cum bis iambice adhibuerit cui uersibus hisce

ille cui ternis Capitolia celsa triumphis
sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
abscondere sinus, non tutae moenibus urbes.

ceterum mire dixit Terentianus dum Catulli primum uersum enarrat ipse metro phalaecio [2567]

spondeon cui do trochaeon ari.

porro ab ambiguitate stirpis euenit pro eo quod est cui ut efferretur qui, quod haud timide elisione imminueretur. ita habes in sententiis P. Syri 'qui omnes bene dicunt possidet populi bona' et apud Octauianum [185] 'sanguinis et uitae pretium qui extinguit honorem' et ludicro uersu, quem refert Capitolinus in uita Macrini [cap. 11] 'qui imperium infelix est, erit ille sibi'. — sed maxime omnium mirabile, quod Terentianus et Prudentius uidentur in monosyllabo isto corripuisse i, quorum apud alterum fertur [287]

singulis discreta recte, quae cuique est, natiuitas

apud alterum [cath. 3, 167]

sanguine pasta cui cedit auis.

ceterum ad similitudinem monosyllaborum cui et huic dixisse existimo Lucilium 'in terra fuit lucifugus' et 'compernem aut uaram fuisse Amphitryonis ἄκοιτιν'. porro sicut cii scripsere alii cuii, qua forma probabilest usum fuisse Ausonium et Prudentium sic [idyll. 10, 312. ham. 104] 'Dinochares, quadro cuii in fastigia cono', 'adsignare deos proprios sua cuiique iura'. — quaeritur iam quanam cum ratione eius cuius huius trochaica mensura abiecta fiant uoces aut pyrrhichiacae uelut hoc Terentii uersu

quidquid huius factumst, culpa non factumst mea.

aut monosyllabae ut apud Lucilium

cuius uultu ac facie ludo ac sermonibu' nostris.

e quibus prius genus licentiae non dubiumst mihi quin creetur correpta propter sequentem uocalem diphthongo, quam inesse illis supra indicaui, sicut factumst in praeacuto uel praeeundo. at in Luciliano exemplo credibilest u posteriorem elidi, quod firmatur et scripturis huis et cuicuimodi [Schneid. I, 287. Lachm. p. 27] et Vergiliano illo 'a flumine reice capellas'. ceterum exempla utriuslibet licentiae perpauca suppeditant et quidem plerumque ambigua. ita Lucretius dixit 'principium cuius hinc' tum 'e uita se tollit et eicit' et 'eicit enim sulcum' et Tullius 'atque eius ipse manet', nec non qui scripsit Cirin 'reicere et indomitas' et in distichis auctor ad Messallam 'non cuius ob raptum'. praeterea Catullus Rauidum disyllabum posuit sic 'quaenam te rabies miselle Rauide', quod pronuntiandum esse Raude docent cum contracta illa naufragus nauculatur [Martial. III, 20, 20] tum quod Tullii narratiuncula [de diuin. II, 40] constat idem ferme sonuisse Cauneas et caue ne eas. contra apud Sedulium [c. pasch. V, 8] quod legisse uidetur Beda [p. 2375] 'clarifica dixit nomen cuius magnaque caelo', sensu pariter ac metrost ineptum. et hercule neque Seneca nec Silius cum synizesi dixere proiciet et reicit his uersibus

et inter acies proiciet raptam duas.
corporibus struitur reicitque cadauera fumans.

iam quod Catullus [82, 3] ac Lucilius [l. inc. 2] cum Manilio [III, 73] datiuos ei uel eidem Horatius uocatiuos Pompei Vultei contractis dixere syllabis, id uero eo sono i litterae euenit, quem medium inter uocalem et consonam et similem eius qualem iota

subscriptum antiquissimo tempore habuit apud Graecos supra indicaui. neque enim ueram dixerim consonam, licet fuisse qui statuerent cum ea efferendos uocatiuos Pompei et Vultei et similes firmetur Prisciano [739]. sed potius diphthongo ea utemur quam supra declaraui adesse illis Pompeius proicio. ceterum ei producta paenultima dixere et Lucretius aliquotiens et semel Manilius [I, 285]. quod iambice positum apud dactylicos ubi constet non inuenio prius quam in Ouidii halieuticis [34]. quare nec hoc probo quod Lachmannus existimauit apud Catullum in hendecasyllabis posse scribi

malest mehercule ei et laboriosum,

nec credo a scaenicis umquam positum ei correpta priore, cum praesertim aliena ab sententia exempla et pauca constent praeter ea quae coniectandi libidine prouenere et facillime possint remoueri. ita cum semel nisi quid me fugit iambicum ei inueniatur apud Terentium hoc uersu [eun. 926]

nam ut mittam quod ei amorem difficillumum,

quidni scribemus 'quod amorem ei'? ceterum uel posteriore aetate raro admodum reperitur iambicum ei.

Restat ut eam speciem synizesis enarrem, quae secundo constat genere diphthongorum. itaque primus Ennius dixit una syllaba suos ita [278]

Poeni soliti suos sacrificare puellos

deinde Lucretius bis [I, 1022. V, 420]

ordine se suo quaeque

tum Seneca [Agam. 250]

quid rere ad animum suapte natura trucem

porro Terentianus [1609]

uim suam tuetur hexametris heroum

denique Ausonius [lud. VII sap. prol. 29]

pronuntiare suas solent sententias.

praeterea cum diphthongo dixit Lucretius [II, 662] 'equorum duellica proles', nec aliter Ausonius [parent. 24, 16] duodeuiginti auctor de Phoenice [28] duodeciens contraxere scilicet orta a disyllabo duo. tamen Ennius et Lucretius [150. III, 1023] aliena forma usi posuere 'lumina sis oculis'. porro haud quisquam dactylicorum praeter genetiuum et datiuum numeri singularis pronominis quod est is formas coegisse inuenitur, quod non credet casu factum esse qui sciet Ennium, ne illa quae sunt eum

eam eos eas una admitteret syllaba, dixisse sum sam sos sas. neque magis credibilest eundem illud meus et quae inde ueniunt synizesi coartasse qui mis posuerit [131] pro mei. quare quod Vahlenus sic edidit scriptum huius uersum

quod mihi meaeque fide ac uobis regnoque Quirini,

longe melius fuit optimo inuento Rothii usum, quod ille equidem silentio transit, pro illo meaeque dare reique uel potius reque — nam traditumst antiquitus reliquae — quam referre cum dolore amicorum commentum istud occupari a Grauerto. sed hoc ut mittam, pronominis idem formae quae sumunt longam uocalem praeter i, quales sunt eodem eaedem eorundem, concisae interdum reperiuntur apud antiquos poetas ad Propertium usque exceptis Catullo et Horatio. posteriore tempore non perinde inuenitur synizesis, nisi quod eadem disyllabum extat Auianum apud [23, 12] et Paulinum [15, 334. 20, 331 alib.]. praeterea notabo Catullum [64, 120] praeoptarit auctorem de figuris sententiarum [151] praeoccursionem coalitis dixisse syllabis. contra scio et nescio numquam cum synizesi posuere dactylici, licet aliter uideatur Wagnero [aen. IX, 296]. porro isdem semper ut disyllabum 'nunciam' ita 'etiam' et 'quoniam' trisyllaba. secus sane uisum Iacobo qui talem dedit uersum Aetnae

condita si redeunt, si qua etiam incondita surgunt.

denique memorabo Terentianum constanti nisi quid me fugit usu contractum ponere quia, quod quo uoluerit modo pronuntiatum eo minus comparet, cum et elidendo imminuerit [1090]. at particulam tametsi cum et integris uocalibus et minutis ponere timerent poetae dactylici, tantum non omnino abisse uidemus ex usu eorum. nam exemplum unum notaui Lucilii [V, 1]

quo me habeam pacto tametsi non quaeri' docebo.

praeterea habes tamenetsi apud Ennium [ann. 512] et auctorem Culicis [379]

at Romanus homo tamenetsi re bene gesta.
et tamenetsi audis, dimittes omnia uentis.

contra quod in carmine ad Pisonem uulgo circumfertur 'tamenetsi bella quierunt, non periit uirtus', id quamquam excerptis Parisinis firmatur, posthabendum tamen est lectioni ei quae in Iunii fuit codice 'nec enim si bella quierunt, et periit uirtus'. quippe hanc nisi admiseris indecore hiat oratio. nam et auctoritate longest superior altera. ceterum fatendum et alia pleraque uerba synizesi ob-

noxia raro apud dactylicos prouenisse usu, cum et contracta illa nimis uiderentur dura et mollia nimis dissoluta. iam quoad et prout non synizesi potius quam diductis uocabulis per elisionem monosyllabis aequarunt Lucretius [V, 1211. 1431] Horatius [sat. II, 3, 91. 6, 67] Ausonius [idyll. 10, 372], quod et firmatur codicibus. ceterum non dissimulabo pro eo quod est quoad binis eiusdem Lucretii locis traditum esse quod [II, 850. V, 1031], qua forma non est incredibile usum eum qui dixerit colescere. sane in tanta dactylicorum auctorum modestia uel alia synizesis in compositis uerbis constantis exempla discernendo partes apte uocabuntur in dubium. ceterum sicut reuera in eis quae sunt deinde proinde et similibus optinuisse statuo synhaeresin, ita illa circumagere circumerrare circumire introire nego umquam inueniri coactis syllabis, quae si quando posita erunt delitescente secunda disiungendae erunt partes. quis enim credet auctores durissima synizesi potius quam elisione facillima et uulgo usitata tmesi maluisse uti? contra eadem uerba haud raro diductis inueniuntur uocalibus, ut exempla afferre pigeat. nam et ita retroactum breui o dixit Paulinus [XIX, 538]. quae cum ita sint, uehementer haereo in eo quod Orellius nequis haereret praetulisse sese ait circuire hoc Phaedri trimetro [IV, 22, 4] 'circuire coepit urbes Asiae nobiles', cum in codicibus sit uerissime circumire, quod discerptis reponendumst uerbis. ceterum quod magis magisque senescente lingua synizesis usum imminutum esse docui, id uulgi more euenisse nequis dubitet firmatur carminibus rythmicis. ueluti disiunctis uocalibus cui dein anteire habes in hisce [Dan. I, 80, 7. 91, 17. 161, 11] 'cui tuae imagini' 'dein ad xystum properans' 'flamma ignis anteibit iusti multum iudicis'. alibi tamen cuiquam disyllabum [Dan. I, 102, 40]

'licet cuiquam sit diuersum pro labore meritum.

Restat Graecanicam synizesin ut enarrem. quae Catulli tempore orta et semper modeste adhibita praeter nomina propria in trisyllabis formis substantiuorum uel adiectiuorum substitit excepto quod Vergilius [georg. IV, 34] et secutus eum Corippus [iohann. I, 436] ab alueo descendens aluearia coalitis dixere syllabis. praeterea curate seruatur, ne adhibeatur synizesis nisi correpta e, quam uel christiani poetae diligenter tenuerunt normam, malo ut exemplo contraxerit Licentius [62. 118] Exampeos et Rhipeos et peiore etiam scriptor uerborum Achillis in Parthenona [80] Dei-

damiam. nam alienumst illud quod Prudentio Chananeus et Mattheus ponuntur cum diphthongo [hamartig. 408. apoth. 981]. quare quod Penei apud Vergilium [georg. IV, 355] fertur disyllabum, nisi statuetur Graecos dixisse Πηνεὸν ut Ἀλφεὸν subtracta i, illud falsum esse Bentleio et Wagnero adsentior. longe autem saepius in thesi quam in arsi euenit synhaeresis illa, ita quidem ut heroici metri — nam huic fere soli adhibetur — locos optineret sextum uel primum. congruumst autem elegantiae Latinae non aliis ferme licentiam istam adesse uerbis quam quae inepta sunt metro. igitur non erit mirum rarius longe dactylica uerba imminui quam cretica, etsi ostrea et aurea Horatium apud et Ouidium reperiantur disyllaba [sat. II, 2, 21. metam. XII, 395]. quare quod negat Lachmannus [p. 192] illud quod est igneus posse pati synizesin, opinio eius non quidem grammatica norma sed tacita elegantiae lege firmatur. superat ut potissima auctorum enarrem exempla. itaque habes apud Catullum [64, 336. 178] contracta Peleo Idomeneos praeterea quae tamen rectius habebuntur aliena [64, 229. 382. 120] Erechthei Pelei Thesei. e quibus cur Idomeneos coactum in dubium uocarint homines docti non intellego, cum mollius sit utique quam contracta quae supra memoraui dactylica aurea ostrea. tum apud Horatium quattuor exemplis inueniuntur passa synhaeresin cerea ostrea Lyncei, at apud Vergilium qui hanc ut alias intendit licentiam uersibus XXII alueo aluearia aerei aureo aurea aureis ferrei Eurystheo Menestheo Orphea Typhoeo Typhoea, praeterea XIII exemplis haec Idomenei Ilionei Mnesthei Nerei Oilei Orphei Penei Promethei Protei Terei. porro apud Ouidium habentur cum synizesi deciens quater alueo aurea aureo aureae Cenehreis Orpheo Perseo Tereo Theseo Typhoea, item sexiens Atrei Nelei Persei Thesei Vlixei. tum Propertius contractis uocalibus quater dixit Enipeo Nereo Prometheo et quinquiens Capanei Persei Phinei Promethei. at Tibullus semel

rure leuis uerno flores apis ingerit alueo.

iam insequentium temporum auctores tantum non omnes praeter nomina propria synhaeresim istam, qua haud quisquam ex illis frequenter usus, consistere uoluere in uerbis quae sunt alueus balteus aureus, ut et Heinsius fuerit falsus qui Silio tribuerit 'obnixi intorquent obicis munimina ferreae' [ad Ou. met. VII, 223] et inepti sint ei qui Statio hodieque adscribant non unam quidem ob causam falsum 'cui Phrygii lanea est' pro eo quod est uerum

18*

'lanea cui Phrygii est'. sed omnino abstinuerunt Manilius Columella Lucanus auctores Priapeorum Persius Petronius Seneca Calpurnius laudator Pisonis Martialis Iuuenalis Sammonicus Namatianus Palladius Symposius Terentianus Boethius Prudentius Martianus Arator. — tum apud Nemesianum [cyn. 272] habes disyllabum Nerei apud Sedulium [c. p. III, 316] aurei apud Homerum Latinum [774. 630] Idomenei et balteum denique apud Claudianum [40, 33. 26, 63] Orphei Typhoeo. porro Valerius cum synhaeresi dixit quater Phinei et Promethei et aureis at Silius octiens aluei alueo Typhoea Typhoeo Caphareo et totiens Sidonius alueum aurea aureo Orpheum Typhoeo Capharei. ceterum intellegitur poetas Latinos non admisisse synizesim tam ineptam adiectiuis istis, quae etiam minutam haberent formam, sed dixisse alienum eburnum ilignum uirgultum [Sil. XII, 354]. Naso in decimo transformationum 'sit coniux opto non ausus eburnea uirgo dicere Pygmalion similis mea dixit eburnae'. ceterum cum talis habeatur qualem modo descripsi Graecanicae synizesis proprietas, uiderint homines docti, quam recte nuncupetur uulgo Terentii heautontimorumenos, cum ipsum appareat breuiore forma esse usum in prologi fabulae eiusdem metro, quod uulgo fertur tale [5] 'hodie sum acturus heautontimorumenon'. — hactenus de synizesi Latina.

Iam de hiatu eo uocalium dicturis, in fine qui uerborum accidit, cum tot partes metricae Latinae nitantur ultimae aetatis libris deterrimis, insigni sane felicitate accidit, ut ad illam rem pertinentibus optimorum temporum et iudicum amplissimorum liceat uti testimoniis, quae primum omnium transcribemus. itaque Tullius notissimo loco oratoris [44, 150] habet haec 'nam ut in legendo oculus sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum uerborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas uoces efficiat aut asperas. quamuis enim suaues grauesue sententiae, tamen, si inconditis uerbis efferuntur, offendunt aures, quarumst iudicium superbissimum. quod quidem Latina lingua sic obseruat, nemo ut tam rusticus sit qui uocales nolit coniungere'. idem paullo post [45, 152] 'nobis ne si cupiamus quidem distrahere uoces conceditur. indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos qui ut uersum facerent saepe hiabant ut Naeuius uos qui accolitis Histrum fluuium atque algidam et ibidem quam numquam uobis Grai atque barbari. at Ennius semel Scipio inuicte et quidem nos hoc motu

radiantis Etesiae in uada ponti. hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent'. praeterea in libro ad Herennium haec habes [IV, 12, 18] 'compositio conseruabitur, si fugiemus crebras uocalium concursiones, quae uastam atque hiantem orationem reddunt ut hoc est baccae aeneae amoenissimae impendebant'. denique apud Fabium leguntur haec [9, 4, 33] 'uocalium concursus cum accidit, hiat et intersistit et quasi laborat oratio. pessime longae, quae easdem interse litteras committunt, sonabunt. praecipuus tamen erit hiatus earum quae cauo aut patulo maxime ore efferuntur. e planior litterast, i angustior est, ideoque obscurius in his uitium. minus peccabit, qui longis breues subiciet et adhuc qui praeponet longae breuem. minimast in duabus breuibus offensio'. porro apud eundem sunt talia [ib. 36] 'longae per se et uelut opimae syllabae aliquid etiam medii temporis inter uocales, quasi intersistatur, assumunt'.

Horum autem testimonia iudicum eo meliore fato euenere, quo magis obscuras aut absurdas posteriores de hiatu protulere sententias, qui quonam peruersitatis sint progressi siquis uolet plene cognoscere, legat illa, quae Consentius de synaloephae seu iactlinisis ut uocat ipse rationibus enarrat in fine libri de barbarismis et metaplasmis [32—38]. sed huius et similium opinionibus omissis iam quae nos secuti optimorum iudicum auctoritatem et diu meditati rem grauissimam de hiatus in fine uerborum accidentis modo ac norma statuimus paucis expediemus uerbis.

Igitur uitium illud pro uarietate soni et quantitatis finalium nunc lenius euenit nunc asperius. nam breui uocali finita pars orationis cum facile misceatur insequenti, talis hiatus longe accidit grauissimus. mitior idem in ea quae producta claudatur seu simplici siue diphthongo. at quae m littera terminantur sunt ambiguae et mediae. haec enim etsi nullo tempore longam perfecit uocalem anteuntem, tamen ita cum ea coaluit, quasi diphonos uox ut praestaretur [cf. Quint. IX, 4, 40]. quare non bene fecerunt uetustissimorum ei, qui omnino consonam non mutato priore sono reciderunt, ueluti dixit Pacuuius 'praeter homine' [Pompeius p. 406]. rectius ei qui praecedentem mutarunt uocalem, sicut habes apud eundem Pacuuium 'ante templo' [Pomp. l. c.] et in epitaphio L. Scipionis 'honc oino', a quibus paullo diuersa usus ratione dixit Cato censorius ille diee pro diem. nam quod dicit Quintilianus [l. c.] impediri ea, ne uocales duae coeant, nisi statuemus iam huius

aetate plerumque perisse hiatuum sensus, non poterit urgeri, cum in uersibus saepius longe elidantur finales in illam consonam quam in longam exeuntes uocalem. ceterum ut consulatur breuitati, syllabas m littera terminatas appellabo medias. minus autem turpis est hiatus in uocalibus plene firmiterque sonantibus, quae sunt a o u, quam in minutis ac teneris e uel i.

Iam quod statuit Lachmannus [p. 158] in uerbis elisioni obnoxiis si paenultima syllaba habeat uocalem longam seu diphthongum non addita consona, esse synhaeresin partim uitiosam partim omnino illicitam, hoc quidem mihi non persuasit. ueluti quod negat Iuleae licuisse poni cum synizesi a Lucano, cum ipse concedat eandem admisisse in uerbo fio Lucilium et Horatium, similis haud dubie licentia adhiberi potuit nominibus propriis, nec magis perspicitur cur qui Coeo Enceladoque et Troiae excidium posuit cum elisione Vergilius maluerit dicere durissimo hiatu, quod placuit Lachmanno, 'Alpheae origine' quam quod traditumst antiquitus 'Alpheae ab origine'. nec uero concessit Ritschelius caueri a Plauto illud, ne longa praecedente uocali pura sequens itidem longa imminueretur [ad Pers. 409]. quare quaecumque synhaeresis istius extant exempla, retinenda esse aio, simul adiciam alia quaedam exempla auctorum serorum quidem aetate sed minime circa elisiones neglegentium. itaque apud Terentianum habes haec [1879]

bacchio aduersus fiet pes. nam breuis antest.

et apud Prudentium [hamart. 286]

uellere non ouium sed eoo ex orbe petitis,

quibus adde Paconianum illud, quod certa emendatione restitutumst ab Hauptio [Diom. p. 498]

eoo Oceano Hyperion fulgurat Euro.

et Paulini [24, 455]

speculumque mentis et fidei instar tuae.

ita etiam in iambico metro Auienus [or. mar. 314]

erythea ab arce. qua diei occasus est.

nec tamen est dubium ingratam esse elisionem, si praecedat minuendae syllabae uocalis qualiscumque, id quod certa demonstrari potest ratione. etenim cum uocalis ultima quadamtenus absorbeatur synizesi, finis uerbi sub elisionem cadentis ad proximam recedit syllabam, quae si integra terminatur uocali, denuo oritur incommodum simile hiatus constantis exitu uocis. et peius quidem id uitium in uocali longa et tarda paenultima uisum esse et

re ipsa et poetarum firmatur auctoritate. ceterum nec breui res sat bene habet. unde Horatius maluit dicere 'quem uirum aut heroa lyra uel acri tibia sumis celebrare Clio? quem deum?' non uerso ordine 'quem deum quem uirum', quod et ratione ipsa et exemplo Pindari commendaretur.

Praeterea certumst plerosque auctores ueritos esse uocales Graecas elidere, de qua re satis plene disputauit Lachmannus [p. 272], nisi quod dignum memoria Statianum, quod attulit ille, 'Tisiphone et' non satis uideri certum, cum libris Casselano et aliis omittatur copula, quae ut grauiter concitata oratione melius abest. iam ex eis auctoribus quos silentio transiit Lachmannus ut quisque magis Ouidianam tenuit normam eo minus est ausus elidere uocales longas Graecas. — quantum ad proximam uocalem, nunc quidem notabo foediorem euenire sonum si sit eadem cum proxime praecedente. nam quod Gellius [VI, 20, 2 sq.] mollem quendam hiatum statuit inesse in Homerico *λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον* et ut ipsi uidetur Catulliano 'ebria acina ebriosioris' [cf. Haupt. prooem. aest. Berol. 1857], id, aliena testimonia ut omittam, simplici iudicii elegantia et comparatis hiatus in medio uerbo accidentis rationibus refellitur. sed quod dicit idem adeo inueniri apud nobiles poetas huius suauitatis multa, id exemplis oportuit comprobari. ceterum facile coire litteras pares etiam firmatur Tullii narratiuncula iam supra mihi memorata, qua asseritur idem sonuisse Cauneas et caue ne eas.

Sed ad remouendam hiatus iniucunditatem uetustissimi Latinorum hisce ferme usi fuisse uidentur modis, uocalem priorem ut aut copularent cum longa quasi per diphthongum aut omitterent ante breuem. hae uero rationes quamquam egregie conueniunt ori Romano, asperiores tamen sunt et uiolentiores, unde commode usus eis Vergilius suptilissimus uersuum artifex ad res deformes aut graues describendas ueluti in his 'sublimem expulsam eruerent' et 'monstrum horrendum informe ingens' et 'me me. adsum, qui feci. in me conuertite tela'. ceterum haud facile poterit definiri, quam diu durauerit mos eximendi prorsus uocalem hiantem, nisi quod constat satis certo per omnia tempora in e correptam exeuntes uoces inflexibiles cum pronominibus amisisse litteram finalem sequente uocali qualicumque, nec abhorret a uero i breui terminatas particulas eodem modo imminui, cum praesertim inueniantur etiam nise quase sibe tibe, quibus simile illud mihe

deprendisse uideor hoc Germanici metro [arat. 100] 'medio mihe cursu stabunt quadrupedes', cum codice optimo habeatur mediomine. praeterea illud ambiguum admissa synizesi et oriente diphthongo longa uocalis prior num breuietur. quamquam potius adducor ut credam id non factum, cum aliter uix perspiciatur, cur minus saepe productas finales quam correptas cum synhaeresi posuerint auctores. quod contra quamquam diphoni duabus longis aut longa et breui constantes mediis uocibus fuere insolitae Latinis, tamen easdem diuersorum uerborum syllabis finali ac principali fuisse adsumptas ad tantam hiatus per has euenientis offensionem tollendam non est incredibile. nam et idem hanc ipsam ob causam ut eximerentur prorsus metro uocales in extremis uocabulis sitae, quod rarissime factum alias supra declaraui, innumeris permisere exemplis. ceterum nos promiscue utemur synizesis et elisionis nominibus, nisi ubi intererit nostra fieri accuratam distinctionem.

Iam propter certas sonorum et accentuum rationes euenit illud, ut uerba plus quam monosyllaba facilius paterent elisioni si productam quam si correptam haberent paenultimam, cuius quidem legis diuersi moduli a quantitate pendent finalis. porro quod uidemus uocalium quantitate parium tamen pro accentus et spatii uerborum diuersitate uarium fuisse pondus, id etiam ob aliam causam euenit. nam id quod optime quidem poterit rationibus comprobari uerum non perinde percipi sensu, certo nec dubie constat illud finales uocum ualde frequentatarum quae plerumque sunt inflexibiles quales habes enim etiam quidem tantum uerum certe ergo quare proniores fuisse ad synizesim quam reliquarum. nam et accedit quod indeclinabilium finales plerumque propter inopiam similium exemplorum minus sunt tenaces originis primae et rectae mensurae. — iam uocalis prioris cum asperior fere esset imminutio, si in arsi accideret quam si in thesi, inualuit uitium, si acuta esset uocalis sequens, quoniam ut apud nos stirpes ita apud Latinos syllabae accentu grammatico insignitae clariorem et ualidiorem ceteris habuerunt sonum, unde diphthongus synhaeresi ista orta nimis absona euadet et cruda, praesertim si fuerit et posterior uocalis natura longa non positione et producta ipsa prior. ceterum quaenam apud Latinos habuerint syllabae acutum sonum, quaenam grauem, curiosius infra declarabitur. — sed maiore etiam odio habuere in breui euenientem hiatum, quia ita praecedens uo-

calis prorsus ex metro eximitur. quare dactylicorum praestantissimi elisionis hoc genus aut omnino refugere aut artis continuerunt finibus. praeterea simillimum obseruationi supra propositae optinuit, uerba a uocali incipientia eo magis ut essent peruia elisioni uel durae, quo frequentiore ferrentur usu. apparet autem etiam molliorem euenire synchysin, si utrumque uerbum genere constet particularum, quod cum alias accidit tum in formulis quales sunt paullo ante certe ego ergo ego ergo ubi quare age quodsi ita.

Iam certumst illud uerba uocalium concursu iugata non prorsus in unum coaluisse, quoniam hoc si fiat non potest elisio post syllabam in fini ordinis metrici positam admitti, quod tamen passim euenit apud Graecos pariter ac Latinos. neque uero fit uocis mora solita alioquin in uerbis, quorum concurrant uocales, cum nec stare possint priora plerumque absumpta uocali, nec pausa longiore permissa maneat synhaeresis necessitas. quae cum ita sint, apparet habere equidem elisionem locum in quauis uersuum parte, sed minus bene admitti ubicumque ueloci et puro opus sit numero. nec absurde dicetur nexum uerborum synhaeresi ortum medium esse inter iuncturam uariarum eiusdem uerbi syllabarum certam et indiuiduam et laxam satis uastamque diuersarum eiusdem sensus uocum. quare minus bene habebit elisio admissa in uocibus eis quas aut metri aut sensus causa oporteat discerni, quoniam, illud si euenerit, longius utique interstitium coeuntia inter uerba fieri necessest quam natura amat synizesis. habet etiam quiddam incommodi monosyllaba pondere ut ita dicam logico insignia imminui, ut est in disticho Nasonis

per te ego decipior, per te deprensus inermis
ecce duas uno tempore turpis amo.

quamquam minime uitarunt illud dactylici.

Verum enimuero quo magis ars conualuit, eo acriore elisionem poetae persecuti sunt odio. quod ex parte quidem uenit Graecorum aemulatione, qui praeter pauca exempla longe alium tenuere morem uel tollendi hiatus uel ferendi, nec tamen minus a uulgaris pronuntiationis usu lapsaque uocalium coeuntium offensione res est repetenda. etenim sicut in uno uerbo ita fini et initio diuersarum uocum positas hiscentes uocales satis patienter tulere ultima saecula, id quod Commodiani carminibus et rythmica poesi apparet. nam in his etsi bis terue fit elisio, tamen saepius longe

eadem neglegitur, uix ut ultimi Romuli nepotes magis offendisse uideantur hiatu quam nos. hinc etiam euenere permirae illae elisionis definitiones apud neotericos quae extant grammaticos, qui Graecorum rationibus decepti et pridem perdito sensu collidentium interse uocalium plerumque subsistunt in exemplis breuium aut mediarum syllabarum, cum maxime sermonis Latini proprietas in longis elisis appareat. praeterea idem plane ut pessimi magistrorum nostrorum scandendi ut asserunt uersus gratia omnino uolunt abici finalem in hiatu positam. — quae cum ita sint satis accidit mirum quod recentiores Itali eadem qua uetustissimi elidendi uocales inueniuntur uti ratione. sed hanc quidem mutationem ualde notabilem ne recte aestimemus, ea re impedimur, quod nec nouello Italorum idiomate scripta carmina extant priora saeculo XIII, et uulgari lingua Latina composita exceptis ecclesiasticis omnino habentur paucissima. ceterum cum ne rythmica quidem carmina ab indoctis omnino auctoribus sint profecta, dubito plerumque an rustico sermone uiguerit etiam tum elisio, quam quidem eruditi nisi ubi auctoritate Vergilii firmaretur incuria odioque omitterent. ceterum antiquissimi dactylicorum quin Graecanica potius norma circumciderint synizesis mediis siue extremis uerbis accidentis licentiam, non intercedo, neque ulla parte magis differunt dactylici uetusti a scaenicis. igitur cum iam Ennius et Lucilius cautionem quandam elisionibus adhibuissent et intendissent seueritatem eorum Lucretius et Catullus, horum placita optinuere diuersis tamen uel in hac re usi modis Vergilius et Ouidius. nam Vergilius etsi dura pleraque deuitauit, multitudinem tamen elisionum non perinde refugit, quod apud Nasonem longe habet aliter. mox insequentes pro diuersitate ingenii huic siue illi magis se applicauerunt, nulla ut magis re diuersitatem studiorum probarent quam illa. placet haec probari exemplis. itaque Vergilius in primo uolumine aeneidos quod habet uersus DCCLVI elisas adhibuit longas uocales LXXXV medias LXXXXVII breues CLXXIII at Ouidius metamorphosium primo — constat hexametris DCCLXXVIIII — admisit productas VIII in m exeuntes XXIII correptas CXXVIIII. tum Statius initio achilleidos et uersibus DCCXX syllabas longas uiciens semel, centiens octogiens ter breues, medias octogiens semel elisit. contra Claudianus in carminibus de consulatu Aniciorum ac de Mallii Theodori et libro primo in Rufinum, quibus complentur metra MV, corrupit uocales productas bis medias undeciens

breuiatas quadragiens sexiens. sic Martialis in xeniis et apophoretis habet elisiones circa XX. tum Eugenius ut refert Paulus [de Sympos. aenigm. p. 40] in uersibus CCCCXXXXIII habet synizeses XII [praef. 1, 6. carm. 1, 12. 3, 3. 5, 11. 17, 5. 18, 3. 19, 4. 20, 1. 23, 3. 9. 24, 2. 26, 2] Symposius in hexametris CCCXVII non amplius binis [28, 3. 57, 1]. iam diuersi auctores quamnam secuti sint normam reliquis facile apparebit obseruantiis. interim notabo omnino dactylicis metris maiorem quam logaoedicis euenire elisionum et frequentiam et audaciam, praeterea poetas pro uarietate operis aut temporum mutasse artem. ita Horatii non idem usus in melicis et satiricis, ita Seneca in choricis longe aliena arte utitur quam in diuerbiis, et Petronii carmen de bello ciuili, quod epicorum imitatur libertatem, diuersum elisionum frequentia a reliquis. praeterea Statius et Corippus in achilleide et laudibus Iustini, quos nouissimos composuere libros, cautiores longe fuere admittenda synizesi quam in ceteris operibus. denique Columbanus cum in hexametris haud raro utatur elisione, eandem omnino abstinuit ab adonio ad Fedolium.

His expositis nihil obstat, quin singula deinceps ut consueuimus illustremus exemplis. in quibus referendis quae Hauptius in obseruationibus criticis Lachmannus in commentario Lucretiano attulerunt iterum scrutati cum inuenerimus habere rectissime ab omni ferme parte, taciti passim adhibebimus paucissimis rebus additis, cum turpe sit uenia ipsum indigentem aliorum errores minutos perstringere.

Igitur prima elisionis Latinae normast, non ut possint monosyllaba longa aut media elidi in breui nisi quae sint indeclinabilia aut flexione formata aliena ab legitimis modulis. praeterea numquam diphthongo exeuntia eliduntur in correpta. sed apta tali synizesi haec potissimum inueni uerba me te se mi pro eo quod est mihi tu qui singulari numero positum si ni de [auct. de fig. sentent. 161] cum tum num iam nam quam tam sum. at hercule haud quisquam uel sim uel plurali numero positum qui elisit in breui nec magis illa do sto spe dem stem rem spem, quae ubicumque ante correptas constant syllabas necessario ponuntur cum hiatu. quare quod apud Valerium Flaccum legitur [IV, 62] 'in quem alium Alciden', si modo sit uerum, fatebimur illum ut adulescentulum et quod peius est non satis firmum iudicio admisisse a ceterorum elegantia licentiam diuersam. uerum composita

a monosyllabis quae descendunt non tenentur lege simili, non ut sint uitiosa elisione iugata ‘quare age’ ‘illa siqua alia’. ceterum christianos semel aut bis migrauisse istam regulam non nego, cum et alibi quantum grammatica doctrina potiores tantum sint inferiores iudicii acumine. certe habes apud Auienum [or. mar. 117]

quae Himilco Poenus mensibus uix quattuor.

ceterum omnium omnino monosyllaborum elisio anxiis continetur legibus, ualde durum ut habeatur spondiaci pedis cum breui sylla copulati posteriorem partem monosyllabo constare uerbo, quod in creticis simili modo imminutis accidere paenest inauditum. denique dignum memoria numquam apud dactylicos tota uerba absorberi elisione, quod in scaenicorum uersibus aliquando euenit. has regulas ignorantes homines docti quot errores commiserint, dicere non attinet. sed praeteritis ceteris monebo non posse tolerari quae Lachmannus Lucretio tribuit

ex alienigenis quae alienigenis oriuntur.
sed natura loci ui ibus officit ipsa suapte.

porro monstri similest quod in Ciri dedit Heynius

procurrit uirgo. quo utinam ne prodita ludo.

nec melius in Germanici arateis quod Orellius probauit ‘extremum qua Helices sidus micat’. ne Silio quidem recte adscripsere quidam [IX, 111] ‘non sim equidem Sulmone satus’ pro eo quod est uerum ‘non sum’.

Porro uocabula iambica non reperiuntur apud dactylicos elisa in breui. nam quod apud Senecam legitur [Phoen. 394. Troad. 945]

uide ut atra nubes puluere abscondat diem.
uide ut animus ingens laetus audierit necem,

est illud uide pyrrhichius. apud Ausonium quod fertur incerta auctoritate [epist. 21, 28] ‘aueque dicto dic uale et actutum redi’, non unam quidem ob causam scribendumst ‘actutum et redi’ ut pertineat actutum ad priora. nec uero poterit probari a classicis poetis uoces iambicas umquam in acuta syllaba esse elisas. nam nec Attius scripsit ‘per agros urbesque fere omnes’ scripsit ‘per omnes’, et apud Senecam quod legitur ‘aggessi manu mea ipse flammas’, scribendum pronuntiandumue meapse, apud eundem quod fertur ‘sile obsecro’, sile habet breuem finalem, sicut ueni et tace et aue in his Phaedri ‘ueni ergo mecum’ ‘tace inquit’ ‘aue usque ingessit’. nam, Ritschelii uerbis ut utar, iambicas

uerborum formas in uocalem exeuntes quaslibet cum sierit corripi uitae consuetudo, non mirum idem sibi aliquotiens permisisse auctores in metro iambico, quod proxime accedit ad sermonem uulgarem. neque uero intellego, qui potuerit Lachmannus quasi huc pertinentia notare eiusdem Senecae 'meae ignota est' et 'hoc situ immenso exeat', nisi forte probauit et ipse Bentleii commentum, qui statuit in uerbis plus quam disyllabis et longa paenultima praeditis si finalis syllaba elidatur retrahi accentum grammaticum. nec magis uiolatur ars Senecae metro tali 'hac manu hac inquit ferar', cum non possit probari uocem grauem, rhetorico affectu si geminetur, acutum accentum assumere. iam ut mittam quaedam non re sed specie aliena a norma supra proposita, de quibus sexto libro agetur, apud christianos quidem poetas migratae legis illius certa non prorsus desunt exempla. ita in iambis dixit Auienus [or. mar. 20. 465] 'tuo esse cordi' 'diu incolis', itaque Prudentius [cath. 2, 75] 'eo usque dum lux surgeret' idem in dactylico metro [psychom. 32] 'solo adplicat'. tum Paulinus [21, 214. 266] 'et noui ortus gloria' 'in sinu abditos'. idem alibi [36, 188] 'sancta dei unde procul'. — sed iambica uel in graui syllaba elidere sunt ueriti Lucretius Cato Tibullus Gratius Manilius Homerus Latinus Columella Persius Ouidius in distichis praeter epistulam Helenae [XVII, 97]. nec minus idem refugere uitium scriptores Aetnae et culicis Seneca in choricis Petronius extra bellum ciuile Calpurnius auctores carminis ad Pisonem et elegiarum de Maecenatis obitu Nemesianus Sammonicus Palladius Symposius Auianus Iuuencus Merobaudes Priscianus Eugenius Corippus in panegyrico denique qui carmina de Phoenice ac nuce et laudes Herculis et peruigilium Veneris composuerunt. — porro sunt qui rarissime et primum ferme intra choriambum utantur elisione uocum iambicarum, semel Namatianus sic 'siue loci ingenio seu domini genio' bis Iuuenalis atque item Petronius in bello ciuili. ita semel est in libro priapeorum 'uere rosa autumno pomis' et apud Sedulium [c. p. I, 9]

stare choro et placidis caelestia psallere uerbis.

At creticorum elisionem cum admisissent Ennius [329] Lucilius Catullus praeter hexametros continuos Horatius in saturis, singulis exemplis probauere Propertius et auctor priapei unius haud dubie ei aequalis [III, 32, 5] 'curue te in Herculeum deportant esseda Tibur' [86, 7] 'alter adsidua cauens diligentia ut herba': con-

tra in epistula Hermiones [VIII, 71] quod fertur 'Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci', si non uidebitur spurius uersus — namque abest a codice Guelferbytano —, potius correptum Graecanico more iota habebit Castori. in Manilio dedisse Iacobum [II, 28. cf. 286] 'Persei et Andromedae poenas' merito contemptu praeteribimus. neque alibi iam similis licentiae reperitur exemplum apud classicos praeter hos Senecae trimetros [Thyest. 325. Phoen. 262. Oed. 695. 928]

parces et illi. consili Agamemnon mei.
sed matrem amaui. proloqui hymnaeum pudet.
incognita igitur ut nocens causa cadam.
aut feruido aliquis igne uel saxo domet.

nec minus e christianis plerique abstinuere tam molesta elisione Iuuencus Auianus Sidonius Martianus Arator Maximianus Luxorius Eugenius praeterea Terentianus Boethius Octauianus auctor Phoenicis, at usi ea semel uel bis Prudentius Ausonius Auienus Priscianus Sedulius auctor de figuris sententiarum. nam a Prudentio id uitium admissum uersibus his [peri st. 3, 172. 11, 1]

feminae ab ore meare palam.
innumeros cineres sanctorum Romula in urbe.

pari atque talia excusatione sunt firma Ausonii haec [prof. burdeg. 22, 27. idyll. 2, 11. 10, 256. prof. burdeg. 21, 8]

liberi et ambo genus sed quos meruisse deceret.
optuli opem cunctis poscentibus artis inemptae.
dextera in obliquum raptat puer. excipit ictum.
historiam callens Liuii et Herodoti.

nam apud eundem quod fertur [prof. 3, 6] 'linquentem natos sexui utroque duos', omnino falsumst sexui. porro semel Sedulius [carm. pasch. V, 412]

pastor amans augere greges. operario in omni.

itaque Priscianus [perieg. 541] etiam in uersus exitu posuit 'insulae Abydi'. denique Auienus pedibus primo et quinto elisit cretica.

Sed quid mirum ueritos esse ueteres creticos pedes elidere sequente breui, cum ne spondiazontes quidem hac sub condicione sustinerent imminuere? igitur cum priorum plerique minus fuissent anxii cauendo elisiones tales, posteriores ab Ouidio usque raras et certis fere legibus adstrictas eas admisere. sed omnino abstinuere his Cato Manilius Calpurnius Statius in achilleide scriptor elegiarum de obitu Maecenatis auctores priapeorum in distichis Sulpicia Palladius Claudianus Rutilius Merobaudes Symposius qui

culicem et laudes Herculis et peruigilium Veneris composuere praeterea ex christianis Anianus Martianus extra trimetros Boethius Eugenius scriptor carminis de Phoenice. quibus proximi accessere qui non admittunt elisionem nisi prima uersus sede aut in quibus hoc non licet metris proxima, quorum normam tenuere Tibullus extra panegyricum Catullus in hexametris Ouidius in distichis Homerus Latinus Lucanus Columella laudator Pisonis Martialis Seneca in choricis scriptor Aetnae Nemesianus Iuuencus Arator Maximianus Corippus in laudibus Iustini Octauianus. at exemplorum quae fuerit paucitas, statim demonstrabo. igitur uno loco longam cum breui copulauit auctor ad Pisonem [259] in formula 'quare age' atque ita scriptor mucis [25] 'certe ego' et Aetnae [194] 'illi operist' porro Seneca Hercule Oetaeo [1956] 'certe ego te uidi flagrantibus'. est autem notabile alias ne in trimetris quidem fabulae eiusdem inueniri elisionem istam. nam quod uulgo fertur [1270]

tibi illa uirtus, quae tot elisit mala,
tibi cessit uni. primo et ante omnes mihi
fletum abstulisti,

cum merito suspectetur, uide an melius habeant ultima sic 'prima et — ah temnes — mihi fletum abstulisti'. — semel etiam Nemesianus longae iugauit correptam ita [c. 8, 21] 'quare age', semel et Iuuencus [h. e. II, 594] 'quanto igitur' et Arator [epist. ad Parth. 19] 'uidi ego' tum Maximianus [II, 61] 'nec me adeo', denique Octauianus exemplo tali [200]

auro ardet Glauce, Danae corrumpitur auro,
auro emitur Pluton, Phlegethon transcenditur auro,
proditur Amphiaraus atque Hector uenditur auro.

sed enim his uersibus — quos Columbanum in epistula ad Fedolium imitari tam certumst quam mirum — multiplicato auri uocabulo paratur uenia elisionis durioris. praeterea Corippi sunt haec [paneg. Anast. 38. pan. Iust. IV, 320] 'in te oculos' 'quod se humilem' et Homeri Latini [587. 643. 733] 'ergo ubi' 'ultro etiam' 'praeda umeros' deinde Columellae [35. 230. 294] bis 'quare age' semel 'ergo age', quod tamen exemplum minus firmumst. deinceps habes apud Lucanum [III, 676. VIII, 289. VI, 795. IX, 133] 'multi inopes quare agite' bis 'uidi ego'. itaque et apud Martialem [I, 58, 2. V, 79, 5. VI, 44, 5. VII, 18, 14. II, 40, 2. II, 74, 6] 'risi ego quare ego at si ego et si adeo

noui hominis hos illi amicos'. at ceterorum in carminibus notabilia inueni haec. igitur Horatius in saturis et epistulis cum saepe adhibeat elisionem de qua dicitur, eandem in melicis et iambicis admisit quater [III, 4, 17. 31. 5, 21. 27, 22], porro Tullius semel secundo pede sed subiecto nomine proprio 'at propter se Aquila' [arat. 87] tum Petronius in hexametris numquam praeter primum pedem longam cum breui copulat [d. b. c. 93. 110. 146, 1 Mey.]. idem semel aliter in iambis [Tr. hal. 10]

equi recessus Danai et in noto latent.

porro Sammonicus pedibus hexametri primo et quarto admisit elisionem longae in arsi [1040. 1081. 769]. at idem minime pauxit uersum talem [128]

atque palato agitat pariter retinensque uomensque,

cuius in fine locandum esse palato satis bene indicatur libro Turicensi, in quo legitur

palatoque agitat pariter retinensque uomensque.

porro Iuuenalis cum in prima parte habeat [1, 73. 6, 50. 14, 76] 'aude aliquid paucae adeo illi eadem', semel [10, 333] secunda sede eandem synizesin admisit sed ita 'Messalinae oculis'. deinde Terentianus non iunxit productas et breues, nisi posterius uerbum esset aut technicum aut certe oriundum ea uocali qua desineret prius. cuius sunt haec [348. 579. 1706. 2210. 2251. 2323] 'duxi in hoc de eadem qui in ullam uni iambo secundo iambum uersu iambi'. itaque in illis [440, 1] 'δεῖμος inde sic notamus, quia δέος depreuditur. inde *Μήδειαν* oportet scribere isdem litteris' ad explendum metrum non ponemus *Μήδειαν* te sed *Μήδειαν*que. praeterea Priscianus dixit fine uersus [592] 'flectenti Aquilonis ab oris'. denique Sedulius semel extra primum pedem sed scilicet in dictione biblica copulauit longam cum breui ita [II, 221]

humanas piscari animas quae lubrica mundi.

at laxioribus usi legibus auctores hanc tenuere normam, ut potius in secunda quam in tertia aut quinta sede hexametri eliderent breues. ceterum omnino minor longe numerus exemplorum apud posteriores fuit quam apud Vergilium. ueluti Silius uiciens sexiens longas copulauit cum breui et quidem deciens octiens in prima sede quinquiens in quarta ter in secunda. at Valerius Flaccus inter exempla XV habet nouem in primo pede quattuor in secundo duo in tertio. denique Statius qui triciens nouiens artem migrauit, bis tantum in tertia thesi numquam in quinta elisit longas se-

quente correpta. non absurdum erit in hac parte disputationis addidisse de aduerbiis, quae sunt magno opere maximo opere summo opere, partium in unum iugatarum exempla firma non inueniri at certissima separatarum. ita, scaenicorum uersus ut mittam, habes apud Gellium [XI, 9, 1] 'legatos uenisse magnoque opere orasse'. quare quod semel aut bis in codicibus omittitur altera o, errore id facillimo quidem sed utique falso accidit.

Porro scite perspexit Froehdius meus, quae iambicis in longa elidendis euenere obseruantiae, eas quadamtenus pertinere ad spondiaca. scilicet perfectissimus quisque poetarum acriter cauerunt, ne uocabula ista in arsi cum acuta copularent syllaba exceptis tamen plerumque particulis inflexibilibus et siquae accedunt ad horum frequentiam. deinde uariae uersus heroici partes diuersam cum haberent libertatem, longe saepius in quintam arsin quam in quartam aut secundam admisere elisionem istam. minime omnium tertia eidem patuit, quoniam semiseptenariam incisionem finita in tertio trochaeo uoce interruptam qualicumque inelegantia destrui nefas.

Igitur omnino abstinuerunt spondiaca in longa acuta elidendo Tibullus cum Sulpicia Ouidius extra metamorphoses auctor nucis Calpurnius laudator Pisonis Merobaudes Nemesianus Palladius Symposius Boethius Auianus Eugenius scriptores peruigilii Veneris et elegiarum de Maecenate. etenim quae apud Nasonem feruntur [am. II, 19, 19]

tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos,
saepe time insidias, saepe rogata nega,
et sine me ante tuos proiectum in limine postis
longa pruinosa frigora nocte pati,

ea sensu pariter metroque esse inepta et aliena ab Ouidio ut olim iudicaui [philol. XI, 87] ita nunc asserimus. praeterea alii sustinuerunt equidem longas in arsi et acuta syllaba elidere uerum rarissime. ita semel dixit Homerus Latinus [826] 'celeri excipit ictu' semel Gratius [392] 'ergo insita ferro' semel auctor Aetnae [287] 'in se abstrahat auras' itaque Arator [II, 221] 'fili optime Dauid' bis Lucanus [III, 14. V, 584] 'uidi ipsa tenentes coeli iste fretique' ter Claudianus [22, 31. 26, 11. 45, 42] 'sese omnibus actis quod si ardua Tiphyn sese utitur arcu' ter Sedulius [c. p. II, 203. III, 144. V, 377] 'tu te adseris inquit fili inclite Dauid sese intulit atque foratas' quater Ouidius in trans-

formationibus [XV, 814. XII, 241. XIII, 97. II, 107] 'legi ipse animoque notaui' 'uno ore arma arma locuntur' 'atque Aiax armis non Aiaci arma petuntur' 'aureus axis erat temo aureus aurea summae'. longe saepius a Vergilio et asseclis huius ea lex desertast sed ratione fere eadem.

Praeterea quae modo de iambicis creticisque ac spondiacis uerbis imminuendis exposuimus ea etiam ad pyrrhichiaca et dactylica ac trochaica quae in m exeunt pertinere idem intellexit Froehdius. igitur dactylica qualia sunt ardunm militum plurimum timuerunt cum uocalibus committere Tibullus Gratius Columella Homerus Latinus scriptores Aetnae et nucis et elegiarum de Maecenate Seneca in choricis Calpurnius laudator Pisonis auctores priapeorum Sulpicia Petronius Nemesianus Sammonicus Claudianus Merobaudes Palladius Namatianus Symposius auctores laudium Herculis et peruigilii Veneris Boethius Auianus Martianus Arator Eugenius Octauianus alii. praeterea ab Augusti certe aetate uel durioribus qui usi normis rarissime tamen admisere elisionem de qua agitur nec fere extra primum uel quintum pedem. itaque ter eadem st usus Catullus in hexametris [64, 211. 359. 366] 'sospitem Erechtheum corporum aceruis copiam Achinis' bis Ouidius [am. III, 6, 101. met. VI, 524] 'fluminum amores uirginem et unam' bis Iuuenalis [6, 151. 14, 73] 'quantulum in hoc plurimum enim' semel Lucanus [I, 231] 'Ariminum et ignes'. at male habet quod apud Statium fertur [theb. IV, 464] 'praelibat sanguinem et omnes', cum recte tradatur sanguen libro Barthii optimo atque item codice Puteaneo. nam nec alibi apud Statium eiusdem prauitatis exempla occurrere memini. at in pyrrhichiacis elidendis pro diuersitate condicionum uarii optinent moduli. nam particulae inflexibiles cum liberius habeantur, nomina et uerba non perinde sustinuerunt imminuere in breui qualicumque uel acuta longa. quare quod apud Horatium legitur 'nec modum habet' et 'in diem et horam' et apud Nasonem 'ipse feram ante tuos', non facile apud classicorum insequentes reperientur similia praeter logaoedica metra et iambica, quibus tamen ipsis eueniunt rarissime. quippe apud Statium in illis [theb. V, 456] 'scit cura deum etsi blandus Iason uirginibus dare uincla nouis', duarum uocum instar est etsi. contra particulae quales sunt enim quidem inueniuntur apud plerosque cum breui aut acuta copulata — quamuis alii uel hac omnino abstineant collisione — sed ferme

in primo choriambo uel aliquando in pede quinto siue insequente uocali eadem. his addam simillimas fuisse obseruantias in elidendis dactylicis et pyrrhichiacis eis, quae in a uel o excurrunt. nam in i uel e desinentia quae uocales sunt admodum tenues aliquanto saepius imminuuntur. itaque notandumst plerisque auctorum pyrrhichiaca aut dactylica in a exeuntia praeter nomina propria non iugari cum breui, nisi aut in prima sede uersus aut sequente etiam a. quorum in numero fuerunt Catullus in hexametris Cato Tibullus Ouidius Gratius auctor Aetnae Homerus Latinus Seneca in choricis Sulpicia Lucanus Claudianus Merobaudes Corippus in laudibus Iustini Sidonius Sedulius. nam apud Lucanum quod legitur [I, 487] 'sed curia et ipsi', nominis proprii instar est curia. in Ouidii libris quae feruntur diuersa a lege modo proposita, ea uero sunt falsa et aliena a memoria codicum ueterum. nam scribendumst in epistula Medeae [XII, 65]

orat opem Minyis. petit altera, at altera habebat,

in secundo librorum ex Ponto [4, 7] cum uulgo feratur

ante oculos nostros tua enim est tua semper imago,

ponendumst tua adest, nisi propius a uero absit uiuast. porro apud Homerum Latinum non habet recte quod est in codice Erfurtensi [599] 'concretaque fulmina et ignes', sed secuti illud quod libri Leidensis et Burmannianus exhibere uidentur 'concreta fulguraque ignes' scribemus siue concreti fulguraque ignis seu concreto fulguraque igne. ceterum quidam ex illis quos supra enumeraui rarissime utuntur elisione uel ista. praeterea semel in quarto pede Petronius synizesim de qua agitur nulla mitigatam excusatione admisisse uidetur ita [de bell. ciu. 14]

quaeritur in siluis Mauris fera et ultimus Hammon.

deinde idem auctores plerumque timuerunt pyrrhichiaca et dactylica quae in a breuem exeunt acutae syllabae copulare praeter arsin secundam uel uocibus inflexibilibus. iam dactylica et pyrrhichiaca in o exeuntia quae ab Augusti aetate potissimum prouenerunt uarias ob causas etiam haberi seuerius uerumst praeter illa antiquitus correpta et plurimo usu trita cito modo duo ego. sed non placet multiplicatis exemplis et nimia diligentia intercipientem quasi in spicis posterorum studia metrica ingratissimum philologorum genus iuuare ultro. quin potius pro se quisque propriis anquiret curis quatenus leges illae quas plurimo usu carminum Latinorum imbuti inuenimus ad singulos auctores pertineant. addam tamen

omnino uitasse elisionem qualemcunque dactylicorum et pyrrhichiacorum in m a o exeuntium qui nucem et peruigilium Veneris scripsere praeterea Palladium Calpurnium laudatorem Pisonis Nemesianum Symposium Boethium Eugenium. denique in trochaicorum uerborum fine sine simplici uocali siue adiecta terminantur m eaedem plerumque quae in spondiacis obseruantiae optinent sed non eadem firmatae seueritate.

At alterum genus synizesis legum a uariis diuersorum metrorum partibus oritur, quae seu liberius habentur siue adstrictius plus minusue admittunt elisionum. etenim cum haud dubie facta synizesi rythmus interrumpatur, eo minus eam oportet adhiberi, ubicumque molles nec impeditos intersit fluere numeros. itaque ut conuenit eis, quae secundo libro retuli, locus erit elisionibus longe magis circa principia ordinis metrici quam circa fines. quae tamen lex ut recte percipiatur, duas statim subiciemus obseruantias. primum enim quamquam initia uersuum ac numerorum maxima frui licentia uerumst, tamen in prima omnium syllaba elisione admissa obscurari rythmos simplicis iudicii elegantia et poetarum consensu uetatur. porro cum synizesi iugata quadamtenus coalescant, non erit mirum adhiberi plerumque a poetis synhaeresim orationis partibus eis, quae, cum natura sua ad insequentia tendant, potiore tamen longe rythmorum lege, de quorum potentia superiore uolumine memoraui, arte sint nectenda prioribus. unde iam aperte apparebit, cur poetarum quicumque amauerunt in tertia arsi collocare monosyllabas aut praepositiones aut coniunctiones, eas elisione sint soliti iugare cum praecedentibus ad modum Vergiliani 'uela dabant laeti et spumas salis aere ruebant'. iam quo quis auctorum magis anxius obseruandis elisionum legibus quas priore parte disputationis exposui, eo curatius intra fines modo indicatos omnem continuere synizesim. qua in re ipsa memorabilis Vergilii Ouidiique artis apparet differentia. mox horum alterutrum secuti posteriores.

Igitur prima arsi hexametri pentametrine cum non multis exemplis admissa esset synizesis ab Ennio Lucilio Lucretio Catullo Horatio in saturis [uide Froehd. philol. XI, 533], media quidem plerumque uocali elisa aut longa sequente eadem, in reliquis classicorum poetarum libris haec tantum inueniuntur similis inelegantiae exempla. habes in eclogis Maronis [3, 48] 'si ad uitulam spectas, nihil est quod pocula laudes' et in eiusdem catalectis [1,

4] 'si occulitur, longest tangere quod nequeas' porro in Ciri [294] 'te erepta o Britomarti mei spes una sepulchri' deinde bis apud Persium iure satirico haec [5, 127. 159] 'si increpuit nam et luctata'. tum apud Terentianum [1090. 1974] 'quia et uariis nam et melius' idem paucissimis exemplis admisere carminibus Ausonius [parent. 8, 18] Paulinus [21, 608. 27, 137] Martianus [III, 262, 4. VIIII, 888, 19. 907, 9. 908, 26] Luxorius [372. 4], at arcuerunt Auienus Prudentius Sedulius Auianus Arator Sidonius Priscianus Maximianus Boethius alii. quae cum ita sint, non erit satis dignum Auiano quod tribuit illi Lachmannus [28, 12] 'quam in domini aura ferens ora sequentis agat' sed magis hoc 'quam ferus in domini corpora uectus agat'. est autem in codicibus 'quam ferus in domini ora sequentis agat'. nam nec Corippus in laudibus Iustini scripsit [I, 46] 'te exspectat Iustine dies, tu proximus heres', scripsit 'te spectat', sicut Reposianus in carmine de adulterio Veneris [154] 'te spectat lacrimans, castum tibi seruat amorem' [cf. et Coripp. laud. Iust. I, 350]. — at iambicis et logaoedicis metris cum Catullus etiam admisisset in prima syllaba synhaeresin illam, Horatius cum cura euitauit praeterquam ubi praecederet uersus hypercatalectus. hunc secuti Seneca et Petronius extra trimetros Martialis auctores priapeorum Statius Claudianus Merobaudes auctor peruigilii Prudentius Sedulius Sidonius Boethius Luxorius, at illum Seneca in diuerbiis Petronius in troicis Terentianus Ausonius Paulinus Martianus, sed paucis pariter cuncti exemplis.

Iam de hypermetris uersibus acturi primum omnium spernemus magistrorum ueterum eos, qui re uera putarunt uersus longiores aequo reperiri in metro, nec timebimus eis accedere, quos dicit Marius Plotius [2628] imperitissimos et omni arte metrica separatos hebetudine quadam deceptos sequenti uersui iungere syllabam abundantem. nam qui uersus a iusta mensura alienos neglegentia siue inscitia composuerit quorum ego legi libros auctorum ueterum nullum inueni praeter Audacem quendam nimium audacem, cui hexametrum septem pedibus constantem exprobrauit Augustinus [Wernsd. poet. Lat. min. IV, 514]. at Vergilium qui crediderunt non morte prohibitum sed ut re inopinata nouisque facetiis captaret animos lectorum reliquisse in aeneide uersus imperfectos non sunt digni qui refellantur. quippe Senecae iambi quidam non pleni [Thyest. 100. Phoen. 319. Hipp. 605. Troad. 1103]

minus oratione grauiter commota quam scaenica licentia euenere. — sed ut mittamus ridicula, in systematis synaphia iunctis copulari finalem syllabam metri cum principio insequentis tam diu fuit usitatum, donec horum etiam uersus habiti sunt pro asynartetis. quare quod et in glyconica stropha et in sapphica Catullus et Horatius breui plerumque aut media syllaba finitos admiserunt uersus hypercatalectos — huius praeterea similia haec sunt 'cur facundo parum decoro inter uerba cadit lingua silentio' et alibi 'sors exitura et nos in aeternum exilium impositura cymbae' porro 'cum pace delabentis Etruscum in mare nunc lapides adesos' —, nullo iam pacto erit mirum. sed enim apud insequentes propter rationes libro primo expositas frustra simile quaesiueris. a talibus autem placitis longe diuersi sunt hexametri synizesi nexi. de quibus ut nec Wagnerus [ad Verg. georg. II, 69] nec Lachmannus [p. 81] satis recte firmiterque indicarent, inde euenit, quod fugerat utrumque hexameter Callimachi et ipse hypercatalectus, qui ut Ernestum Leutschium uirum doctissimum ita memet ipsum aduertit. legitur autem in Callimachi epigrammate hoc [43]

ἥμισύ μευ ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον, ἥμισυ δ' οὐκ οἶδ'
εἴτ' ἔρος εἴτ' ἀΐδης ἥρπασε, πλὴν ἀφανές.

quod cum ita sit, non potest dubitari, quin Alexandrinorum aemulatione et praue intellecto illo *εὐρύοπα Ζῆν*, quod ter apud Homerum semel apud Hesiodum inuenitur in fine uersus sequente uocali, hexametri elisione iuncti euenerint apud Romanos, illud potius ut debeat quaeri, quanam excusatione stent hypercatalecti trimetri tragicorum Graecorum. quibus similes uersus quod Lachmannus tribuit Terentio et Pacuuio, non probata res Bothio et Fleckeiseno. sed ut redeam in uiam, cum scholastica ineptorum exemplorum imitatione ortus sit usus hexametrorum nexorum synhaeresi, perdent oleum et operam qui ludibrii inficeti suptilius computarint rationes. quare quod Lachmannus illa synizesi unum metrum e duobus oriri statuit, non possum ei accedere, primum quia iniecto tali turbatur ueteris artis concinnitas, deinde quia dodecametri illi omnino longiores sunt aequo et ab omni lepore uacui. igitur quamquam apparet hexametros elisione coeuntes aliquo inter se uinculo cohaerere, tamen pro se utrumque dicemus proprias explere uices, plane sicut manent integrae et diuisae partes metri, etiamsi uerbi eius in quo fit caesura eliditur ultima. ceterum cum

plurimum optineret apud Latinos opinio spondeum potius quam trochaeum conuenire ultimae sedi hexametri, non erit mirum in uersibus synizesi coalitis prioris numeri ut non iam per se solum constantis syllabam paenultimam semper seruari longam. porro plurimum refert ne sensus intersitio longiore diuidantur hexametri elisione nexi, cum uel sic aegre coeant. quare in fine enuntiati ponere uersus hypermetros unus ausus est Vergilius, cuius sunt haec

pugnent ipsique nepotesque. —
haec ait et partes animum dimittit in omnes

et alibi

se satis ambobus Teucrisque uenire Latinisque. —
haec ubi dicta dedit diuosque in uota uocauit.

et porro

clamore incendunt caelum Troesque Latinique.
aduolat Aeneas.

praeterea notandum semper concludi uersum priorem particula enclitica coniunctiua exceptis binis Maronis hexametris qui sic exeunt 'decoquit humorem' 'tecta Latinorum' et singulis Lucretii et Horatii qui finiuntur 'concurrere debere' 'rusue peregreue'. ceterum pulchre ac decore usus est hypermetris numeris Maro cum alibi tum in sexto aeneidos in hunc modum

quos super atra silex iam iam lapsura cadentique
imminet adsimilis,

in quibus metro aegre stante quasi uiua exprimitur imago saxi ruinam minitantis. — igitur hypercatalectos uersus cum primus admisisset Lucilius ita 'magna ossa lacertique apparent hominis', semel adhibuit Lucretius [V, 846] porro singulis locis in hexametris pariter ac distichis Catullus [64, 298. 115, 5] deinde bis Horatius in sermonibus [I, 4, 96. 6, 102] tum Vergilius haud ita raro in georgicis et aeneide denique huius aemulatione Ouidius in transformationibus sed hic rarissime [IV, 11. 780. VI, 507]. uerum post Augusti tempus id genus elisionis plane usurpari desitumst praeter unum exemplum Valerii Flacci [IV, 293]. porro e christianis non scripsit Ausonius [de rat. dier. ann. uert. 7] 'cursu peragit sol aureus altero autumni aestatisque simul confinia miscens', scripsit altro. nec magis hypermetros numeros admisit Maximianus, quos tribuit ei Wernsdorfius [5, 11. 113]. memini tamen Bedam [2371] afferre Paulini, ut dicit, metrum tale

quae decus omne operum perimebant improba foedaque
obice prospectum caecantia.

quem secutus modulum auctor libri in genesin hoc probauit [225]

tresque creat natos Setum Chamumque Iafetumque
in numerum solitos mollitum tundere ferrum.

Sed iam transeamus ad elisionem in ultima uersus syllaba euenientem. quae quam dura sit uisa omnino Latinis, inde apparet, quod nec Plautus eam adhibuit sine cautione et Terentius ita tantum ut sequeretur aut interiectio aut pronomen hic. a qua norma quae differunt emendando sunt tollenda, scribendumquest in Andria [950] 'dos Pamphilest' in Phormione [421] 'nobis Demiphost' [742] 'quid non obsecro's' [786] 'dudum opitulata's' atque item [965] 'bono animo's' tum in Hecyra [681] 'nactus alteram's' in adelphis [394] 'nil nisi sapientia's' et porro [543] 'quin tu animo bono's' et alibi [989] 'uobis mea uita inuisa Aeschinest' denique in eunucho [84. 896] 'bono animo's' et ibidem 'quam tu rem actura obsecro's'. in hexametri sedem ultimam qui sustinuerit admittere elisionem non inueni classicorum quemquam praeter Lucilium [XIV, 4. lib. inc. 6] et Horatium. etenim quod haec leguntur Vergilium apud [aen. VIIII, 57. 440] et Silium [IX, 35] in exitu metri 'huc turbidus atque huc' 'hinc comminus atque hinc' 'ruite ocius atque hunc', iam supra dixi in particulis breui e finitis extrusam esse et pedestri oratione ultimam sequente uocali. quamquam ne hoc quidem quisquamst imitatus posteriorum. itaque omnino ubi in hexametri sexta thesi iam adhibita fuerit synizesis non inuenio praeter hunc uersum Ausonii [technop. de litter. monos. 3] 'ἦτα quod Aeolidum quodque ε ualet, hoc Latiare e'. at pessime habet quod in Martiani libro dedit Koppius [II, 116, 5]

tunc candens tenero glaciatur rore pruina et
matutina greges quatiunt in pascua caulas.

quibus non stabunt numeri, nisi copula ad sequentem uersum adsumetur. — deinde non adhiberi in pentametri exitu synizesin ostendit Lachmannus, quae non magis iamborum aut trochaeorum fine permittitur. nam quod habes apud Horatium 'urget diem nox et dies noctem neque est leuare tenta spiritu praecordia' amittit neque sicut atque finalem addita uocali. contra in systematis peruiis synaphiae tam diu licuit admitti in fine uersuum elisionem, donec ualuit uis synaphiae, quae post Horatii tempus cum

desisset, non magis in sapphici uel glyconici metri finem quam hexametri aut pentametri exitum iam receptast synhaeresis. quod quo plenius appareat, addam migratae ubicumque legis huius quae extant exempla paucissima. igitur Octauiae auctor in monometris anapaesticis admisit haec [9. 298]

granior namque his.
paterere graue aut.

apud Prudentium semel habes in fine metri sapphici factam synchysin ita [cath. 8, 19]

lactat hortatu, leuis obsequella ut
mulceat artus.

tum Ausonii haec sunt [prof. burdig. 4, 21]

laetus pudicus pulcher in senio quoque ut

et Paulini [10, 37. 24, 167. 24, 492]

quam uis sophorum callida arsque rhetorum et
qui tunc remoto fessus in prorae sinu et
secretum ab igne diuitum et

denique Sidonii [ep. VIII, 11, 35]

dic. iam nunc aderit. satis facetum et.

ceterum non magis placet asynartetorum prioris partis fini addi synizesin.

Iam ut cetera persequamur, ea lex est hexametri — quam quo quisque ad perfectae elegantiae normam propius accessit eo seruauere curatius —, incisione ut semiquinaria optinente quoduis genus elisionum et prima thesi et secunda arsi et toto pede quarto optinere liceat. quam imminui libertatem uerumst, quandocumque cum trithemimeri hephthemimeris uersum diuidit. praeterea memorandum facilius secunda thesi quam tertia et arsi tertia quam sexta admitti synizesin. at enim quod in quinti pedis prima syllaba ac tertia saepe adhibetur elisio, id uero a natura eius uenit dactylica, quam ut implerent, plurimum imminui eiusdem seueritatem aequum fuit. igitur diligentissimus quisque poetarum elisionem longae aut mediae syllabae intra primum choriambum et quartum pedem, ut carerent tamen hae partes caesura, consistere noluerunt. quorum in numero fuere hi Calpurnius laudator Pisonis auctores ciris et elegiarum de morte Maecenatis Petronius extra bellum ciuile Seneca Nemesianus Palladius Symposius Namatianus scriptores laudium Herculis ac phoenicis Auianus Boethius Eugenius. etenim quod fertur in carmine priore de Maecenate [81] 'quis

fore credebat premeret cum iam impiger infans hydros', non stat codicum auctoritate, porro in Petronii opusculo quod incipit 'primus in orbe deos fecit timor' [Mey. 145] cum exhibeat liber Scaligeri, qui omnium optimus est, 'proiectum uitium atque error iussit inanis agricolas primos Cereri dare messis honores', scribendum esse aio ut quod unice sententiae conueniat 'porrectum uitiumst', ut praecedentia quae sunt 'mox Phoebus ad ortus' et cetera pertineant ad primi uersus uerbum et plene sit interpungendum ante porrectum. neque uero Namatianus scripsit quod Barthius ei explenda lacuna tribuit [I, 227]

stringimus hinc exesum et fluctu et tempore Castrum

sed potius 'hinc canens'. at reuera sunt eximii uersus Nemesiani [cyneg. 313]

dat Libye magnarum auium foecunda creatrix

et Boethii [III, 9, 5]

materiae fluctantis opus, uerum insita summi.

ex quibus tamen alter praecedente elisam uocem nomine proprio alter aduerbio imminuto excusatur. iam ceteri horum normam diuersa equidem seueritate sed simili ratione optinuere. ac primum quidem cauerunt poetae uel minus diligentes, ne a quinta inde thesi longas aut medias eliderent finales. quam secuti sunt normam Cato Tibullus Gratius auctor Aetnae Homerus Latinus Columella Martialis Petronius in bello ciuili Silius Claudianus Sammonicus Martianus Arator Luxorius Maximianus Corippus in laudibus Iustini. praeterea notandi, qui, ut semel bisue admiserunt in quinta thesi aut sexta arsi elisionem mediae, ita longae in eisdem partibus studiose euitarunt. quorum e numero fuerunt Lucanus, cuius est [I, 231] 'Ariminum et ignes' Germanicus cuius [arat. 635] 'Oceanum ortu' Valerius qui dixit [VI, 300] 'atque iterum instat' sed statim repetito iterum Statius [theb. I, 41] qui 'immodicum irae' porro Iuuenalis Manilius Catullus in hexametris Sidonius, at qui ne longas quidem post quintam arsin timuerunt imminuere, paucissimis tamen tali insolentiae indulsere exemplis. qua semel usus Ouidius [met. VII, 172] 'ergo ego cuiquam' semel Sedulius [V, 412] 'operario in omni' itaque Priscianus [541] 'insulae Abydi' bis Vergilius [georg. I, 63. aen. XII, 26] 'ergo age terrae hoc animo hauri' bis Prudentius [peri st. 9, 1. 11, 1] 'hoc Itali urbem Romula in urbe'. nam et idem ista uersus sede rarissime imminuere sustinuerunt syllabas medias. quid quod ne bre-

ues quidem finales in sexta arsi elidere plerique ausi sunt praeter particularum inflexibilium eas, quae in e uel i exirent? [cf. Froehd, phil. XI, 542.] — praeterea longe durissimumst in tertia thesi elidi longam aut mediam. nec refert dedecoris, ea synizesis in monosyllabo an in polysyllabo accidat, cum rationes paullo sint diuersae. unde commode usus illa Vergilius in atrocibus rebus aut miraculosis describendis uelut exemplis hisce

quem non incusaui amens hominumque deorumque?
totum cui comminus ensem
condidit adsurgenti et multa morte recepit.
uix haec ediderat, cum effusis imbribus atra
tempestas sine more furit.

nec iniucunde admissa synhaeresis eadem talibus

stant terrae defixae hastae.
stant longis adnixi hastis.

quare auctores plerique synizesi ista aut numquam usi sunt aut perraro. et omnino abstinuere a longa elidenda Tibullus cum suis Propertius Gratius Homerus Latinus Ouidius Columella Lucanus Manilius scriptor Aetnae Martialis Sammonicus Claudianus auctores priapeorum Terentianus Sedulius Arator Maximianus alii. similis optinuit obseruantia in secunda thesi hexametri pentametriue — nam hunc statim addo — remissa quidem paullum seueritate. nam ne in hac quidem longas elidere sustinuerunt Ouidius extra metamorphoses Lygdamus Manilius Homerus Latinus Lucanus Columella scriptores priapeorum Petronius Martialis Sammonicus Sedulius Arator Maximianus. sunt qui rarissime utantur synizesi eadem. semel Tibullus [I, 2, 58] semel Gratius [4] nec saepius Claudianus [5, 215] quater Ouidius in transformationibus [V, 94. 259. XV, 528. 776]. porro quamquam mediae syllabae elisionem non omnino eadem seueritate arcuerunt ab istis uersus partibus, tamen quoquis longarum synizesin accuratius ab eisdem abstinuit, eo infrequentius in m exeuntes sedibus illis sunt imminutae. ceterum quaecumque in tertii ac secundi pedis thesi optinet norma elisionum, ea uero etiam pertinet ad primi et quarti, si cum hephthemimeri trithemimeris optinet. quod si tamen apud unum alterumue auctorem aliquantulum omittitur seueritatis, id uenit cum a libertate ea qua proprie fruuntur pedes illi tum a reliqua incisionum istarum seueritate. ceterum admissa post septimum semipedem elisione longae si pariter post arsin

tertiam finiatur uerbum, melius utique statuetur optinere uirilem semiquinariam, sed non, si eadem sub condicione post tertium trochaeum, optinere eandem muliebrem. iam de elisione in caesura secundi tertiique et quarti pedis admissa haec enotabimus. qui saepe in quinto semipede coniunctiones aut praepositiones monosyllabas collocarunt, eis et saepe sede eadem admissa synizesis. uerum iste mos cum quarto loco non perinde celebretur, haud erit mirum non similem elisionum frequentiam adesse potuisse hephthemimeri. nam omnino quoquis diligentius particulas istas a caesura arcuit, eo minus in eadem admittit elisionem.

Iam pentametri artem enarraturi rursus cancelli in modum retrorsum incedentes prius posteriorem partem scrutabimur, quam longe cultiorem altera plerique si non omnino segregarunt a synizesi, tantum breuium, non longarum aut mediarum uoluere esse peruiam elisioni. quem tenuerunt morem Ouidius cum suis praeter epistulam Acontii auctor elegiarum de Maecenate Martialis Petronius scriptores nucis et priapeorum ac phoenicis Namatianus Palladius Claudianus Auianus Boethius Maximianus Luxorius Arator Sedulius. hi cuncti elisionem breuis si modo ullam admisere — nam et plane abstinuerunt plerique — adhibuerunt perraram et ferme in e uel i. etenim quod legitur in epistula Sapphus [96] 'non ut ames oro, uerum ut amare sinas' non magis est certum probumque quam in libello de Phoenice [134. 150] 'de supera arce solet' et 'se exhibet usque hominum'. at excipiendum fuit, quod bis Martialis in antitheto legem alibi seruatam deseruit [VII, 73, 6] 'quisquis ubique habitat Maxime, nusquam habitat' et porro [X, 41, 4] 'nil mihi respondes? dicam ego. praetor erat'. restat ut enarrem synizesim in quinto sextoue accidentem semipede. cuius speciem utramque ut admisit Catullus ita priorem habes apud Porcium

quaeritis ignem? ite huc. quaeritis? ignis homost

posteriorem apud Tibullum sic [I, 4, 56]

post etiam collo se inplicuisse uolet

et apud Propertium [I, 5, 32. III, 14, 10. IV, 22, 10]

quaerere. non impune illa rogata uenit.
immortalis ero, si altera talis erit.
Herculis Antaeique Hesperidumque choros.

alia autem migratae elegantiae exempla ab Augusti inde aetate iam non reperiuntur classicorum libris. quippe falso probauit

Meyerus in elegia de Maecenate [109, 13] tale 'tu Caesaris almi dextera Romanae et tu uigil urbis eras'. unde quasi corruptae uetustatis specimen irridetur a Martiali illud [XI, 90, 4] 'Lucili Columella hic situ' Metrophanes'. — e christianis itidem abstinuere elisione ista Terentianus Boethius Prudentius Sedulius Arator Sidonius Auianus Luxorius Eugenius, usi sunt sed rarissime Ausonius Paulinus Martianus.

Porro in reliquis metris eadem plane licentia aut modestia elisionum optinet quae in hexametro pentametroue, ut primae partes mediis mediae ultimis habeantur liberius. ueluti ut hoc exemplo utar ab auctoribus optimis iamborum in ultima thesi elisio nisi breuis eiusque rarissime non facile admittitur. sed ut cetera exequar, quod trimetris permultas elisiones indidit Seneca, id uero non insigni quadam illorum oritur libertate sed multitudine uersuum et licentia scaenica. nec, quod idem quintae potissimum arsi trimetri admittit synizesis frequentiam, arcana quadam causa et remota sed satis simplici illa effectumst, quod paenultimam sedem spondeo semper aut anapaesto exclusis ceteris modulis constare opus est. cui simillimam heroico metro supra obseruauimus licentiam. denique in Aeolensium metris praeter hendecasyllabum sapphicum cum Horatius haud raro locis circa caesuram sitis synchysin uocalium adhibuisset, id sequentes studiose euitarunt. ueluti Statius numquam aut in quinta syllaba aut in sexta uersus sapphici uel alcaici admittit synizesin, quem sequitur Prudentius excepto hoc uersu [peri st. 4, 62] 'ipsa uix Roma in solio locata'. idem non magis quam ceterorum plerique omnes sustinuere elidendo comminuere mediam partem metri asclepiadei minoris. et ita optinuit apud posteriores, quod uel durissimi poetae raro migrarunt placitum, omnino si admitteretur synizesis circum Aeolicorum metrorum caesuras certe ne longa aut media imminueretur nisi concessa legitime uenia. nam Senecae Hippolyto [768] quod praebet liber Mediceus 'languescunt folio ut lilia pallido', illud ut recte iam damnatumst a Gronouio.

Sed elisionis Latinae plene persecuturum suptilitatem cito dies deficiet. quare iam pariter et excerptis nostris et lectorum parcemus taedio. nam et magis timemus diligentia nimia offendere ingeniosos homines quam nimia neglegentia morosos.

Verum priusquam hiatus exempla expediamus, de imminutis copulae formis quae sunt est uel es pauca proferemus. ac pri-

mum quidem quod negat Ritschelius secundae personae truncari uocalem praecedente m, mihi rem non probauit, cum nec ratio appareat praecepti huius — nam duriora sunt uelut magnumst dignumst quam magnum's dignum's — et certum sit obseruantiis metricis dixisse Terentium [Hecyr. 681] alteram's et Propertium [IV, 23, 12] quoniam's et Martialem [VIII, 40, 6] lignum's. contra satis liquido apparet, cur ne potuerit quidem saepe es truncatum syllabae in m exeunti accedere. iam cum uulgo existimetur saepe equidem imminui illud est, at alterum es rarissime, ego maximo opere affirmo prius quidem semper fuisse truncatum poetarum ut scaenicorum ita dactylicorum usu praeterquam ubi in capite consistit seu sententiae siue ordinis metrici, hoc autem minime infrequenter. ac primum quidem cum propter regulas elisionum modo propositas innumeris exemplis oporteat truncari est, apparet mehercule per omnia deinceps tempora usitatissimum fuisse morem litterae primae abiciendae. uerum enimuero cum certum sit ne duriores quidem poetarum dactylicorum ita fauisse elisioni, ut eam arriperent potius cupide quam uersus necessitate tolerarent, nonne plurimos implebit numeros probabilitatis poetas synizesi uitandae admisisse auxilium, quod uulgatissimus usus et consuetudo ipsis a prima inde aetate exercita suppeditaret? quid dicam de illis, qui certissimum cauendae elisionis prae se ferunt studium? quos et ipsos crassa Minerua siquis statuerit adsumpsisse formam ampliorem, id ne memoria quidem erit dignum. porro cum sat constet amare ualde poetas tertiae personae uerbum substantiuum collocare post uocales, ne huius quidem rei apparebit ratio nisi truncari statuerimus copulam. — iam codicum auctoritate non firmius immunictur plenum est quam semianimis aut seminstulatus. primum enim codicibus uel antiquissimis mira optinet in hac parte uarietas, deinde ut iam supra memoraui haudquaquam certumst Romanos omnes litteras sono quas scriptura expressisse. ceterum ad extrema usque imperii tempora demptae aperte uocalis non desunt exempla. ita habes in cynegeticis Nemesiani [13] facilest et apud Paulinum [21, 217] minorest apud Luxorium [339, 6] palmast porro alia alibi. ceterum barbaros doctores Bedam et Consentium secuti quin reiciant nostra placita non moror. nam sane ille cum recte testetur [10. 35] in Vergilii hisce 'nec non aurumque animusque Latino est' et 'quam longa est' subtrahendum e, in eiusdem auctoris metro tali 'mu-

tatae agnoscunt excussaque pectore Iuno est' uult Iunoni demi finalem [35]. cui similis Beda habet haec [2369] 'arta uia est, uerae quae ducit ad atria uitae scanditur ita. arta ui dactylus, est ue spondeus intercepta a syllaba quae per synaliphani absumitur'. talia autem non maioris sunt momenti quam quod carminibus rythmicis itidem plenum habetur est uelut sic [Dan. I, 67, 1. 76, 10. 87, 33] 'meridie orandum est praedixerant quod factum est uirtus ex alto data est'. at secundae personae uerbum tantum abest ut semper esse imminutum a dactylicis statuam, ut ne scaenicos quidem numquam longiore forma usos existimem. ueluti non capio, quomodo possit stare uersus Plauti talis [mil. glor. 625], qualem probauit Ritschelius 'nil amas, umbra's amantum magis quam amator Pleusicles', cum umbra's non minus debeat explere trochaeum quam alias naufraga's dactylum. quare et hic integrum seruandum illud es et haud dubie alibi. at si non semper, longe tamen saepius quam placuit Lachmanno [p. 67] imminuitur idem. ueluti rationibus metricis firmiter probatur Martialem dixisse non uetula's modo et fatua's et homo's [Lachm. l. l.] sed praeterea [I, 64, 4. VIII, 79, 5] puella's [I, 72, 7. III, 44, 4] poeta's [II, 28, 5] ergo's [II, 33, 1—3] calua's rufa's lusca's [III, 72, 7] nuda's [IV, 7, 4] longa's [V, 16, 2] causa's [VII, 18, 14] muta's [X, 39, 2] nata's. porro Nasoni [philol. XI, 69] uindicandumst ubi's longa's placita's. neque minus certumst apocope usos dixisse Propertium [III, 33, 21] dolori's auctorem carminis de Maeuio [820, 28] telo's Catullum [66, 27. 29. 110. 3] adepta's locuta's inimica's. quid quod hunc in glyconicis ad Dianam [34, 23] sine ulla metrica necessitate solita's potius posuisse quam solita es satis constat eo, quod Santenii codice habetur solitas es? et nequis ultimis temporibus insolitam fuisse formam breuiorem existimet, habes apud Prudentium [p. st. 10, 789] munere's, apud Paulinum [26, 282] propago's apud Sidonium [paneg. Au. 429] in actu's apud Martianum [I, 1, 9] cura's [III, 222, 32] promissi's alibi alia. ceterum etsi credibilest ut uitaretur ambiguum non fuisse expressam plerumque scriptura formam breuiatam, tamen ne diuersi quidem moduli exempla desunt. ita ut alia mittam, Catullum [66, 27] et Octauium [204] eodem quo pronuntiarunt modo scripsisse illa adepta's naufraga's apparet inde, quod traditumst antiquitus adeptus et naufragus.

Neque inepte hoc loco de minutis dicetur iste ipse. igitur

sicut Horatius in epistulis dixit modo sto pro isto, e stoc pro eo quod est ex istoc habes in uersibus Lucilii seruatis a Nonio s. l. poesis et poema [p. 428], quos emendatos adscribi placuit, ut non sine summa uoluptate uulgatae traditionis scabritiem cum hoc nitore posses comparare. sunt autem tales

non haec quid ualeant quidue hoc inter sit et illud
cognoscis? primum quod dicimus esse poema,
pars est parua poema. idem ....
.. epistula item quaeuis non magna poemast
illa, poesis opus totum, ut tota Ilias una
est thesis annalesque Enni. atque e stoc liber unus
est maius multo quam quod dixi ante poema.
quapropter dico 'nemo qui culpat Homerum
perpetuom culpat neque quod dixi ante poesin,
uerum unum culpat uerbum enthymema locumue'

praeterea quod in sexto aeneidos [389] habet liber Mediceus 'fare age quid uenias iam stinc et comprime gressum', non errore quodam aut neglegentia ortum esse stinc altero potest probari testimonio. etenim in Hosidii Medea centone Vergiliano eiusdem illius uersus [194] pars postrema talis cum feratur 'iam stinget comprome gressum', facile etiam agnoscetur stinc. denique iam supra Sedulio uindicauimus stic pro istic. contra ipse non iam inuenitur concisum in libris dactylicorum praeter illud Ennii [372] 'quo res sapsa loco'. quod quidem solo casu putamus euenisse, cum et ratio eadem sit uocalis primae quae in isto et satis constet dixisse sicut Plautum [Men. 637] campsus etiam Tullium [de rep. III, 8. Sen. ep. mor. 108, 32] sepse et reapse alios eapse [Paul. p. 77]. certe illud sat multos implet numeros probabilitatis praecedente i nec in ipso nec in isto exauditam fuisse initialem. ceterum similiter pronominis quod est ille absumptam esse plerumque syllabam priorem cum Romanicarum linguarum docemur formis tum hoc uersu Afranii [Non. p. 343] 'immo li mitem faxo faciant fustibus'. quid quod alienam omnino Ismaeli nominis barbari principalem litteram abicere ausus est auctor libri in genesin [531] hoc uersu

quin etiam patria Smaelus pro prece diues.

Iam de omissa ut agam elisione, quamquam refert Tullius neminem fuisse Romanorum tam incultum, quin uocales uellet coniungere, tamen rudi etiamtum ciuitate plerumque in saturnio carmine ac modis popularibus admissum hiatum satis constat. sed ubi primum ars inualuit, scaenici communem naturam rythmo-

rum et sermonum nec minus propriam Latinae linguae secuti indolem in fine plerumque siue enuntiati seu metrici ordinis, praeterea in longis seu mediis monosyllabis sequente breui admitti uoluerunt hiatum. cuius tamen exempla apud Plautum longe sunt frequentiora quam apud Terentium. at dactylicorum ut recte perspiciantur rationes, paullo altius repetenda res. ac primum quidem in tanta differentia usus elisionum, quanta oritur a uerborum diuersis spatiis siue tonis, sponte consequitur lex plurimis ualens exemplis, ut, quo sit uox quaeque minus perula synizesi adhibendae, eo magis pateat propria natura permissi alioquin hiatus licentiae. quare non erit mirum, ut his utar exemplis, quod in thesi prompta dihaeresis non spondiacis potius uerbis quam iambicis aut creticis euenit, uel quod improbatur hiatus pari uocali priore et posteriore, quamquam in tot milibus uersuum et parata plerumque aliunde excusatione ne huius quidem exempla desse uerumst. eo ob ipsam deformitatem commode usus Vergilius in re atroci et inmani describenda sic

ter sunt conati inponere Pelio Ossam.
si pereo, hominum manibus periisse iuuabit.

ceterum falsissimumst quod uulgo statuitur interiectiones, quoniam non elidantur ferme apud dactylicos, eximia quadam frui libertate hiandi, quod sic est uerum, ut sane monosyllabae longae uel in arsi uel in thesi maneant integrae, sicuti Terentianus uocalium uel breuium notas ponit productas sequente uocali. sed neque correptionem patiuntur illae magis ceteris, nec ulla omnino disyllabae libertate fruuntur quae non pertineat ad reliquas orationis partes. nam quae leguntur apud Catullum 'o Hymen Hymenaee io o Hymen Hymenaee' et apud Nasonem 'et bis io Arethusa uocauit io Arethusa', ea singulari quadam ratione et multiplicatis defenduntur nominibus propriis. praeterea uehementer displicuit uel uetustissimis dactylicorum hiatus talis, quo breuiaretur syllaba non elisa, qualis ubi reperitur Graecorum plerumque prouenit aemulatione. aliquanto patientius omni aetate tulere dihaeresin in arsi admissam, qua longa maneret uocalis prior, quamquam minime probantes Graecorum exemplorum frequentiam. ceterum non recte credentur hiatus licentia uoluisse uti christiani, ubicumque spiritu initio uerbi collocato praecedens seruatur syllaba, quoniam ultimorum temporum magistri eum plerumque consonae uice fungi existimarunt, ut recte staret ars uersu hoc Maximiani [2, 13]

hunc ego dilexi, hic me complexus amauit.

neque tamen thesi praecedente perinde consonae fungitur iure h, licet dixerit Luxorius [344, 13] 'non iam huic ludum sapientum calculus aptet' et alibi [379, 6] 'plus tecto ut uigeat, solet quam horto'. itaque Corippus [laud. Iust. III, 369] 'quoniam deus omnium hic est'. quibus equidem exemplis probatur m in extrema dictione omissam ferme esse temporibus ultimis, sed ut breuis maneret uocalis antecedens.

Superest ut singillatim persequar exempla. igitur non in thesi magis quam in arsi cum dihaeresi ponitur syllaba breuis, ut aliena sint a more permisso Vergilii et Columellae haec [Verg. ecl. 2, 53. aen. I, 405. Colum. 224]

addam cerea pruna. honos erit huic quoque pomo.
et uera incessu patuit dea. ille ubi matrem.
Delie te Paean et te Euhie Euhie Paean.

quae tamen sensus interstitio aut uocabulis propriis mitigantur. contra omni uenia orbum Ausonii [parent. 26, 7] 'ergo commemorata aue maestumque uocata', quod quam recte habeat uiderint alii. nam neque Sidonius scripsit [paneg. Auit. 232] 'nil sine te gessit, cum plurima tu sine illo', scripsit 'tute sine illo', neque Persius [3, 65] 'discite o miseri' aut Luxorius [302, 4] 'magnum deprendere usum'. nec hercule memoria dignumst, quod fertur in futilibus quibusdam Catulli libris 'o factum male o miselle passer' et Horatii 'iam uirum expertae male ominatis' atque item Maronis 'sancta ad uos anima atque istius inscia culpae'. quid quod ne communes quidem syllabas hiare in thesi passi sunt classici? non ut credam posse tolerari quod admisit in culicem [245] Hauptius 'otia quaerentur frustra sibi? ite puellae'. at dactylica aut pyrrhichiaca in m exeuntia cum haud dubie hient exemplis Ennii et Lucilii hisce [486. 336. Luc. I, 20]

dum quidem unus homo Romanu' toga superescit.
insignita fere tum milia militum octo.
praetextae ac tunicae Lydorum opu' sordidum omne,

non erit ineptum Ennio quod ei de coniectura reddemus iam metrum tale

mensam sermonesque suas rerumque suarum
copiam impertit,

pro quo legitur in codicibus Gellii [XII, 4] comitum siue comiter impertit. nam quod Vahleno placuit congeriem partit, absonum esse ne ipse quidem negabit, cum nihil significet congeries nisi

rerum non bene iunctarum discordia semina, qui sensus quam sit alienus a loco isto facile quiuis intelleget. neque enim, si Claudianus Mallium suum dixit sinceram bonorum congeriem, aut ex saeculi quarti quintique p. Ch. n. usu metiemur aequalem Catonis ac Scipionis, aut obliuiscemur quae in Claudiano egregio quidem homine sed paulo tumidiore ut Afro et Nonni populari sint toleranda plerumque ab Ennio esse aliena. ceterum Lucretius licentiam elidendi medias finales in monosyllabis continuit ad exemplum Horatiani 'cocto num adest honor idem'. — at longa syllaba nec ipsa stare potest in thesi cum hiatu nisi ut migret quantitatem. nam quod dixit Vergilius 'Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae', dum timide studet ille uersum praeceptoris Euphorionis *Γλαύκῳ καὶ Νηρῆι καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ* totidem reddere uocibus — unde ne potest quidem esse uerum, quod Wagnerus probat Glaucoque —, certissimas artis Latinae normas pusillis facetiis posthabuit. at apud Lucilium quod legitur '*Τυρῶ* eupatereiam aliquam rem insignem habuisse', licuit in uerbis Graecis et formula Homerica [Od. XI, 235] externigenam normam retineri. nam illud quod grammatici afferunt ut simili insigne licentia 'Musae Aonides', inopia utique exemplorum finxere ipsi. quae cum ita sint, non a metro rectius quam a sensu stabit quod etiamnum plerique tribuunt Horatio 'iam Daedaleo ocior Icaro'. — neque uero corripi potest longa finalis nisi uocum creticarum uel iambicarum sequente longa aut monosyllabarum addita breui. et harum quidem hiatus quauis parte metri potest accidere, reliquarum in prima ferme et quinta sede subsistit. quare male habet apud Propertium quod iam optinet uulgo [III, 33, 31] 'tu quoque o Eurytion uino Centaure peristi', cum sit unice uerum antiquitus traditum 'tuque o', sicut habes alibi etiam in enumeratione sensuum eandem sententiam continuantium [IIII, 19, 21] 'tuque o Minoa uenumdata Scylla figura'. sed conuenienter regulae supra propositae scripsere Ennius [321] 'Scipio inuicte' Lucilius [VII, 1] 'anophele inquit' et alibi [XXX, 48] 'quid seruas quo eam' porro similia Lucretius. at Tullius semel [arat. frag. 21] 'hoc motu radiantis Etesiae in uada ponti'. praeterea dixit Catullus [97, 1] 'non ita me di ament' et in hendecasyllabis [55, 4. 57, 7]

te in circo te in omnibus libellis.
uno in lectulo erudituli ambo.

porro Vergilius similia his exempla ut omittam et iambicas uoces ponit cum hiatu in thesi. praeterea dixit Horatius [serm. I, 9, 38] 'si me amas' atque item ut puto [ep. II, 3, 65]

sterilisue palus diu aptaque remis

tum Propertius [IIII, 11, 17] 'Omphale in tantum' neque aliter circa idem tempus auctor elegiae ad Messallam [61]

si laudem adspirare, humilis si adire Camenas.

uerum enimuero post horum aetatem id genus hiatus adhiberi plane desitumst. itaque Ouidius iuuenili carmine cum admisisset tale [am. II, 13, 21] 'lenis ades precibusque meis faue Ilithyia', postea omnino uitauit similia. nam quae leguntur apud eundem in transformationibus [I, 155. III, 501] 'subiecto Pelio Ossam' et alibi 'dictoque uale uale inquit et Echo', ea uero non proprio auso admisit ille sed aperta aemulatione Vergilii et ut poetae clarissimi licentias lectorum in memoriam reuocaret. sed enim quod licuit admittere aequalem Maroni aut proximum tempore posterior aetas non perinde tulit. quare et Statius cum Claudiano aperta aemulatione Vergiliani illius 'inponere Pelio Ossam' dixere sine hiatu ita [theb. VIII, 78. 21, 12]

faxo haud sit cunctis leuior metus atra mouere
Tartara frondenti quam iungere Pelion Ossae.
promptius imponam glacili Pelion Ossae,

nec minus certumst scripsisse Valerium [I, 664] 'aut Athon aut Rhodopen' non Atho, quod isdem in uerbis a Vergilio uenisse minime incredibilest. nec minore fere auctores christiani istud genus hiatus persecuti sunt odio, perbene ut habeat, quod Beda [2354] postquam enarrauit in confiniis uerborum breuiari plerumque per hiatum longam uocalem addit illud a neotericis correptionem talem eadem potius parte orationis solere admitti. quid autem mirum improbatam licentiam istam, cum plerisque magistrorum uideretur [Terentian. 1652 sq.] in Maronis illis 'insulae Ionio in magno' primum pedem esse creticum, quem heroicus uersus non recipit. igitur timuerunt longas breuiare in thesi Auianus Sidonius Auienus Sedulius Arator Maximianus Luxorius Boethius Prudentius. nam in huius libris normam modo propositam quotiens euertit Obbarius, totiens errore labitur. at e ceteris diuersa potissimum haec notaui. a Prisciano quater insulae semel Gymnesiae correpta ponitur ultima [459. 520. 567. 610. 464]. porro habet Ausonius in praefatione ad Syagrium [39] 'hic ego Ausonius',

cui simile exemplum Sedulium admisisse ita [c. p. I, 305] 'sic ait ipse docens ego in patre et pater in mest' auctor est Beda. numquam uero in uersibus propriis istorum inuenitur hians monosyllabum [contra cf. Auson. epist. 24, 132]. at spondiaca uerba non possunt hiare nisi proprio nomine aut Graeco. enotaui talis dihaeresis exempla quotquot inueni omnia. itaque dixit Ennius [epigr. 1] 'senis Enni imagini' formam' et Vergilius [georg. I, 437] 'Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae' tum Horatius [epod. 5, 100] 'et Esquilinae alites' porro Ausonius [idyll. 18, 8] 'nymphae Hamadryades' et alibi [de rat. dier. ann. uert. 3] 'Phrixeo ab ariete' et Terentianus in trochaeis [410] 'ηὖδα infecto sonat'. praeterea hic post quartam thesin tetrametri trochaici [410. 411. 412. 617. 658] et Martianus in iambici trimetri penthemimeri non nimis raro spondiaca seu trochaica uerba collocant cum hiatu. at hercule Seneca non scripsit [Thyest. 301. Herc. Oet. 1200. Octau. 516]

liberos eius rudes
prece commonebo. hinc uetus regni furor

nec magis

ut telo inclitae
mortis carerem. o ferae uictae ferae

aut illud

tristes Philippi, hausit et Siculum mare,

e quibus primum exemplum supra dedimus emendatum.

Iam de hiatu eo qui fit in arsi dicturus primum omnium monebo non posse dihaeresin fieri in uoce monosyllaba nisi quae nullo pacto possit coire cum sequente uocali. quare congruit equidem arti Lucilii tale [II, 6]

quae ego praecanto nunc Aemilio atque
exigo et excanto.

seu Vergilii mauis 'quid struit aut qua spe inimica in gente moratur'. uerum ubi pro inimica posueris illud hostili, statim uitiosum erit carmen. quamquam Luxorius non intercedo quin admisisse putetur hoc [369, 2]

te pretium, ne te oderis ipsa simul.

Iam Ennius et secuti eum cum alii tum Vergilius quattuor sub condicionibus admisere in arsi dihaeresim, scilicet aut caesura legitima aut sequente nomine proprio uel Graeco aut multiplicatis syllabis breuibus aut interstitio sensus. cuius modi exempla habeto haec

munera sunt lauri et suaue rubens hyacinthus.
promissam eripui genero. arma impia sumpsi.
hanc sine me spem ferre tui. audentior ibo.
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
stant et iuniperi et castaneae hirsutae.
miscent inter sese inimicitiam agitantes.
si pereo, hominum manibus periisse iuuabit.

sed idem non perinde arsis ui sola admisisse uidentur dihaeresim. quam amplexus animo opinionem quamquam minime ignorabam Furii apud Macrobium ferri uersum talem 'dia Mineruа simul autem inuictus Apollo', tamen eum ut aperte corruptum silentio omissurus eram, nisi forte orto sermone Mauricius Hauptius mihi indicasset mirificis quidem ludibriis nuper illum esse exagitatum sed aperta ueritate talem esse profectum ab auctore 'dia Minerua simul simul autem inuictus Apollo'. uerum ceteri classicorum reciso modo tertio et quarto priores tantum adhibuere. nam ne Iuuenalem quidem scripsisse credibilest, quod tribuit ei Heinsius [12, 34] 'qui se eunuchum ipse facit cupiens euadere damno testiculi. adeo medicatum intellegit inguen'. at Ouidii hoc metro [met. III, 183]

qui color infectis aduersi solis ab ictu
nubibus esse solet aut purpureae aurorae

ut solis ita aurorae propriumst uocabulum, non appellatiuum. quid quod timuere satirici ut doctam nimis et Graecanicam nominis proprii ergo admittere dihaeresim? — denique christiani quamquam magistrorum decepti ludibriis et pridem imminuto sensu hiatus tamen, ne rythmicum carmen uiderentur componere, satis diligenter cauerunt genus istud licentiae. ceterum considerantibus ea quae alibi memorauimus non erit mirum hiatum raro extra heroicum inueniri metrum, in quo ipso incisio penthemimeris longe plus trahit licentiae quam aut trithemimeris aut hephthemimeris. — praeterea in syllabis m littera terminatis admittere dihaeresin paucis auctorum placuit. itaque Ennius dixit [275] 'miscent inter sese inimicitiam agitantes' et Catullus ter in medio pentametro ad hunc modum 'Iuppiter ut Chalybum omne genus pereat' [66, 48. 67, 44. 97, 2] tum Propertius [III, 15, 1. 32, 45] 'o me felicem o nox mihi candida et o tu' 'haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit' Tibullus [I, 5, 33] 'et tantum uenerata uirum hunc sedula curet' denique Manilius [I, 795] 'emeritus caelum et Clausi magna propago'. — sed aliud exemplum apud classicos non inuenitur. nam quod uulgo tribuitur Martiali 'aut aperi fa-

ciem aut tunicata laua' omnino cultissimo auctore indignumst, qui ne in hexametro quidem et longa syllaba admiserit dihaeresin, ut assentiar Schneidewino epigramma, in quo situs est uersus, alienum esse a Martiali. nam et abest a libro Palatino. at Sammonicum in uersibus qui uulgo feruntur tales 'quod refert clauso uersum agitare prolato' 'parua sabucus item hircino collita fuco' scripsisse uersatum atque itemst declaratur libro Turicensi. apud Iuuenalem quod fertur [8, 241] 'nominis ac tituli, quantum in Leucade quantum', omnino falsumst in. — iam Vergilius in arsi accidentem hiatum exemplis circa XXXX admisit, e quibus quae interstitio sensus aut multiplicatis syllabis breuibus excusantur notabo. sunt autem haec [ecl. 7, 53. georg. IIII, 343. 463. aen. IIII, 667. VIIII, 477. g. I, 3. aen. III, 606]

stant et iuniperi et castaneae hirsutae.
atque Ephyre atque Opis et Asia Deiopea.
atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
lamentis gemituque et femineo ululatu.
euolat infelix et femineo ululatu.
qui cultus habendo
sit pecori, apibus quanta experientia parcis.
si pereo, hominum manibus periisse iuuabit.

porro ita dixit Attius

mos traditus illinc
iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem

et Horatius tetrametro dactylico [I, 28, 24] 'ossibus et capiti inhumato', qualis tamen mitigatur hiatus ea re quod in tertia arsi accidit, quae in dactylicis metris caesurae si non qualitatem tamen facile trahit libertatem. at hercule Valerius dum aemulatur Vergilii 'lamentis gemituque et femineo ululatu' quamquam multiplicatis breuibus tamen addidit uocabulum proprium ita [IV, 393]

cum facibus spirisque et Tartareo ululatu.

ceterum non ratione magis quam numero exemplorum a Vergilio differunt insequentes epicorum. e quibus Ouidius cum asseclis in tot milibus uersuum dihaeresis in arsi accidentis exempla habet non plus XXVI. quid quod Statii sunt quinque et quidem in thebaide [IIII, 227. VI, 563. VIII, 36. VIIII, 305. X, 889] Silii quattuor [I, 627. X, 599. XII, 514. XIIII, 515] unum Valerii nullum uel Lucani uel Claudiani? at e ceteris abstinuere hiatu in arsi adhibendo Tullius Lucretius Cato Horatius in iambicis et logaoedicis, scriptores nucis et Aetnae et priapeorum Lygdamus Sulpicia auctor

panegyrici ad Messallam Calpurnius laudator Pisonis Martialis Columella Petronius Palladius Namatianus Sammonicus Auianus Prudentius Arator Auienus Priscianus Eugenius denique Sedulius extra elegiam quae epanalepsis habet schema. namque alibi apud eundem scribendum [c. p. III, 285] 'quid quod et Elian et clarum sidere Mosen' non Eliam. — ceterorum plerique admisere hiatum sed rarissimis equidem exemplis et plurima quae immunirentur uenia.

VI.

LIBER QVINTVS.

DE VI CONSONARVM COEVNTIVM ET DE PRODVCTIS VEL CORREPTIS FINALIBVS.

Postquam de uocalium concursu egimus, apte iam exponentur geminatis quae eueniunt consonis sonorum proprietates. quod ut exsequamur propositum, retinentes prioris libri uiam primum de mediis mox de ultimis uerborum dicemus syllabis. igitur antiquissimi auctores artis quod communem noluerunt esse breuem sequentibus binis non minus consonis, id sine dubio ab illis non ludibrio quodam metrico institutumst, sed quod uulgari pronuntiatione correpta syllaba additis quae memoraui augmentis re uera longae pondus sustinere uideretur. quare in Homerico carmine ne muta quidem cum liquida sequente saepe corripitur uocalis praecedens. uerum saeculorum cursu et optorpescente lingua non potuit fieri, quin quod uiuido prius sensu esset cultum plerumque auctoritate sola iam retineretur. unde comici Graeci, ne alienas uulgi aures offenderent, timuerunt ferme imbecilla quae dicitur positione breues producere [Pors. praef. Hecub. p. 59].

Longe etiam aliter habuit res apud Romanos, quorum sermo cum multa per saecula incultus iacuisset, ubi uix tandem artes agresti percrebuere Latio, facile licuit scaenicis positionum plerumque leges neglegere.

At dactylici cum alibi remitterent seueritatem et ipsi, certe semper produxere breuem binis accedentibus consonis quae non essent muta cum liquida. nam et ut firmitate scripturae positionis uis intenderetur auctor fuit Ennius geminandi consonas. — itaque non feremus quod uulgo credunt Martialem semel [V, 11, 1] smaragdos et Terentianum bis [430. 475] diphthongos dixisse breui a uel i similes illorum quibus probatur in Homeri carminibus λιπὼν

ἀνδρότητα καὶ ἥβην, sed ut illi smaragos Heinsius ita huic diphonos restituemus. neque enim illud obstabit, quod haec uox alibi apud grammaticos Latinos non inuenitur, cum eidem Terentiano etiam dicatur heptameres [1957] quae ceteris semper hephthemimeres. contra quod Venantius [miscell. I, 10. p. 72. VIIII, 6. p. 305 alib.] identidem sequente z seruauit breuem, ne hoc quidem neglegentia admisit, sed deceptus a magistris qui communem fieri uoluere correptam addita consona ista [Beda 2355]. sane fatendum uetustissimis Latinorum pariter atque recentissimis uix aliud sonuisse uideri litteram istam quam acutam ualde sibilam, unde et Plautus pro ea constanter posuit geminatam s et Pacuuius dixit Sethum et paullum diuerso modulo usus Licinianus Ariobardianem [p. 19, 20 ed. P.] Commodianus [p. 159] iudaeidiare et contra zabolicum idem [p. 158] et Venantius zaconum [miscell. IV, 15. p. 165] sicut Osci ziculum pro dieculo [Auffrecht u. Kirchhoff umbr. Denkmäler p. 107]. praeterea et Venantius et alii metricorum praestigiis decepti produxere ut communes uocales quas aut qu [cf. Beda 2375] aut cum consona sequeretur h. igitur longa syllaba ea cui subiecti sunt nexus literarum isti inueniuntur apud illos ut puta haec adhuc [Ven. miscell. V, 17. p. 201] inhabilis [I, 21. p. 86] inhabitare [Iuuenc. I, 336. Ven. VIII, 6. p. 268] Agathe [Ven. VIII, 6. p. 267] catholicus methodicus [Lux. 313, 6] sophisma [Lux. 372, 3] alternaque [Coripp. iohann. IV, 700] Aquila [Arat. a. ap. II, 511] utraque [Prud. apoth. 320. peri steph. 3, 80. cath. 10, 5. Auson. epigr. 90, 8. epist. 1, 22] iussaque [auctor lib. in genes. 549] loquax [Mart. IX, 998, 6] liteque [Eug. 18, 3] neque [Ven. I, 19 p. 84] nequire [auct. lib. in genes. 615] piceaque [Eug. 30, 17] ridendaque [Prud. c. Symm. I, 630] sopitaque [auct. lib. in genes. 586]. ab hac autem licentia longe diuersum, quod liquidum communi prima ad Phaedri usque usurpatumst aetatem, uelut tale apud Lucretium extat metrum [IIII, 1251] 'crassaque conueniant liquidis et liquida crassis'. ceterum ex illis exemplis quae encliticam habent sequentem siquis etiam ob accentum inditum et alienis ludibriis produci existimarit syllabam cui adnexast qu, equidem haud repugnabo. — at si uocalem breuem cum muta tenui siue aspirata sequitur liquida — quibus accedunt iuncturis br dr gr —, utique communis fit syllaba, idem ut uerbum uno uersu possit pariter produci et corripi. quare quod docti homines statuerunt, colu-

brum plerumque correpta, at librum rubrum pigrum migro uafrum ueprem producta potius efferri uocali paenultima, ut omittam eos aliena quaedam fugisse exempla, paruist illud momenti uel potius nullius. neque enim poetae ueteres grammaticorum imperitiam ut leuarent sua scripsere, sed libero ingressu qui ultro euenirent assumpsere numeros. itaque arbĭtrum et arbitria et genetricem ac meretricem etsi non memini umquam reperiri producta secunda — nam ne apud Paulinum quidem, quod fugit metricos exemplum, recte habet [21, 490] 'si placet, arbitris sibimet componite iustis' cum debeat legi arbitriis —, id aut casu euenit aut potius inde quod aptius plerumque in metrum coeunt uerba ista si breuietur quam si producatur syllaba communis. ceterum latrare non positione sed natura longam habere a cum declaretur uersu Plauti [mil. glor. 681] 'set nolo mi oblatratricem in aedis intromittere' — quippe debilis positionis nulla uis est apud scaenicos —, iam quod Auienus cum plerisque poetarum christianorum corripit eius uocabuli primam, errore factum esse putabimus; licet alioquin illi sat fideliter quantitates seruentur. nam et inuolucrum lauacrum salubris [Prudent. c. Symm. I praef. 54. Venant. miscell. V, 5. p. 189. Petron. Antigen. Mey. 185, 8] per aetatem extremam imperii Romani correpta inueniuntur syllaba paenultima. quod plerumque adducor ut credam eo errore euenisse, quo nunc imperitissimi puerorum statuunt posse non modo produci breues sed etiam corripi longas, si muta sequatur cum liquida. — at syncope orta supra et disciplina sicut communi usurpantur prima uel secunda, Sammonico nucleum breui u adhibitum [404] firmatur libro Turicensi. ita Lucilius operam correpta priore uidetur posuisse metro tali [Non. 175]

praeter haece subsiciuam si quando uoles opram,

in quibus uulgo fertur haec et operam. contra Ennium scito inuento et probabili emendatione usus Vahlenus persuasit mihi in dactylico metro dixisse potius 'reddere opis pretium' quam oprae. neque satis certumst oprimentum an opermentum posuerit Prudentius uersu illo [psych. 462]

uelat oprimento. uelox nam dextra rapinas.

at in maniplo semper a dactylicis intenditur paenultima, cum a scaenicis corripiatur [Plaut. mostell. 312]. denique publicus utrisque semper longa effertur u. ita caliclos pro caliculis Paulinus dixit media producta [19, 416]. porro semper porrigitur dacty-

licis correpta uocalis, si sequatur gn, contra addita gl uel bl eadem apud Christianos interdum reperitur integra, ueluti Prudentius reglutinare breui dixit prima [peri st. 10, 874] atque ita Drepanius [LXI, 1089] tablas. at non credibilest auctorem peruigilii Veneris posuisse peruiglanda pro ditrochaeo [46], sed unice amplectemur quod habes libro Salmasiano peruiclanda, sicuti cycnum semper dixere poetae, ubicumque noluerunt breuem esse priorem.

Iam finem uerbi excipientibus binis consonis paullulum diuersae euadunt normae. de quibus dixere cum alii passim tum Zinzerlingius in promulsidis criticorum iuuenilium extrema diatriba [Lugd. 1610] et Lennepius in commentario Santenii ad Terentianum [p. 413]. sed horum neuter aut ampla satis diligentia poetarum anquisiuit placita — nam ne eorum quidem, ad Augusti qui mortem floruere, nedum posteriorum plene tractauerunt usum — aut ea fuit ingenii sollertia, rem difficilem multis modis et impeditam ad liquidum ut perduceret. itaque ego non sum grauatus denuo omnibus retractatis auctoribus a Q. inde Ennio ad initia medii aeui et barbariae hoc est per annos ferme DCCC intendere hanc quaestionem, quam iam ad finem me spero esse adducturum. itaque muta tenui uel adspirata consequente integra manet plerumque uocalis breuis, nec magis mutatur eadem succedentibus bl gl br gr dr. at gn succedens longam efficit priorem. quare etsi gnatum saepe dixere auctores Latini — quibus non perinde placuit gnarus et gnauus —, tamen intellegitur semper illos usos esse breuiore forma, ubi uellent corripi uocalem praegressam, sicut eadem sub condicione Cnosus dicitur et Cnidus. quare uix adsentior Bedae [p. 2356] quippe et alioqui corruptis auctorum decepto codicibus scripsisse Prosperum 'nec tamen hos toto depellit foedere gnaros'. nam quod Terentianus, ubi affert nominatim Gnaeum et gnatum [894. 903], legem positionis neglexit, exemplorum libertate illud excusabitur.

Sed spretae uocalium positionis exempla ut iam persequar, prius monebo ad contemnendam huius uim longe ualidissimam esse in uersu heroico quintam sedem ob naturam proprie dactylicam nec aliter in reliquis metris eas, quibus breuis utique comparanda sit thesis. ceterum cum longiore uocis interuallo disiungantur interse pedes quam partes pedum, apparet molliorem utique euenire neglectam positionem tertio dactyli loco quam secundo,

licet aliter uideatur Santenio ac Lennepio [p. 419]. — porro exempla ut proferam, in Latinis uerbis contempto consonantium duriore concursu dixit Lucilius [lib. VII, 16. VIIII, 4. X, 3. XXVIII, 38] in fine hexametri 'segetem immutasse statumque. accurrere scribas. deducere scalis. pro statura Acciu' status'. itaque Lucretius siue primo uersu siue ultimo [I, 372. V, 47. 79. VI, 1186. IIII, 473. 770. 846. VI, 195. 943] 'cedere squamigeris. quidue superbia spurcitia. libera sponte. tenuia sputa. unde sciat. inde statu. mollia strata. pendentibu' structas. manantibu' stillent'. porro nouiens Horatius in saturis [I, 2, 30. 71. 3, 44. 5, 35. 10, 80. II, 2, 36. 3, 43. 296. 5, 28] et quinquiens Propertius [IIII, 11, 53. 67. V, 1, 41. 4, 48. 5, 17] admisere similia et ipsi plerumque primo pede seu paenultimo. praeterea semel Maro notissimo illo [aen. XI, 308] 'spem siquam adscitis Aetolum habuistis in armis ponite. spes sibi quisque', in quibus neglecta positio et geminato uocabulo spei excusatur et ut recte docet Victorinus [2517] re illa, quod sequentia alium incohant sensum. denique circa idem tempus auctori culicis etiam prima sede numeri migrata elegantia hoc uersu [195] 'horrida squamosi uoluentia membra draconis'. uerum post hanc aetatem Latinis uersibus coiugatis ea licentia adhiberi plane desitast, quam legem perraris exemplis librarii, innumeris uiolarunt critici. ueluti pessime habet quod dedit in carmine de Maeuio Meyerus [821, 5] 'nec licuit non nosse scelus' pro uero 'non nosse nefas', nec melius quod Iacobus in Manilii libro primo [277] 'unoque in uertice scandunt in diuersa situ'. scribendumst unoque a uertice tendunt. apud Petronium [Mey. 172] in opusculo de saga muliere quamquam plerique probauere 'florida tellus, cum uolo spissatis arescit languida sucis', tamen pridem intellectumst unice sententiae conuenire siccatis. contra in arateis Germanici [405] si recte scripsit Orellius 'tunc mihi spissentur' pro uulgato siccentur, necessario contrahendumst illud mihi. porro in Sulpiciae satura [55] cum miretur Carolus Fridericus Hermannus noluisse Wernsdorfium procliui quam uocat emendatione usum ponere 'ast ubi spes secura redit' — traditur enim 'ast ubi apes' —, ego multo magis miror quod creticum pro dactylo admisit, scribendumquest aperta ueritate 'mox ubi res secura redit', sicut dixit Vergilius 'res dura et regni nouitas me talia cogunt'. huius apud aequalem Statium quod quidam probauere [silu. IV, 3, 81] 'sed grates ago

strictus atque tantist' pro unice apto 'seruitusque tantist', ne fingi quidem cogitarique potest magis barbarum. at eiusdem achilleide incerta auctoritate cum feratur [I, 348] 'sparsosque studet componere crines', nos potius libro Gronouii non contemnendo, ut ait ille, obsecuti ponemus 'sparsosque tumet', quod ut paullo inflatius egregie conuenit Statio [cf. Heins. ad Claud. bell. Gild. 330]. denique in Octauia etsi numquam credidi recte habere quod fertur nullo teste [152] 'iuuenis infandi ingeni capaxque scelerum dira cui genetrix facem accendit', sed scribendum esse 'scelerum capaxque', tamen, ne aequo audacior esset ea mutatio, animus angebatur. nunc audio in libro Turonensi esse 'scelerum capax', unde iam sponte cunctis probatum iri inuentum meum spero. nam Octauiae auctori non enclitica modo [361] etiam illud atque traicitur [165] alibi. ceterum quod iambici scriptores ubi non referret, longane an breuis esset thesis, copularunt cum correpta finali uerba quae haberent sp sc et similia, nequis regulam ea re dicat euerti, parum ueremur. — porro ne christiani quidem facile auctores in Latinis uocibus positionum normas migrarunt. ita tamen semel Prudentius [peri steph. 10, 688] 'tristem suae magistra spectet impia' et Sedulius [c. p. V, 403] 'Christus adest panis sanctus quoque spiritus ignis' et Priscianus initio metri [594] 'aurea spectetur'. nam et similia quaedam Corippus admisit in iohanneide [III, 30. IV, 13. cf. Sidon. burg. Leont. 122. ad Consent. 338].

At hercule non eadem abstinentia poetae in Graecis usi uocabulis, licet uel in his licentiam plerumque modulo sonorum aut certa metirentur necessitate. ac primum quidem saepe positionem neglexerunt in uerbis ab zeta incipientibus, quippe quae Latino ore idem plerumque sonuerit quod simplex sibila. ceterum similiter x prioris partis substantiam cum exuisset — unde et uulgari sermone xanta dicitur pro sancta [cf. Terentian. 1154 sq. Commod. p. 158, 21] —, eandem traxit libertatem, nisi inopia uerborum ab ea incipientium ad nihilum res redigeretur. habes tamen Sidonii hendecasyllabo [ad Magn. Felic. 38] 'inflatum numerositate Xerxen'. ita ps simillima natura cum sit praedita, plerumque uim duplicis consonae amittit christianorum usu in psalmo psaltria psallendo. longe autem peius habet neglecta positio, prior consona secundi uerbi si sit sibila [cf. Terent. 1056—1061. 1164]. quare licentia corripiendi uocalem praecedentem substitit ferme in uerbis

paucissimis et quae aliter inepta essent uersui, non ut probaretur plerisque poetae Augusto aequalis exemplum tale [Mey. 844, 1] 'uni Crassitio se credere Smyrna probauit' uel Auieni illud [descr. orb. terr. 1346] 'in medioque Sabae sunt cespite gens quoque Scodri' siue Ausonii mauis [prof. bur. 8, 2] 'anne Sperchei pariterque nati' [cf. ib. 23, 5. priap. 68, 8. Maximian. 5, 126]. — iam singula ut expediam ne in Graecis quidem uerbis uiolare positionem sustinuerunt Horatius Persius Gratius Valerius Homerus Latinus Boethius Arator Corippus in laudibus Iustini, qui scholam ut ad uersum aptaret longa priore efferre maluit [IIII, 188. cf. III, 158]. a quibus paullo diuersi, quamquam et ipsi sunt cautissimi, in finem uersus dactylici admisere Catullus [64, 357] Scamandrum — quem Xanthum potius ut dicerent Vergilium Lucanum Priscianum alios acrior metrorum quam deorum adegit reuerentia — smaragdum Lucretius [II, 805. IIII, 1118] et secuti eum Sammonicus [953] Tibullus [I, 1, 51. II, 4, 27] Lucanus [X, 121] Statius [theb. II, 276] Claudianus [8, 586. 10, 88. 22, 89. 28, 563. 70, 7. 73, 8] auctor Phoenicis [135]. itaque habet Vergilius [aen. III, 270] 'nemorosa Zacynthos' Ouidius [heroid. 1, 87] 'alta Zacynthos' idemque [am. II, 6, 21. met. II, 24] 'hebetare smaragdos lucente smaragdis' denique in halieuticis [120] 'lamyrosque smarisque'. Vergilio obsecutus Silius, cuius sunt haec [I, 275. 290. II, 603] 'colle Zacynthos regna Zacynthos portata Zacyntho'. ex quibus equidem prima sede posito exemplo non Vlixi regnata insula sed Hispanicum oppidum significatur, sicut de eodem dixit Iuuenalis [15, 114] 'maior clade Zacynthos'. porro in sola z ausi sunt neglegere positionem uersibus quidem pariter omnes rarissimis Manilius Columella Seneca Iuuenalis Nemesianus. denique a Terentiano exemplis memorandis etiam in hac parte aliquando solita normae seueritas omittitur.

Iam ut intendatur sequentium consonarum ui uocalis praecedens, in arsi potius quam in thesi euenire uerumst. praeterea intellegitur illas eo minus esse efficaces ad producendam breuem, quo facilius poterit additis isdem anteuntis syllabae seruari quantitas. quamquam quod asserit Terentianus [1192 sq. cf. Bed. 2353] collocatis in capite uerbi muta cum liquida utique integram manere uocalem priorem, egregie fallitur. quippe non in arsi modo etiam in thesi potest produci. ita enim dixit Ausonius metro heroico [de clar. urb. VIIII, 6] 'uersa Graia manus centum se

effudit in urbes' et Prudentius alcaico [peri steph. 14, 9] 'mortis deinde gloria liberae' tum Sidonius phalaecio [ad Magn. Felic. 95. ad Consent. 277] 'Oeta Thraces equi boues Iberae' 'siue prandia quis refert Thyestae'. sed sane classicorum plerique qualicumque positione producere breues timuerunt, quorum in numero fuerunt Lucretius Horatius Maro Propertius Ouidius Manilius Persius Valerius Homerus Latinus Columella Calpurnius laudator Pisonis Nemesianus Rutilius Claudianus Auianus auctores nucis et peruigilii Veneris. e quibus Manilius, pridem correcta ut silentio transeam, non scripsit [V, 135]

> hinc fidae mentes tremebundaque corda creantur
> suspensa strepitus,

scripsit 'at strepitus' sicut dixit Tacitus [ann. XIIII, 57] erectas ad nomen dictatorium Gallias. at ex reliquis plerique cum sustinuerint producere positionis ui breuem, non tamen, ut uisumst Drakenborchio [ad Sil. VIIII, 575], infinitis exemplis sed rarissimis id admiserunt. itaque primum antiquissimus auctor artis Ennius habet [99] 'stabilita scamna solumque' atque item [562] 'populea frus'. deinde Catullus admisit idem cum in metris nuper repertis haud ita raro [4, 9. 18. 17, 24. 22. 12. 29. 4. 44, 18. 63, 53] tum semel in hexametris geminato uerbo eodem [64, 186] 'nulla fuga ratio, nulla spes. omnia muta' itaque aequalis eius Cato [156] 'ausus ego primus' porro Tibullus [I, 5, 28. I, 6, 34] 'pro segete spicas' 'seruare frustra' tum Gratius [142. 259] 'generosa stirpibus arbor' 'uulpina species'. quid quod ne epici quidem auctores saeculi p. Chr. n. primi productas positione finales a maiestate carminis duxerunt alienas? ita enim dixit Lucanus [V, 118] 'quippe stimulis' et Silius [VIIII, 575. XVII, 547] 'immane stridens' 'diuersa spatio' nec non Statius in thebaide [VI, 551] 'agile studium' et in siluis [I, 6, 10] 'iam bellaria adorea pluebant'. nam et ita tragoediis Senecae reperitur in fine trimetri [Herc. fur. 950. Hippol. 1026] 'frigida spatio refert' 'undique scopuli adstrepunt'. idem uitium facilius patimur in Martiale cuius sunt haec [lib. spect. 28, 10. epigr. I, 115, 1. II, 66, 8. V, 69, 3] 'Caesarea praestitit inuide Procille digna speculo Romana stringis in ora', quae satirica licentia excusantur ut illud Iuuenalis [8, 107] 'occulta spolia'. ceterum his exemplis si addideris Sammonici [31] 'inducta prosunt' et Symposii [73, 1] 'Deucalionis ego crudeli', habes exempla breuium iure positionis productarum

quotquot inueniuntur apud classicos omnia. at e christianis qui saepius utuntur licentia eadem, decepti fuere ut plurimum doctrina grammaticorum de communibus syllabis prolata. maxime autem placuit Prudentio et Venantio modulus iste extentae breuis, neque inusitatus fuit idem Sidonio Paulino Iuuenco. ceteris longe rarius adhibetur.

Iam ad productionem arsis ui effectam progressuris etiam hic notandum finalem breuem et in consonam exeuntem, si proxime sequatur spiritus, non licentia quadam sed lege positionis produci credi a christianis. quare et monosyllaba extendere sustinuerunt addita h, quae quidem iure arsis non magis ipsi quam classici umquam producerent. itaque sic dixit Sedulius [c. p. III, 296]

uir humilis maesto deiectus lumina uultu

neque aliter Corippus [laud. Iust. I, 268]

dicite quis hominum

et Arator [a. a. II, 973]

bis habitum quem culpa creat.

ita in hymno Venantii scribendum adiecta aspiratione [miscell. II, 2, 19] 'hic acetum fel harundo sputa claui lancea'. — minus probatur in thesi qualiscumque uerbi finalem positione ista produci, ut tamen dixerit Venantius [miscell. I, 21, 85] 'te famulans intrat sed huc tua regna refrenant' [cf. de uita Martini I, 430 al.] et qui Didus epistulam hexametris conscripsit [Mey. 1610, 98] 'corda ligauit amor. quis tantum in hospite uellet' atque item [119] 'numquam damna uolo. uel hoc mihi perfide redde'. ceterum modulum illum communis syllabae frequenter adhibuere Sedulius et magis Fortunatus raro admodum cum Paulino Prudentius Arator Ausonius Sidonius numquam omnino Terentianus Boethius Priscianus Auianus Maximianus.

Porro singularis omnino ratiost producendi encliticam, quod genus licentiae Graecorum praua aemulatione ortum seuerissima norma coercetur. secutis quippe speciem Homerici carminis exemplis ferme usitatam obseruatur Romanis, primum ut aut quinta aut potius secunda arsi fiat productio — unde Homerus Latinus uersum istum exemplaris sui Ἀρκεσίλαός τε Προθοήνωρ τε Κλόνιός τε sic maluit reddere 'Arcesilaus atrox Prothoenorque Cloniusque' —, tum ut subsequatur statim repetita enclitica et ut e uerbis quibus cingatur illa quae producitur prius ne minus quatuor expleat moris,

sicut habes in his 'sideraque uentique' 'Noemonaque Prytanimque'. iam ludibrii illius quod numquam extra continuatos adhibitumst hexametros primus auctor fuit Attius hoc uersu [Fest. p. 146]

calones famulique metallique caculaeque.

id Vergilius cupide arreptum ita adornauit ut numquam nisi aut binis consonis aut liquida uel sibila subsequente encliticam intendisse eum obseruarit Wagnerus. qua diligentia illum alioquin aemulatus Ouidius non aequat. sed post illos apud classicos auctores non inueni exempla producti illius que praeter singulos uersus Gratii [130] Germanici [262] Silii [VII, 618] Homeri Latini [168] quos quidem adscribam

taxique pinusque Altinatesque genestae.
Electra Alcyoneque Celaenoque Meropeque.
Sullaeque Crassique simul iunctusque Metello.
Arcesilaus atrox Prothoenorque Cloniusque.

neque magis christianis placuit iste modulus, quamquam habes apud Corippum [laud. Iust. III, 177] 'laeuaque dextraque acies adstare uideres'.

Sed missis ludibriis grammaticorum aut grammaticis similium poetarum cetera ut persequar, productionem finalium arsis sola ui effectam statuit Lachmannus non admitti a plerisque nisi aut in caesura legitima aut sequente uocabulo Graeco. quae quamquam non omnino habent recte, tamen longe sunt potiora commentis ceteris, cum plerique nimium potentiae quidam parum tribuerint ictui rythmico. horum quidem secutus numerum quod Ritschelius in prolegomenis trinummi [p. 185] negauit ullam habuisse uim ad producendum arsin in ueteri Latinorum poesi uniuersa, equidem non possum satis mirari. quid enim? non putabimus Ennium ea licentia usum, quam apud Homerum ducem propriae uiae innumeris erat uidere exemplis? et abhorret a uero in tanta egestate sermonis patrii et rudi etiamtum arte huic fuisse admissum, quod aliter nec Graeci umquam auctores in magna facilitate explendi metri nec in tanta seueritate artis Latini sunt aspernati?

Sed ut recte pleneque iudicetur arsis de potestate, primum omnium hiatus rationes proximo libro expeditas comparabimus. itaque cum duplex licentia sine hiantis finalis seu productae oriatur ab arsi, apparet illam duriorem audacioremque esse posteriore. nam admissa dihaeresi uocalis omnino eximenda metro seruatur plena. at si extendetur correpta, una tantum mora adicitur syl-

labae non equidem sufficienti ad ictum metricum sed utique integrae. unde et minus frequenter usi hiatus modulo poetae quam productionis, et ubicunque ille admittitur tuto haec poterit adhiberi, non tamen ut inuerti liceat rationem. porro sicut hiare breuem paene caret exemplo apud Romanos, haud sane potuit in uocalem exiens finalis perinde quam quae consonam haberet additam extendi [cf. Seru. ad aen. III, 464], primum quod plus accedit firmitatis syllabae producendae eodem uerbo continuata quam uocum interuallo dirempta consona, deinde quod paullo tardius percipitur animo lectoris admissa licentia. hinc apud classicos non plus binis inuenitur exemplis extendi correptam exitu uocis uocalem, altero Ennii 'et densis aquila pinnis obnixa uolabat' altero secuti Ennium Maronis 'dona dehinc auro grauia sectoque elephanto'. nam nec Horatio io bacche [sat. I, 3, 7] nec Propertio ossa [V, 5, 62] nec Rutilio reportanda [I, 630] longa efferuntur ultima, qualia librariorum aut criticorum tribuuntur eis socordia. neque hercule christiani faciles ad istam licentiam, qua omnino abstinuere Boethius Luxorius Priscianus Sidonius Maximianus Auianus Arator Priscianus denique Sedulius, cui male adscripsere quidam [c. p. I, 268] 'libertatis ope radians ubi regia fuluis'. contra usi eadem Venantius Corippus Ausonius Prudentius alii sed raro et fere in caesura legitima ad hunc modum [Auson. epist. 5, 37. Prudent. c. Symm. I, 92]

rescisso disce componere nomine uersum.
iura resignasse sursum reuolantibus umbris.

iam uniuersus alioqui producendae finalis modus omnino congruit cum hiantis. scilicet nec in thesi constantes umquam extenduntur uoces quantaecumque — nam ne Martiano quidem recte tribuere metrum tale [II, 116, 4] 'cum nitet aurato fit et cum Phosphorus astro' — nec in ictu positae monosyllabae — nisi forte quis adsentietur Seruio [ad aen. III, 91] illas ad artem non pertinere et poni indifferenter —, ut excerpantur tamen uocalium breuium notiones. unde dixit Terentianus [331] 'ε uel o Graecum putetur ne Latinorum e uel o' et Ausonius [idyll. 12] 'ἦτα quod Aeolidum quodque ε ualet, hoc Latiare e'. praeterea ab Ennio ad Vergilium usque qui licentius admisere dihaeresin cum isdem sub condicionibus quattuor extendi probassent breues, reliqui classicorum illam non nisi in caesura aut sequente uocabulo Graeco adhibuere, ut tamen satirici priore tantum genere uterentur libertatis. nam

21 *

nec Manilius scripsit [IV, 920] 'ipse uocat animos nostros ad sidera mundus', scripsit 'nostros animos' nec Sammonicus [15] 'tunc poteris alacrem capitis reparare uigorem' sed potius tunc alacrem poteris. apud eundem alibi cum feratur [511]

est qui praeualidum frixo sale miscet acetum
atque olei suco refricat albentia membra,

reponendum esse 'refricat qui' docetur eo, quod libro Turicensi fertur refricatque. at poterit uideri eximendus normae seueritati Valerius Flaccus, apud quem aliena feruntur haec [V, 164. 591. VI, 152]

fit fragor aetherias ceu Iuppiter arduus arces
impulerit, imas manus aut Neptunia terras.
croceos sic illius omnis odores
iactat eques. unctis sic est coma culta maniplis.
omnibus in superos saeuus honor, omnibus artes
monstrificae.

haec igitur quam recte habeant iudicandum relinquam aliis, ut moneam tamen secundi exempli sententiae melius conuenire cunctis quam unctis. — huic autem licentiae ut plerisque aptissimum longe metrum heroicum. nam e ceteris numeris qui certa carent caesura ne potuere quidem eam recipere. — at e christianis poetis etsi haud pauci similem classicorum et ipsi tenuere modestiam, tamen alii, quibus fraudi fuere grammaticorum ludibria, hexametri arsibus secunda tertiaque et quarta uel aliquando quinta praeterea priore parte pentametri pro communibus adhibuere breues a ceteris et ipsi arcentes plurimum uersibus.

His expeditis nihil iam erat impedimenti quin exempla diuersa metrorum persequeremur, nisi prius mihi essent impugnanda quae nuper de communi ad Augusti usque aetatem finalium quarundarum quantitate sunt prolata. igitur cum Ritschelius in prolegomenis trinummi dixisset [p. 176] posse adeo Vergilii usu confirmari nomina in or exeuntia quae habeant genetiuo longam o etiam nominatiuo productam habere finalem, intendit id Fleckeisenus in annalibus philologicis et paedagogicis [LXI, 17 sqq.] ita, ut assereret et a Vergilio et ab aequalibus eius haud incertis exemplis terminationes uerborum quae sunt ar er or at et it tur mur mus cum nominum quibusdam seruata quantitate pristina produci. horum auctoritate freti qualia imitatorum seruum genus quibus scriptoribus tribuerit afferre non uacat. nam solent ferme illustrium uirorum commenta prauitate assectarum corrumpi. sed ne

Ritschelio quidem aut Fleckeiseno satis recte rem illam difficillimam tractatam esse statuo. debuit enim, nisi fallor, primum omnium quam accuratissime quaeri, numquod istius usus uestigium apud Lucilium Lucretiumque et Catullum inueniretur. quod si secus se haberet, qui potuit fieri, ut Vergilius et Augusto aequalis auctor hanc Aboriginum mox Plauti et Ennii insolentiam renouaret post CL non minus annos? nonne omnes huius temporis poetae odium contemptumque ueterum dactylicorum nedum scaenicorum prae se ferunt? nonne ridiculus extitisset Vergilius aequalium non inimicis modo sed fautoribus? ego uero sicut concedo pleraque Ritschelii et Fleckeiseni placita Plautinis recte adhiberi libris, ita numquam patiar eadem promiscue dactylicorum admitti carminibus.* quippe certum firmumque constat animo non ullam finalem ex illis, quae uulgato optimorum temporum usu breuiantur, pristinam apud hos retinuisse quantitatem nisi illam is perfecti temporis sine quod ab eo uenit futuri. nam haec sane in arsi reperitur longa omni tempore. quare quod in thesi non perinde extenditur — produxit tamen Ausonius in hendecasyllabo [heptast. de VII sap.] 'faxis ut libeat quod est necesse', — id non iure quodam arsis sed longe alia euenit causa. — praeterea illa quae sunt iit et petiit cum compositis ad Senecam usque habuisse i longam quod comprobauit Lachmannus [207], cuius praeceperant animis inuenti notionem quandam cum Gronouio [ad Stat. theb. VI, 664] Heinsius [ad Ou. met. I, 114], huius usus satis mirifici causam cum non addiderit ille, apte inde repetere uideor, quod cum uulgato usu in uerbis istis eiecta u praeteriti temporis fieret contractio uocalium parium praeter primam tertiamque personam numeri singularis, Romani, ne committerent pares eiusdem quantitatis uocales, quod quidem longest iniucundissimum, pristinam maluerunt retinere mensuram. certe petiuit breui finali extat apud auctorem culicis [391]. — ceterum Silio [XIII, 166] Sulpiciaeque [23] formas illas correpta potuisse efferri ultima in hexametri exitu ita 'transiit ictu' 'exiit arces' christianorum poetarum effici uidetur auctoritate qui easdem formas breuiarunt ueluti his uersibus Sidonius [burg. Leont. 28. paneg. Maior. 191]

> sumpserat hoc primum nascens, cum transiit olim
> stridula Pelidae per Troilon exiit ornus,

siue Aratoris males uti exemplo [a. ap. II, 1185]

> uirus abest, oculis cum squameus exiit horror.

*

porro sanguis haud ita paucis locis producitur, longe cum saepius corripiatur. cui similem in eo quod est puluis quantitatem finalis uidetur adserere Maronis metrum tale [aen. I, 477]

huic ceruixque comaeque trahuntur
per terram et uersa puluis inscribitur hasta.

fatendum tamen causam tam mirae prosodiae minime apparere. ceterum quod legitur apud Victorinum [2464] Samnitem licet per omnes casus i longam custodiat tamen nominatiuo correpta i efferendum ut sanguis puluis, suspicor huic proferri male perceptam uetustiorum grammaticorum doctrinam, qui contraria ipsi tradidissent. denique nihil producta posteriore unus inter dactylicos ternis quidem exemplis dixit Ouidius [met. VII, 644. trist. V, 14, 41. ex Pont. III, 1, 113]. eandem rationem mensurae qui seruarint in illis nihili nihilum nihilo non inuenio, cum haud raro eadem ponantur breuiata aperte secunda [Cat. 28, 12. 61, 197. Ter. Maur. 209. Auson. idyll. 3, 12. 12, 16]. sed quod uir optimus Beda [2359] asserit ar tertiae declinationis per apocopen ortum produci, egregie fallitur. nam et auctoritate poetarum et grammaticorum refellitur testimoniis [Seruius de rat. ult. syll. 1804].

Iam at et it finales primae ac secundae et quartae coniugationis propter principalem quantitatem haud dubie produxit Ennius uersibus his

noenum rumores ponebat ante salutem.
omnibu' cura uiris uter esset induperator.
infit o ciues quae me fortuna ferocem.
it eques et plausu caua concutit ungula terram.

praeterea nec illud dubiumst etiam perfectorum coniunctiui terminationem it potuisse produci ab eodem nec magis ubicumque finales eaedem in arsi inueniantur sitae sequente uocali non licentia quadam id euenisse. sed eodem modo formarum quales sunt dicit amauit produci ab Ennio exitum non potest probari exemplis. nam quae leguntur apud eundem porrectae [484. 345. 599]

multa foro ponit et agea longa repletur
cani' forte feram si nare sagaci
sensit, uoce sua nictit ululatque ibi acute
qua murum fieri uoluit, urgentur in unum,

eae uero caesura legitima potuere extendi. multo etiam minus finales in ar uel or uel us exeuntes apud eundem propria natura producuntur uersibus his [547. 424. 117. 42. 121. 90. 500]

interea fugit albu' iubar Hyperioni' cursum.
lubricitor aquiloque suo cum flamine contra.
o pater o genitor o sanguen dis oriundum.
postilla germana soror errare uidebar.
Quirine pater ueneror Horamque Quirini.
sic expectabat populus atque ora tenebat.
tergus igitur sagu' pinguis opertat.

pudet paene dicere incisione legitima et finiti ordinis metrici iure omnia ista prouenisse exempla. porro sane feruntur apud eundem Ennium talia [422. 520]

tollitur in caelum clamor exortus utrimque.
clamor ad caelum uoluendu' per aethera uagit.

uerum enimuero scribendum in his quod Lachmanno placuit clamos satis aperte potest ostendi. etenim cum finales eas quae apud Plautum producuntur iam plerumque fuisse breuiatas secunda parte saeculi a. u. c. VI haud sane paucis Ennii comprobetur locis, plane caret probabilitate maluisse illum uti ambiguae quantitatis terminatione quam ea quae omni tempore fuerit producta. certe non digni ut refellantur, qui in tanta obscuritate ueteris artis dactylicae binorum exemplorum singulis argutantes litteris aliena pleraque errore malent corrumpere quam probatas alioqui rationes et facillimam omnium sequi coniecturam. praeterea, si tantist, addam quod Vahlenus quasi uno et continuo metro nexa dederit 'horitatur induperator', proprio ipsius factum periculo. nos uero haec dirempta fuisse aut uersibus aut uerbis statuemus. uerum post Ennium non in t magis quam in r uel s exeuntes flexiones quisquam produxit propter qualitatem principalem. ac primum quidem monebo diuersae sententiae ab auctoribus frustra iri prouocatum ad Lucilii haec [XXX, 65. XVII, 2. IX, 26. 6. XXX, 96. XXVIIII, 5]

aut operat aliquo in celebri cum aequalibu' fano.
cetera contemnit et in usura omnia ponit.
crissauit, ut si frumentum clunibu' uannat.
peila
quae iacimus. addes e, peila ut pleniu' fiat.
quandoque pudor ex pectore cessit.
deierat enim scripsisse et post non scripturum. redi
in consortionem.

e quibus exemplis secundum et quintum caesura legitima tertium et quartum interstitio sensus at primum, si modo habet recte, multiplicatis excusatur breuibus. contra in sexto illud deierat

non potest dubitari quin sit temporis praeteriti. iam Lucretius et Catullus libertate quantitatum ipsis a Ritschelio et Fleckeiseno concessa adeo timuerunt uti, alter nullo plane pacto, alter non nisi sequente uocabulo Graeco ut extenderet syllabas prisco tempore longas sed ipsorum aetate breues. e Varronis fragmento tali 'Gallica porta carros adcurat usque politos' dempta uerba a carris inde quod pro hexametri parte dedit Fleckeisenus, uiderit ipse quo id modo defendat. illud enim non credo talem uirum similem Vahleni statuisse eodem sensu Varroni pedestria ac poetica continuari. sed age iam Vergilii, quem nimium putarunt plerique producendis syllabis, expendamus placita. e cuius exemplis numero ferme L praeteribimus merito ea, quae caesuris legitimis aut propriis siue Graecis nominibus defenduntur, qualia sunt haec

ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lauabo.
nam duo sunt genera. hic melior, insignis et ore
et rutilis clarus squamis.
qui teneant, nam inculta uidet, hominesne feraene.
tum sic Mercurium alloquitur ac talia mandat.
inualidus etiamque tremens etiam inscius aeui.
Pleiadas Hyadas claramque Lycaonis Arcton.
ille comam mollis iam tondebat hyacinthi.

quibus omissis remanent aliena haec

tuis hic omnia plena
muneribus, tibi pampineo grauidus autumno
floret ager.
dona dehinc auro grauia sectoque elephanto.
pectoribus inhians spirantia consulit exta.
terga fatigamus hasta nec tarda senectus
debilitat uiris.
pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
oratis? equidem et uiuis concedere uellem.
subitoque omnis de corpore fugit
quippe dolor. omnis stetit imo uolnere sanguis.
Mnestheus acerque Serestus
et Messapus equum domitor et fortis Asilas.

quae cuncta excepto uersu quarto ea quam supra proposui norma et admisso eadem sub condicione hiatu explicantur. quamquam, ut mos est poetis Latinis, non una pleraque excusatione defenduntur. quippe primum exemplum et sextum repetitis uocabulis et oratoria concitatione quintum antitheto septimum enumeratione nominum emolliuntur. sed istis qui sustinebit Fleckeiseni ac Ritschelii

comprobare placita. credat, si dis placet, idem Vergilio uel illud grauia et encliticam que longa pronuntiari finali uel ignorari Pleiadas apud Graecos breuem habere ultimam. restat unum illud 'terga fatigamus hasta nec tarda senectus debilitat uiris'. in quo neque quod uetusto tempore asseueratumst propter sequens h producitur mus, et multo minus quod nouello propter naturalem quantitatem, sed quod penthemimeri usus est Vergilius. etenim quamquam interstitio sensus facto in quarta arsi hephthemimeris fere optinet in hexametro, tamen licet ubi libebit incisionem quinti adhiberi semipedis propter insignem huius nobilitatem. unde et Manilius eadem sub condicione non quarta sed proxime praecedente arsi extendit breuem ita [II, 371. 494]

transuersos igitur fugiunt subeuntia uisus,
quod nimis inclinat acie, limisque uidentur.
Cancer et aduerso Capricornum conditus astro
uertitur in semet oculis, in mutua tendunt
auribus,

et similiter Homerus Latinus [966]

nec sufferre ualet ultra sortemque supremam
horruit instantem defessis uiribus Hector.

quae quidem longe minus audacter admissa esse certumst quam Horatii illud 'ossibus et capiti inhumato'. at pessime omnium habet; quod Fleckeisenus obsequente Laduigio tribuit Maroni talia [aen. V, 167. 480]

cum clamore Gyas reuocabat. ecce Cloanthum
respicit.
arduus effractoque inlisit ossa cerebro.

qui cur unius codicis Romani testimonio posthabuerit ceteris libris firmata 'et ecce' 'in ossa' equidem minime intellego, nisi forte displicebit in priore uersu copula. sed dixerunt et ecce Varro [Eumen. 29] Seneca [Agam. 769] Valerius [IV, 392] Paulinus [24, 689] Ausonius [ephem. parecbas. 19] Venantius [de uita S. Martini I, 345]. iam quo demonstraretur ab Horatio in finali et pristinam seruatam quantitatem, his usus est metris eiusdem Fleckeisenus

si non periret immiserabilis
captiua pubes.
nauita Bosporum
Thynus perhorrescit neque ultra
caeca timet aliunde fata.

e quibus priore loco positum exemplum iam attigimus libro II. porro in illo 'caeca timet aliunde fata' quamuis primae partis libertate possit excusari producta breuis — certe minus asper uersus hic quam quem supra attuli 'ossibus et capiti inhumato' —, tamen omnino amplectendum censeo quod reperit Lachmannus timetue. namque minime, quod uisum plerisque, ratione solum metrica, etiam sensus prauitate uersus ille laborat, aperte cum significetur Flacco a nauta Bithyno, simul atque emenso angustias Bospori liberum patescat mare, non aut tempore ullo aut loco iam timeri periculum, quae apte ut exprimantur non potest omitti particula disiunctiua. — sed etiam alia ratione Ritschelius et Fleckeisenus poterunt conuinci erroris. quid enim? insecuti Ennium si reuera at et it finales cum aliis plerisque uulgo breuiatas produxerunt, id uel auctoritate illius uel niuido aequalium hominum usu fecisse sunt existimandi. iam Lucilii Catullique et Vergilii tempore si etiam sonarent longum de quibus dicitur terminationes cur nec unquam in thesin et raro nec nisi ea condicione qua hiatus receptae sunt in arsin sequente uocali? scilicet abundauit alioqui finalibus productis in consonam quae exirent sermo Latinus. at difficilius etiam ad credendumst antiquissimorum aemulatione Augustae aetatis auctoribus eas esse adhibitas quantitatum abnormitates, quae ignotae aequalibus nisi metri legitima excusarentur libertate omnino uiderentur non posse stare, ut omittam quam sit alienum a probabilitate poetis posterioribus fuisse perspectas prosodiae ueteris normas, quas ne grammaticorum quidem doctissimi recte iudicarent. quae cum ita sint, confutata Ritschelii et Fleckeiseni sententia uideor comprobasse exceptis illis exemplis qualia supra posui nullam finalium in r uel s uel t exeuntium, quae posteriore tempore fuerit correpta, a dactylicis aliam ob causam quam licentia metri produci. quodsi erunt, qui malent auctoritate quam ratione hanc rem confici, prouoco ad Bentleii opinionem, qui ne Terentio quidem concedit producta ultima tale augeat [ad adelph. 25].

At enim siquis mihi hoc obiciat etiam Vahlenum in diuersum abire a Bentleio in coniectaneis suis, quae uereor ne sint reiectanea magis inscribenda — nam is non modo at et it, sed quid non? propter sanscriticae linguae cognationem et placita Aboriginum a Varrone asserit produci —, ut appareat, quam incredibili socordia ac neglegentia ille aut ipse fuerit usus in

componendo libro aut in legendo usuros sperauerit ceteros — hoc quidem maxima ex parte uere —, luculentum iam apponam exemplum. fuit autem tale, ut, cum primum offendissem oculis, iterum iterumque reuoluerem. nam sic neminem mortalium peccare posse existimaram. nimirum cum Oehlerus infelici sane inuento Andrabatarum uersum unum coniecisset scribendum esse ita 'nec manus uisco tenaci tinxerat auri casta', corrumpi ab eo ille clamitauit metrum [86]. iam cum ipse agnoscat eodem loco admitti a Varrone in tetrametri claudi paenultimam partem spondeum, certissime apparet displicuisse ei tinxerat pro cretico positum. at enim per totum librum Vahlenus ad taedium usque Ritschelii et Fleckeiseni recoquendo opinationes illud amplexatur a Varrone easdem, quas a Plauto, productas esse finales. quo ludibrio quantumuis falso et absurdo ita abutitur ille, ut, hoc si respueris, actum sit de plerisque eius, quos pro Varronianis uenditauit, uersibus. igitur quam et in primo uolumine et in summo immodice exercet licentiam, eam si alius adhibeat dicit uitiosam, et quod ipse sibi largissime indulsit, id uero inuidet ceteris. talia tamen plausibus excipiuntur.

Superest ut expediam, singulorum auctorum quiuam fuerit usus producendis legitima sub condicione breuibus. igitur cum Ennius ac Lucilius rudes arte haud raris exemplis admisissent hanc licentiam ut pariter epici carminis grauitati et satirici neglegentiae conuenientem, Vergilius Graeci simul et Romani Homeri inductus imitatione idem tenuit, non tamen ut idem probaretur ceteris. nam Catullus ter non saepius [62, 4. 64, 20. 66, 11] nec praeter hexametros breuis productionem admisit Horatius undeciens sexiens in saturis quinquiens in melicis porro quater Tibullus [I, 4, 27. 10, 13. II, 2, 5. IV, 2, 3] deciens Ouidius cum suis numquam extra metrum heroicum. nam ut mittam, quae pridem sunt persanata, aliena quaedam Tibulli [Tib. I, 4, 44. II, 1, 58. 3, 17. 4, 38]. quod fertur in epistula Sapphus [15, 182] 'et sub ea uersus unus et alter erit', potius est quod Sarrauiano prostat libro erunt, neque dignumst memoria in epistulis ex Ponto distichi alioqui suspecti pentametrum haberi talem [IV, 3, 44] 'indigus effectus omnibus ipse magis'. tamen ne numquam credas in medio pentametro breuem porrigi, his Propertii et Martialis uetaris exemplis, qui alias uel in hexametros rarissime [Prop. III, 28, 29. V, 1, 17. Mart. VII, 44, 1. X, 89, 1] similem

admittunt licentiam [Prop. II, 8, 8. Mart. IX, 101, 4. XIIII, 77, 2]

uinceris aut uincis. haec in amore rotast.
disce. Libyn domuit aurea poma tulit.
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

adde Marsi tale [Mey. 123, 5]

sed postquam alterius mulier communis utrique
nupsit, deposuit alter amicitiam

et porro eius qui de Maeuio carmen composuit [Mey. 821, 15]

eripuit uirtus pietatem, reddere uirtus
debet. qua rapuit, hac reparanda uiast.

unde plerumque adducor ut credam recte habere apud Catullum hiatus exempla quattuor talia [66, 48. 67, 44. 68, 158. 97, 2] 'a quo sunt primo omnia nata bona' 'Iuppiter ut Chalybum omne genus pereat'. praeterea singulis locis Homerus Latinus et Lucanus extendisse uidentur correptam ita [966. I, 642]

nec sufferre ualet ultra sortemque supremam
aut hic errat ait ulla sine lege per orbem

porro bis Persius hisce uersibus [5, 57. 6, 26]

hic campo indulget hunc alea decoquit, ille,
emole. quid metuis? occa et seges altera in herbast

bis Iuuenalis [3, 174. 6, 340]

maiestas tandemque redit ad pulpita notum
intulerit, ubi uelari pictura iubetur

nec saepius Claudianus [45, 13. 79, 3]

altera succrescit alternantesque colorum
claudicat hic uersus, haec inquit syllaba nutat.

quibus accederet quidem exemplum tale [91, 4] 'egregiumque decus inuidiamque tulit', si modo certo constaret de auctore carminis. at quae alibi apud eundem feruntur similia, discrepantiis librorum incerta [21, 157. 22, 441]. quid quod Silius simia Vergilii istam licentiam seuerissimo quoque auctore non admisit frequentius? nam binis et ipse locis, nisi quid me fugit, extendit correptam, qui sunt tales [III, 405. VIIII, 545]

Palladio Baetis umbratus cornua ramo.
contundet Tyrios iuuenis ac nomina gentis
induet.

porro Statius ter [theb. I, 384. III, 544. VI, 351] neque extra thebaidem. nam siluarum hoc uersu [V, 1, 258] 'sic manes Priscilla subit, ubi supplice dextra' praeteriti temporis est illud subit.

denique praeter exempla supra memorata quater Valerius legitima condicione adhibuit productionem [II, 225, 322. VII, 633. VIII, 259], itaque bis Manilius [I, 10. 876]. apud quem non recte fertur [IV, 280]

et pontum caelo uincit. et nouerit orbem,

cum sensu ipso requiratur 'uinxit set'. praeterea abstinuere productione breuium Lucretius [Lachm. p. 75] Gratius auctores Aetnae et elegiarum de Maecenate laudator Pisonis Seneca Palladius Namatianus Merobaudes scriptor peruigilii Veneris Terentianus Auianus alii. at e christianis perraro et ipsi hac licentia usi Boethius Sedulius Priscianus Arator Luxorius Maximianus Martianus neque immodice Ausonius saepius aliquanto Prudentius et Paulinus sed et ipsi ferme in hexametris aut priore parte pentametri, quae ut recte aestimentur subieci exempla. igitur Prisciano bis producta breuis ita [661. 1031]

hi Tanain habitant fluuium prope Sauromatorum.
et radios solis et sacra mente retractant.

bis Aratori [a. ap. II, 334. 885]

officium. cum tuta uenit. en sancta quod inquit.
additur in pelagus oculis uia raptaque flabris

ter Sedulio [c. p. I, 306. IV, 46. 107]

rursus ego atque pater unum sumus. Arrius unum.
frondea ficus erat, cuius in robore nullum.
procumbens oculis, cuius in lumina Christus.

denique Sidonius quinquiens eadem usus libertate [praef. paneg. in Anthem. 21. paneg. Au. 444. praef. epithal. Ruric. et Iber. 17. burg. Leontii 79. ad Consent. 272] semel in hendecasyllabo ita

sine Aeetias et suus Iason.

simile admisit Prudentius ter [cath. 4, 33. 5, 3. peri steph. 13, 66]

hic pastus animaest saporque uerus,
merso sole chaos ingruit horridum.
neu sciat inuidia mitescere gloriam negare.

nam alibi [peri steph. 10, 628] cum uulgetur 'non destiterunt pingere formam crucis', uerissimumst illud quod dedit Giselinus 'formam crucis non destiterunt pingere'. denique Eugenius Toletanus, qui uixit in Hispania LX annis ante Arabum incursionem, saepe in quolibet metro sola ui arsis seu uocali siue consona exeuntes producit finales.

Iam praeter finales in t uel r exeuntes aliarum etiam terminationum subinde immutata quantitas. eius rei principium ortum

correptis particulis quibusdam iambicis quae assuetudine quotidiani usus detritae quasi fuere et concisae. quippe minime inde nata licentia euenit, quod magis iambicorum uerborum exitus ad correptionem sunt proni quam reliquorum, quod longe habet secus. sed cum lege sacrosancta uetetur, ne monosyllaba, quorum longe maximast frequentia, corripiantur, ad iambica, uix minore quae uigent usu, corripiendae finalis concessit licentia. igitur dactylicorum usu breues fere euenerunt uoculae tales 'ita quia bene male here — heri apud dactylicos non inueni — nisi quasi duo cito ego modo', at communes illae 'mihi tibi sibi ibi ubi', ut tamen horum quicumque extendere finales non uiuidum uulgi usum sed rationem potius et auctoritatem priorum secuti esse uideantur. quid quod ex uoculis hisce illa bene et male, quae numquam non fuerunt breuiata, aliquando in compositis perdidisse sonum finalem probabilest, quod et Graeca forma *Βενουέντου* confirmatur. nam id nisi concesseris non stabunt Terentii ac Phaedri metra haec [Phorm. 394. Phaedr. I, 22, 8. IV, 26, 18. cf. Ritsch. mus. rhen. XIII, 206] 'di tibi male faciant. — primus esses memoriter' 'noli imputare uanum beneficium mihi' 'cum iam desierit esse beneficio utilis'. contra uti, id quod probe perspexerunt cum Vossio [de art. gramm. II, 26] Ritschelius [prol. Trin. p. 169] et Lachmannus [p. 106], semper longa finalist. praeterea sicut scaenicis — qui alioqui licentiam breuiandi iambica latius intenderunt — communi adhibentur uocali nisi quasi ego modo cito [cf. Ritsch. prol. trin. p. 169. Fleckeisen. ann. Iahn. LXI, 46], certe modo ad Lucretium usque semel atque iterum in dactylico metro inuenitur iambicum [Lachm. p. 140]. at hercule neque Horatio tuto adscribetur tale 'pauperies immunda modo procul absit, ego utrum', neque ab auctore Octauiae in anapaestico hoc [273] 'quae fama modo uenit ad aures' propter principalem quantitatem productast eiusdem uerbi finalis. contra ego et duo numquam aliam quam pyrrhichiacam naturam habuere, ut et cetera, quae aliena sunt ab hac norma, recte iam sublata uideantur nec tribuendum sit Valerio tale [VIII, 158] 'sed quid ego quemquam immeritis incuso querellis'. nempe una littera geminata ponendum sed quid ego o. nam eodem in amoribus Ouidii [III, 7, 55] adhibito artificio scribendumst 'sed puto non blanda a, non optima perdidit in me oscula?' ita quippe interiectione usi per interrogationem cum alii tum ipse Naso altero transformationum 'si pla-

cet hoc meruique quid o tua fulmina cessant' porro in causali siue condicionali sensu et Luxorius [354, 1] 'accusas proprios cur longo ex tempore canos, cum sis phoenicis longior a senio?' et Horatius 'a te meae si partem animae rapit maturior uis, quid moror altera', nec minus Seneca [Med. 1009] 'si posset una caede satiari a manus, nullam petisset'. neque enim illud ueremur, nequis increpet importune et similes eorum, qui ubique Graecis carminibus ad metrum fulciendum intrudant γὲ uel ἄν, addidisse nos uoculas istas. quin usi occasione oblata primum notabimus Ouidium epistula Medeae [91] non scripsisse 'uidi etiam lacrimas. an pars est fraudis in illis' scripsisse 'ah pars est fraudis', nec non restituendum esse Martiano [II, 126, 6] 'a cuius esse diui tibi contigit maritam', pro eo quod uulgo fertur at uel ac. praeterea non tolerabimus Silii tale [XVII, 5]

aduectum exciperet numen, qui lectus ab omni
concilio patrum praesentis degeret aeui
optimus, heu nomen melius maiusque triumphis.

in quibus uerbis pro illo heu, quod aperte sensu caret, scribendum certa ueritate en. atque ita in Paulini [35, 385] et Sedulii [c. p. V, 94] his quae sunt 'heu mihi quam stultumst oculis se credere uanis' 'heu mihi quantis impedior lacrimis', reponendumst utique illud hei uel potius ei, quam testatur scripturam Beda [2351] hoc uersu Aratoris 'ei mihi iam uideo subitis lapsura ruinis'.

Iam illud memorandum auctores christianos relapsos ut plerumque ad imitationem antiquissimorum ex uocibus, quae breuiari solent extra scaenam, in a o i exeuntes ambigua rursus adhibuisse quantitate [sic produxere quia Ausonius prof. burd. 8, 7. Paulin. 32, 22 quasi Auienus phaen. 555. 568. progn. 142. 930. Paulin. 15, 133. 18, 384. 424. 20, 351. 24, 656. 25, 169. nisi Orient. II, 308. cito Orient. I, 340. modo Dracont. de deo I, 596. Drep. ep. ad Moduinum u. 8. duo Iuuenc. hist. euang. IV, 669. Auian. 29, 22. Prud. peri steph. 11, 89. Paulin. 3, 1. al. ego Auson. praef. ad Syagr. 35. epigr. 53, 6. 103, 7. Maximian. 2, 53 al.]. hinc autem euenit, quod Consentius [37] in exemplis elisae inter consonam et uocalem uocalis refert Vergilianum 'per duodena regit mundi sol aureus astra'. praeterea e compositis illud ibidem antiquissimi pariter atque recentissimi auctorum Latinorum communi uoluerunt esse paenultima, cum medii tempore semper

extendant. namque ita habes trinummo Plauti [203] 'atque egomet me adeo cum illis una ibidem trabo' et porro Liuii saturnio metro 'ibidémque uir súmmus ádprimús Patricoles' nec aliter apud Iuuencum [hist. eu. II, 604. III, 80]

oblatusque ibidomst quem daemonis horrida uirtus.
ille iubet cunctis ibidem conuiuia poni.

porro 'utique' quod dicit Lachmannus apud nullum poetarum sibi esse lectum, fallitur ille. prostat quippe apud Terentianum [592] breui quidem paenultima. cuius non est testimonium cur spernamus.

Iam ab his initiis modicis late succreuit licentia correptionum, qua parce auctores classici aliquanto saepius utuntur christiani, scilicet hi consuetudinem aequalium illi priorum secuti auctoritatem. igitur primum omnium simili frequentia usus nominum ac uerborum formae in o exeuntes iambicae ab antiquissima inde aetate usque ad initia Vergilii siue correptae aperte seu quod idem ualet elisae in breui inueniuntur apud dactylicos hae quae sunt homo [Lucr. VI, 652] bibo [Luc. VIII, 2] — nam fuere Romani multibibi — scio uolo [Cat. 6, 16] dabo [Cat. 13, 11] puto, quod plerumque aduerbiist instar [Octauianus in epigrammate ante bellum Mutinense scripto Mey. 80, 4], denique magna cum probabilitate dato pyrrhichiacum Lucilio tributum ab Lachmanno pro eo quod inepte fertur uulgo dare in his [p. 245. Luc. lib. VIIII] 'addes e, cum dato Furei iusseris'. praeterea proprii nominis usus libertate illud Cato pyrrhichiace extulit Varro Atacinus hoc uersu 'marmoreo Licinus tumulo iacet at Cáto paruo' quem imitando comprobauit doctissimus poetarum posteriorum Claudianus ita [c. Eutr. I, 457] 'qui sub iure negasti uiuere Caesareo paruo procede sepulcro Eutropium passure Cato'. uides quam fuerint parci illi ueteres corripiendis uerborum nominumque in o exeuntium formis. quamquam minime credibilest omnino istis uoculis licentiam esse coercitam, cum simili frequentia usus constantes aliae uelut amo nego ueto eodem haud dubie fruantur iure breuiandi finales. sed certissime cum constet illos uel iambicis uocabulis imminuendis fuisse perparcos, haud sane erit credibile etiam alia diuersae mensurae potuisse corripi. ueluti quod statuerunt homines docti nulla equidem ueterum auctoritate nisi a Iuuenale ex Lucilii libris assumpta esse uerba haec 'cuius non audeo dicere nomen? quid refert, dictis ignoscat Mucius an non?'

haec si recte habet opinio, putabimus tamen priorem particulam ut conueniret sententiae sine emolliendis numeris esse immutatam a Iuuenale. nam illud audeo ut dactylice poneretur initio saeculi ab u. c. VII nullo potuit pacto fieri. nec uero illud stare potest, quod fertur in Plauti milite metro anapaestico [1088] 'atque adeo — audin? — dicito docte et cordate. — ut cor ei saliat', in quo cum habeant libri tu dicito siue tu dicito ut, haud dubie restituemus 'tu dic' siue 'dic tu'. praeterea quod in epistulis M. Tullii uerba haec 'displiceo mihi nec sine summo scribo dolore' quidam notauere quasi eurythma, nisi forte putabimus Vahleni similes effudi ab illo uersiculos, non poterit esse uerum. neque rectius testimonio aduocabitur seruatum a Quintiliano eiusdem epigramma hoc 'fundum Vetto uocat quem possit mittere funda, ni tamen exciderit qua caua funda patet', in quo corruptum nomen proprium arguitur ea re, quod apud Calpurnium, qui item utitur istis uersibus, legitur pro eo uero, ut probabile sit potius latere nomen in us finitum recisa s, quod labem traxerit. ceterum nihil ad rationes modo expositas pertinet, quod breuiantur primitiua aduerbia endo et immo. ex quibus quamquam hoc apud dactylicos non inuenitur correptum prius Seneca, cum productum prostet hoc uersu Catulli [77, 2] 'frustra? immo magno cum pretio atque malo', tamen apud scaenicos communi habetur ultima.

Iam ab Augusti tempore qui fuerit factus progressus infringenda o ut recte perspiciatur, singulorum auctorum accurate rimandus est usus. igitur a Marone breui finali efferuntur noue haec Pollio [ecl. 3, 84. 86. 88. 4, 12] nuntio [aen. I, 391] audeo [XI, 503] porro ab Horatio in saturis et epistulis eo [sat. I, 6. 119] rogo [epist. I, 1, 11] ueto [sat. I, 1, 104] dixero [sat. I, 4, 104] obsecro [epist. I, 7, 95] quomodo [sat. I, 9, 43] mentio [sat. I, 4, 93] Pollio [I, 10, 42. 85], quod et in melicis corripuit nomen, quibus alioquin istam abstineret licentiam. praeterea ut Tibullo desino [II, 6, 41] ita Propertio caedito [V, 5, 75] dictum dactylice. sed hic longe maiore grassatus audacia findo posuit trochaice [IV, 9, 35]. at Ouidio in distichis semper imminuuntur Sulmo et Naso praeterea haud ita raris exemplis haec 'amo cano nego peto rogo leo confero desino odero Curio Gallio Scipio esto credo tollo rependo nemo ergo' [her. 5, 59. trist. I, 1, 87]. sed eidem qui statuerunt gerundii ablatiuum breuiari hoc uersu epistulae Deianirae [heroid. 9, 126] 'fortunam uultu fassa tegendo

suam', fraudis conuincuntur uel ea re, quod libro Puteaneo, cuius longe maximast auctoritas, habetur 'fassa tegente'. quare uidendum an aptius sit Nasoni tale

fortunam uultu fassa latente suam.

nam nec a Tibullo uenisse 'aufer et ipse meum pariter medicando dolore' uenisse 'patera medicante' praestantissimus quisque criticorum intellexere. sed idem Naso in transformationum libris et continuis hexametris corripiendae o qualemcunque curate uitauit licentiam. nam quod ibidem peto [VI, 352] et puto [II, 566. XI, 425] extant pyrrhichiaca, id uero antiquissimi moduli aemulatione admissum. quare quod fertur in libro XV [599] 'quamuis coniunctior illo nemo mihist' necessario cogendumst mihi.

Neque uero proxime insequente saeculo pariter apud omnes correpta o finalis optinuit, sed potius pro ingenio ac studiis diuersi auctores optinuere diuersa, quamquam nullum horum credibilest dubitasse de breuiandis iambicis. ac primum quidem apud Gratium non prostat exemplum nouae licentiae. nam uerissimum et probatum Hauptio [praef. p. 30] fertur apud eum reponite pro eo quod plerisque placuit reponito in hisce [55]

illa uel ad flatus Helices oppande serenae,
uel caligineo laxanda reponite fumo.

in quibus quod promiscue adhibentur oppande et reponite minus utique durumst illud quam quod legitur in priapeis [48, 1, 3. cf. Ou. Met. XV, 677, 8] 'quod partem madidam mei uidetis, non est ros mihi crede nec pruina'. neque uero Calpurnio quidquam in o finali admissum, quod Vergilio et prioribus improbaretur poetis. porro Petronius o cum saepe producat, non corripit extra iambica nisi in his quae sunt homuncio [153, 1 Mey.] Curio [de b. c. 288] nam in carmine illo [183 M.]

candida sidereis ardescunt lumina flammis

quod leguntur langueo et aestuo correpta finali exemplis talibus [20]

langueo deficio marcesco punior uror
aestuo suspiro pereo diuellor anhelo,

uerissimi fuere, qui uersus istos incongruos sanitati Petronii et magis Venantii aequali quam Lucani aut Senecae existimarunt aptos. tum Persio nomina equidem cretica aut spondiaca sed non perinde uerba corripiuntur, qui non recte existimatur dixisse [6, 55] 'accedo Bouillas', pro quo uere habet quod libris Montepessulano ac

Vaticano traditur accede. huius plane secutus rationes Lucanus, a quo praeterea semel breuiatur ergo [VIIII, 256]. at apud eundem quod placuit [VIII, 183] plerisque 'pergo sinistra' tuto spernetur pro eo quod pluribus asseritur testibus perge. similem uero paremque optinuit normam Silius. a quo cum saepe nomina maxime propria breuientur, uerba non corripiuntur praeter nuntio [VIII, 239. XI, 507] et quaeso [XV, 747]. e quibus illud metri necessitate hoc frequentia usus aptum fuit ad imminuendum. sed a particulis haud dubie idem procul abstinuit licentiam istam, ne a metro quidem ut recte habeat locus, qui Puteaneo codice exhibetur talis [VIIII, 193]

mihi magna satis sat uero superque
bellandi merces sit gloria.

quamquam ne illud quidem probumst, quod uulgo circumfertur 'sat uera'. uenit autem a Silio 'sat clara'. at Manilius cum haud dubie imminuat nomina, praeterea illa octo [V, 340] ergo [II, 788. III, 169. 328. 378] quando [I, 641], quid in uerbis probarit plane incertumst, cum miro casu non inueniantur apud eum quibus id perspici possit certa exempla [cf. Iacob. ad II, 109]. tum ut mittam Columellam et auctorem Aetnae breuitate carminum subobscuros, licentiam intendere Seneca Martialis Iuuenalis Statius ceteri classicorum, qui et uerborum ac nominum formas promiscue nec raro corripuere aduerbia uelut ideo illico intro porro sero subito ac numeralia puta ambo octo. denique dixerunt breui finali Seneca [Troad. 264] uincendo [H. Oe. 1862] lugendo Iuuenalis [3. 232] uigilando Nemesianus [8, 53. 9, 80] mulcendo laudando, qualia numquam admisere epici. denique a christianis omnino et indubie o finalis eis quas modo enumeraui condicionibus habita pro communi.

Ceterum etiam atque etiam monendum numquam datiuos gerundiorum posse corripi, non ut a metro melius habeat quam a sensu, quod scribi uoluit Grotius 'soluendo non es' in Senecae hisce [Oed. 942]

soluenda non est illa quae leges ratas
natura in uno uertit Oedipoda.

in quibus soluenda quam recte habeat facile intellegetur eis, qui proxime subiecta legerint. nec magis alieni corripiuntur ablatiui praeter unum illud quomodo quod sine uno seu duobus continebitur uerbis potest breuiare finalem [cf. Mart. X, 16, 8. Fleckeis. ann. phil. et paed. LXI, 45]. ceterum uix est quod dicam num-

quam monosyllaba qualia sunt do flo sto breuiari [cf. Metror. ap. Mai. auct. classic. III, 308]. quorum tamen composita ne imminuantur nil obstat. — porro Graecis quae habent ων ονος inditam Latinam finalem o primi corripuere Seneca [Agam. 514] et Statius [achill. I, 553]. at quae seruant illorum sermone per omnes casus o longam numquam breuiantur nisi paucissimis exemplis christianorum [cf. Auson. Idyll. 10, 303. Venantius 'Archyta Pythagoras Aratus Cato Plato Chrysippus']. denique talia qualia sunt Sappho echo Alecto correpta o legere me non memini.

Praeterea haud raro a poetis christianis aduerbia in e finientia corripiuntur, sicut sane inferne et superne Horatio Lucretioque breuiantur. obseruaui autem imminuta potissimum haec quae sunt fere [Auson. epigr. 103, 5] pie [Ven. miscell. IV, 2 p. 153] cautissime [Columb. monost. 170] certissime [Columb. monost. 50] impie [Ven. X, 13 p. 340] mature [Ven. VI, 2 p. 206] interne [Aus. de nob. urb. 13, 14] ualde [Coripp. iohann. VI, 524]. praeterea cum breuientur a classicis imperatiui caue et uide [Phaedr. III, 6, 3. Pers. I, 108. non 'uale', cf. Schrad. emend. p. 206], etiam hanc licentiam intendere christiani, apud quos inueniuntur attenuata finali time [auct. lib. in genes. 456] dimoue [auct. lib. in genes. 360] praecaue [Eug. 2, 5] arce [Cor. iohann. V, 413] extorque [Prud. peri steph. 5, 60] percense [Prud. hamartig. 623]. denique ab isdem interdum e breuiatur in ablatiuis primae declinationis Graecanicis ueluti in his harpe [Sidon. ad Cons. 297] Leucate [Auson. idyll. 6, 24] Mitylene [Sidon. epithalam. Polem. et Aran. 49].

Deinceps puta seu particulae siue uerbi fungens uice pyrrhichiace positum inuenitur in priapeis [37, 6] et Persium apud [4, 9] ac Martialem [II, 44, 2. VIIII, 95, 5. XI, 95, 2 al.]. at non perinde certumst illud eia an communem habeat finalem. quam haud dubie equidem corripuit Valerius Flaccus hoc uersu [VIII, 110]

ferret ad aurigerae caput arboris eia per ipsum.

nec minus apparet obseruantiis superiore libro expositis breuiari eandem quinta sede elisam sequente breui a Columella et Nemesiano metris talibus [Colum. 68. Nemes. 87]

durior aeternusque uocat labor. eia age segnes
Latonae Phoebe magnum decus eia age suetos.

nam et ita aleluia corripitur Sidonio [epist. II, 10, 26]. sed enim

huic ipsi eia effertur spondiacum hendecasyllabo hoc [praef. epithal. Polem. et Aran. 6]

eia Calliope nitente palma.

quare cum ne antiquus quidem grammaticus Valerius Probus satis aperta tradat de uocula eadem [1421. 1430], illam nos rem in medium relinquemus. iam a christianis saepe imminuuntur aduerbia in a exeuntia quaelibet qualia sunt antea [Paul. Nol. 36, 237. Sed. c. p. I, 158 al.] postea [Paul. Nol. 36, 97. Ar. a. ap. I, 762. 884 al.] contra [Prud. peri steph. 5, 145. Aus. ad Theodos. 16 al.] frustra [Prud. p. st. 1, 13. Mart. I, 92, 21] supra [Iuu. hist. eu. I, 717]. haec omnino sunt aliena a classicis [uid. interpr. ad Iuu. III, 210], nam in Germanici uersu tali [phaen. 568] 'Lanigeri et Tauri Geminorum postea cancri' diducendum esse in binas partes illud postea firmatur, si tamen testimonio egebimus, codice Basileensi. simili autem parique licentia apud christianos fruuntur numeralia uelut triginta [Iuu. hist. eu. IIII, 640 al.] quadraginta [Iuu. hist. eu. II, 171 al.] sexaginta [Prisc. de pond. et mens. 38] nonaginta [Auson. de rat. dierum ann. uert. 1. 16]. denique dignum memoria ablatiuos primae saepe corripi foedo errore ab auctore carminis in genesin uelut hoc uersu [44]

Adamus donata sibi prudentia sollers

idem apud Tertullianum et Arnobium uitium inueniri didici a Vossio [de art. gramm. II, 39], quibus et quartae sextum casum narrat corripi.

Porro haud occultam ob causam composita quae descendunt ab illis pes et par poetis christianis saepe corripiuntur ueluti Ausonio in uersu hoc [idyll. 11, 54]

tres primus par impar habet mediumque sed ipse

et porro [ib. 39]

qui bipes et quadrupes foret et tripes omnia solus.

idem alibi [epist. 21, 40]

spondeus illi lentipes ibat comes.

et asserit Probus ex illo quod est pes figurata corripere ultimam [1470]. contra cor cum haud dubie breuietur a classicis [cf. Heins. ad Ou. heroid. 15, 79] — quae res firmatur Ausonii epigrammatis eis quibus irridetur qui reminisco dixerit pro reminiscor — uidetur produci ab Aratore [a. ap. I, 383]

ecce tot egregiis unum cor esse cateruis.
incipit.

quamquam minime displicet poni; quod Barthius protulit 'cor inesse'.

Iam cum non breuiaretur s finalis classicorum usu praeter illud uiden [cf. Seru. ad aen. VI, 779], quo tamen plerique abstinuerunt — nam Horatium palus dixisse pyrrhichiace difficile adducor ut credam —, a Paulino inde imminui coeptae finales es et is uerborum et nominum us ueluti in his quae sunt seruitus [Paul. 25, 149] sexus [Sed. c. p. III, 266] spiritus [Sed. c. p. II, 239] tellus [Mart. VI, 584, 12] senectus [Maxim. 1, 246] transitus [Cor. I. Iust. III, 55] uagitus [Sed. c. p. II, 120] cerneres [Mart. VI, 585, 18] distribuisses [Ven. XI, 5, 352] nites [Ven. III, 19 p. 140] posceres [Ar. ep. ad. Parth. 22] aduenis [Ar. ep. ad Vigil. 4] custodis [Ar. a. ap. I, 411] esuris [Ar. a. ap. II, 1007] nescis [Ar. a. ap. I, 241] peruenis [Sed. c. pasch. V, 280] praeteris [Sidon. paneg. Maior. 576] quamuis [Lux. 305, 1] transis [Sid. ad Cons. 404] possis [Luxor. 347, 4] uelis [Auian. 23, 10. Venant. V, 15 p. 200 al.]. — paullo etiam prius correpta terminatio es in uocabulis Graecis uelut exemplis talibus Damastes [Auien. or. mar. 372] Herodes [Sed. hymn. 2, 29] Helles [Sid. ad Magn. Fel. 41] lyristes [Sid. ep. VIII, 11, 25] Vlixes [Maxim. 5, 20], qua longe durius est licentia quod heres Corippo [iohann. III, 366. cf. Arat. a. ap. I, 587] breuiata ponitur ultima. nam foris a Venantio correptum [de uita S. Martini IIII, 119] mitigatur eo quod haec uox pridem nominis natura abiecta accessit aduerbiis. denique auctor libri in genesim saepe corripit aduerbia numeralia uelut exemplo tali [221]

septies hic centum uixit septemque per annos.

Porro os non corrumpitur in Latinis uerbis, praeterquam quod pronepos breuiatur Sidonio [epithal. Ruric. et Ib. 133]. at leniore uitio [peri st. X, 52. 457] heros a Prudentio et aliis ponitur trochaice. contra as satis constat numquam corripi. nam in dimetro Martiani hoc [VI, 704, 6] 'uoluptas inquit anxia' aut admissum dicemus secunda sede spondeum aut potius traiectione usi initio uersus collocabimus inquit. nam nec illud credibilest Helias potius quam Helia uenisse ab Ausonio in hisce [ephem. or. 42]

Helias et solido cum corpore praeuius Henoch,

cum praesertim contraria ratione probata producantur a Martiano Arcas [I, 24, 13] et heptas [VI, 567, 9]. tamen Melas a Prisciano ponitur pyrrhichiace [perieges. 413]. denique in eu uel on pro-

ductas exeuntia apud Graecos et ipsa communia habentur ultimis temporibus, breui ut inueniantur finali Alciden [Sid. praef. paneg. Au. 11] Ammon [Mart. II, 192, 26] chalcedon [Prud. psychom. 857] daemon [Prud. c. S. II, 889. Paulin. 35, 76] Lacedaemon [Prud. c. Symm. II, 247. Sid. pan. Maior. 44] Marcion [Prud. praef. hamartig. 36] Simon [Ar. a. ap. I, 630].

His non inepte addemus de eis uerbis quae c littera terminantur disputatiunculam. — itaque primum pronominis formae hic et hoc apud scaenicos cum ambigua sint mensura, apud dactylicos longe id euenit aliter. et quidem neutrius generis nominatiuus ubi corripiatur horum libris non inuenio nisi singulis locis apud Senecam [Phoen. 550] et in priapeis [51, 28]

totus hoc exercitus,
hoc utrimque populus omnis, hoc uidit soror.
et nos hoc ipsum quod minamur inuitat.

Quae tamen in tanta multitudine contrariorum exemplorum non uerebimur lenissima usi mutatione inuertere ita 'hoc populus utrimque omnis' 'uos hoc et ipsum'. nam nec masculinum quod longe tenuiorem habet sonum prostat apud dactylicos correptum nisi rarissimum, licet iusto seuerius iudicarit de eo Probus [1433]. inuenitur autem breue exemplis potissimum Lucretii tribus binis Vergilii singulis Tibulli Sammonici Claudiani Paulini eius qui carmen de Hercule conscripsit [Lucret. II, 387. 1066. VI, 9. Verg. aen. IIII, 22. VI, 791. Tib. I, 10, 39. Samm. 726. Claud, 24, 39. Paul. 25, 210. auct. laud. Herc. 64]. ceterum ut tanto haberent odio breuem in istis formis uocalem dactylici, non euenit mutata quantitate naturali — nam hic corripi testatur Donatus [1753] — sed potius quod crassius quiddam et optunsius sonat in eis c quasi gemina. sed ab hac ambiguitate progressi ultimis imperii temporibus grammatici statuerunt etiam alia, quae c littera terminarentur, esse communia. unde Metrorius [ap. Mai. auct. class. III, 509] praecepta Vossii [de arte gramm. II, 29] Heinsiique [ad Ou. heroid. 2, 98] opinione affirmat fac non minus quam produc longa esse finali, cui certatim sunt obsecuti placito poetae christiani [Prud. peri steph. 10, 655. Sidon. paneg. Au. 344. Seuerus de uirt. cruc. 4. Maxim. 3, 63 al.]. simili ratione illud ac per ultima tempora, cum etiam ante uocales est admissum, modo producitur [Auson. ep. 16, 84. Paulin. Petric. LXI p. 1057. Orient. I, 108]

nunc breuiatur [Auien. progn. 297. Dan. hymn. I, 96, 3]. de cuius uocis quantitate cum dubitetur a plerisque, ego haud timeo dicere illam ueterum ore produci primum ad resarciendum damnum interceptae inter a et c litterae, deinde quia, nisi prosodiae diuersitatem statueris, minime apparet cur plerique illud ac non iugarint cum sequente gutturali, cum qua ab isdem haud paucis exemplis copuletur nec. denique longius propagans errorum seriem Venantius posuit donec spondiacum [miscell. VIIII, 2, 300]. at contrario delicto sic a Prudentio corripi non satis certumst, quoniam in uersu qui uulgo fertur talis [c. Symm. II, 45]

sic unum sectantur iter sic inania rerum

pars librorum haud contemnenda praebet in exitu metri 'sic cassa figuris'. ceterum ut in fine hoc addam, lac quali fuerit mensura mihi non constat. nihil enim iuuamur Venantii uersu hoc [misc. XI, 23 p. 358] 'omnia sumendo lac olus oua butyr', cum olus possit habere spiritum, ut positione producatur praecedens syllaba.

Vides ne finalium quidem mensura immutanda sine modestia aut ratione grassari christianos sed fere, ut solent, ludibriis aequalium grammaticorum aut poetarum ueterum coalitis peccare erroribus. unde dubito plerumque, apud eos insignem laudem num sint nacturi, qui et Plautinos numeros laudauere et uulgi potissimum modulis accommodari poetas uerum censent.

Iam uero correptas uulgi usu aut uersus necessitate finales postquam enarraui, quasi pro appendice de abiecta agemus sigma. de qua ita refert Tullius in oratore [45, 153] 'sine uocalibus saepe breuitatis causa contrahebant poetae nostri, ut ita dicerent multi modis uas argenteis palm et crinibus tecti fractis'. idem paullo post [48, 161] 'quin etiam, quod iam subrusticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae, quae sunt in optumus, postremam litteram detrahebant, nisi uocalis insequebatur. ita non erat ea offensio in uersibus quam nunc fugiunt poetae noui. ita enim loquebamur quist omnibu' princeps non omnibus princeps et uita illa dignu locoque non dignus'. e quibus ut priore loco memorata mittam, qualia certe numquam dactylicorum uersibus euenere praeter illud Ennii Lucretiique [317. III, 1033] 'famul infimus' quod tamen breuem amisit ultimam, cetera habent rectissime, nisi

quod neglegentia quadam lapsus in us correptam exeuntibus uerbis solis tribuit Tullius libertatem, quae pertinet etiam ad breuem finalem is. quid quod Lucilius os Graecorum in nominatiuo declinationis secundae truncare sustinuit [Lachm. p. 29]? itaque usi apocope ista, quae, cum alias significaretur scriptura, plerumque solost expressa sono, Ennius Lucilius Aedituus [Gell. XVIIII, 9, 12] Catullus [ib. 14] Lucretius denique semel Catullus uersu operum omnium ultimo praeterea identidem auctor de figuris orationis homo prouincialis qui uanitate ingenii ac stultitia uetustissimorum poetarum omnino normam sequitur. praeterea, quod longe magis mirumst, Marius Victorinus affert sotadeum incertum an ab ipso inuentum, qui non stabit nisi s paenultimae uoci suptraxeris [2538]

o mel quod apes omnibus e floribus libant.

cui similis est insolentia dimeter Paulini [24, 820] 'sic mixtus ut non mixtus sit'. contra uix memoria dignum quod statuere Diomedes [436] Charisius [249] Consentius [6. 7. 35] dixisse Vergilium magi — nam et Diomedem tribuere eidem formam talem agnoscet qui uerba illius legerit —, cum amplis testimoniis et facili ratione id refellatur.

Praeterea quod coiugatum per contractionem cum correptis is uel us uerbi substantiui illud est statuit Lachmannus in hexametris non inueniri ultra Ennium, cuius sunt dictust datust paratust, nimis artis idem circumscribit temporum finibus. quamquam quod iubet Victorinus pronuntiari [p. 2467] audiendust scribendust mutandust, id indoctissimo uulgi usu sine potius exemplo antiquissimorum commendasse putandus est, sicut binis saeculis ante illum Gellius ipse quidem pronus in imitationem ueterum aliquotiens usurpauit similia. sed uidetur Lucilius usus esse illa synchysi ita 'a me auxiliatust' pro quo libro octauo [791] Prisciani legitur auxiliatus si est et undecimo [927] auxiliatus. idem alibi dixit ut puto 'foris subteminis panust' non panus aut panus est [Non. p. 149]. nec minus certumst exemplum admissae contractionis in uersu ludicro circa finem saeculi a. u. c. VII composito auctoris nescio cuius

postquam Crassus carbo factust, Carbo crassus factus est,

quem in analectis grammaticis ab Endlichero editis latentem, in quibus bis feratur 'factus est', significauit mihi amicus meus Henri-

cus Iordanus. denique antiquissimorum imitatione auctor de schematis orationis habet [162] 'dictust Aiax'. praeterea si recte putabimus Ritschelium tribuisse Plauto illa rest uirtust mercest, non uidetur incredibile eundem illum dixisse [134] 'meritost ultus' pro tali 'meritos est ultus', quamuis facile adducare, ut scribendum uideatur 'meritos ultust'.

VII.

LIBER SEXTVS.

DE MVTATIS ALIOQVI QVANTITATIBVS SYLLABARVM ET DE VERBORVM TMESI ET ENCLISI.

Iam sicut in ultimis uerbis ita in mediis cum cura illud decuit uitari auctoribus Latinis, ne euersis modulis syllabarum pedes permutarentur neue pro iambo trochaeus aut pro dactylo poneretur amphibrachus. et illi quidem doctrinae ubertate et ingenita tuti indole. nos uero plerisque ueterum monumentis pridem perditis aut imminutis haerere aliquando et errare in quantitate uocum non est quod mireris.

Veluti non satis constare puto, longane an breui prima fuerit gabalus, deficiente quippe auctoritate. eius primam produxit imperator Macrinus uersu tali 'qualis Latinus gabalus iste fuit'. sed huius testimonium cum sit minime amplum, maioris poterit uideri momenti illud quod saeculi p. Chr. n. tertii poeta in nomine Heliogabali et metro utique dactylico tmesi usus ita 'Helio nam gabalus' aperte corripuit primam uerbi istius atque item Sidonius et Venantius in uocabulo Gallicae gentis cognomini sic [propempt. ad lib. 23. miscell. VIII, 6 p. 270]

tum terram Gabalum satis niuosam.
Priuatum Gabalus Iulianum Aruernus abundans.

quamquam apparet ne haec quidem satis certa aut ampla esse exempla. uiderint de uoce dubia potiores. ceterum si statuitur, quo inclinat animus, pecasse Macrinum in uoce ista, eo magis id illi condonabitur, quoniam satis constat uel uirum doctissimum Fridericum Ritschelium nec minus ceteros, qui nunc scaenicorum libris student de quorundam uerborum quantitate minus recto uti iudicio. statuunt enim in illis quae sunt diutius diutissime diuti-

tinus longam esse secundam syllabam, quae quidem plerumque cum praecedente per synizesim coalescat. quod quomodo defendatur non uideo. nam breuem esse u primum declaratur eo, quod in diuturno — passim id uocabulum apud dactylicos reperitur auctores [e. g. Ou. trist. III, 3, 78. IIII, 6, 50. Germ. progn. II, 54] — eadem semper corripitur, deinde idem declaratur non quidem usu frequenti sed silentio sane arguto poetarum, qui omnino extra metra iambica abstinuere illis quae sunt diutius diutinus. sed quid multa? uera res aperte comprobatur exemplis Phaedri hisce [I, 2, 16. IIII, 26, 14]

quod limo mersum cum iaceret diutius.
fruar diutius, si celerius cepero.

quare quod dixere longa secunda diutinum Prudentius [peri steph. 2, 397. 10, 1116] diutius Paulinus [16, 115], haud sane id prudentes rerum nostris anteponent rationibus. quae cum ita sint, Bentleii potius secuti sententiam — qui breuiari secundam in uerbis de quibus quaeritur statuit — damnabimus iam quod legitur in milite Plauti [502]

nisi mihi supplicium uirgarum de te datur
longum diutinumque a mane ad uesperum.

est autem scribendum

longumque diutinumque.

in quo praeterquam quod Plautum turpi uitio metrico liberaui, id ipsum placebit lectoribus, quod geminaui encliticam. nam et est Plautinissimum. ita enim dixit idem in trinummo [825] 'nam te omnes saeuomque seuerumque auidis moribus commemorant' et ibidem [876] 'cui ego liberosque bonaque commendaui Calliclem'. — aliter autem paullo habet res in uerbi quod est statim priore, quam qui produxit Auienus hoc uersu [phaen. 398] 'tum succisa Ceres statim cum uergite culmi' uetustissimorum sane sequi uidetur exemplum, de qua re dixit Ritschelius in libello de fictilibus litteratis Latinis antiquissimis [pp. 11. 12. 13]. tamen a dactylicis alioqui semper corripitur syllaba eadem, unde apud hos non inuenitur illa uox extra iambica ac logaoedica. haec quomodo potuerit oriri quantitatis ambiguitas principali forma supini quod est statum adhibita apte declarauit Ritschelius [ib. p. 8 sqq.]. nam et parili ratione factum, quod itum, cum corripiat primam litteram uulgato usu, producit eandem aliquando apud christianos ueluti hoc metro Boethii [IIII, 6, 40]

nam nisi rectos reuocans itus

et Aratoris [a. ap. I, 836]

corpusque itura per omne

seu Sedulii mauis [hymn. 1, 21]

reppulit ille famem uenitus crimine fratrum.

in quo exemplo nequis iam illud culpet, quod participium praeteriti a uerbo actiuo et intransitiuo deductum non uideatur posse stare, communi usu poetarum Latinorum pariter antiquissimorum et recentissimorum refellitur. ita enim dixit Lucilius 'interea sole occaso obductoque tenebris' et Laeuius 'cupidius miserulo obito' mox Paulinus [19, 160] 'obitis mortalibus'. idem alibi [27, 568] 'ergo probant obiti quod damnauere magistri'. ceterum simili audacia Corippo [iohann. VI, 253. 484] mansuescere ponitur pro domando, nec alienum illud quod idem auctores uerba quae sunt piget pudet paenitet personaliter adhibuere, ut aut pro accusatiuo aut pro genetiuo ponatur casus nominandi. namque ita dixit Attius 'proloqui non paenitebunt liberi ingrato ex loco' et Paulinus [6, 262] ['quicumque hominum uitae commissa prioris paenitet' et porro [21, 826] 'nunc noua paenituisti' item alio loco [20, 229] 'salua salus homini redeat commissa pigenti'. contra habes apud auctorem aetatis etiam serae cuius Hauptius euulgauit carmen [berichte der sächsischen gesellsch. der wissensch. bd. I, 210] 'quid placeat nobis, si Venus ipsa piget' nec minus apud Corippum [iohann. V, 89] 'didicerunt corda dolorem impia paenituitque malum' denique apud Columbanum [monost. 21] 'ne tua paeniteat caueas uictoria temet'. — sed ut redeam unde sum digressus, longa priore constat ratum tali uersu Merobaudis [paneg. 131] 'rata fides, ualidis quod dux premat impiger armis' nec minus datum et futum auctoris sane haud ita docti carmine in genesin [878. 1316. 1345. 1351]

promittit decimos daturum se fore fructus.
quod numerata prius sestertia dataque uati.
occulitur datum sueto iam more talentum.
futurum increpitant, quem nectant crimine, seruum.

contra ablutum Sedulius [c. p. IV, 269] Prudentius [peri steph. 5, 362] elutum correpta posuere paenultima. non diuersa ratione euenit quod in bobus et subus communis est prior, cum plenioris formae syllaba altera et cogi possit cum priore nec minus omnino abici. itaque bobus etsi plerumque implet trochaeum,

correpta tamen o dixit Ausonius [epigr. 61, 2] 'aes ueluti spirans cum bobus exagites' nec aliter subus Lucretius [VI, 974. 977]

unguentum. nam saetigeris subus acre uenenumst.
spurcities eadem subus haec iucunda uidetur.

at idem alibi [V, 966]

saetigerisque pares subus siluestria membra
nuda dabant terrae

neque aliter Varro [Eumen. 22]

an colubrae an uoluae de Albuci subus Athenis.

Aliter autem longe euenit quod adfatim producta media effertur hoc uersu Aratoris [a. ap. II, 326]

suppetit adfatim exemplorum copia nosque.

illud enim uocabulum cum a Gellii inde tempore [Gell. VI, 7] habuisset tonum in paenultima, pronuntiatione magistrorum argutiis orta euenit, ut mutaretur mediae syllabae quantitas. nam et alibi seu praesente accentu grammatico producuntur breues siue absente corripiuntur longae, licet alienis saepius causis uocalium mensura sit peruersa. quas iam pro fide enarrabimus.

Sed prius refutandum nobis, quod creditur errore falsissimo simul ac perniciosissimo christianos quantitatum curam habuisse uel nullam uel nulli simillimam, a qua adeo illi alieni fuerunt prauitate, ut ne propriorum quidem nominum, quae ab antiquissimis inde temporibus liberius sunt habita, temere migrarent rationes metricas. unde haec habet Sidonius de sanctis quibusdam uiris [epist. VIIII, 16, 81]

singulos quos nunc pia nuncupatim
non ualent uersu cohibere uerba.
quos tamen chordae nequeunt sonare
corda sonabunt.

quid quod in fine litterarum Latinarum constanti Eugenio numerorum potius aequabilitatem quam syllabarum quantitatem iniectis nominibus propriis placuit turbari [7, 13]. cuius sunt haec

sed quia cuncta simul metrum non suscipit unum,
accipe diuersis haec uariata metris.
Quintilianus adest Euotius atque Cassianus
Felix Lupercus Ianuariusque
Iulius Urbanus Apodemius inde Primitiuus
Optatus Publius Cecilianus.
hic Successus inest, hic Matutinus habetur.
ecce Faustus ecce Fronto postque Martialis est.

neque aliter Ausonius anapaestico carmini propter Herculani nomen senarium iambicum admiscuit [parent. 17], plane ut Critias VIII

saeculis ante elegiacis numeris propter Alcibiadis [cf. et Terent. 1561]. quid quod Priscianus ut Mesopotamiae uocabulum ineptum metro heroico uitaret maluit [perieg. 917] Medamnam proprio fingere periculo? porro alibi corrupta nominum mensura confitendi ingenuitate mitigatur, ueluti scienti sibi admissum quantitatis errorem hisce indicat uerbis Prudentius [peri steph. 4, 161]

quattuor post hinc superest uirorum
nomen extolli renuente metro,
quos Saturninos memorat uocatos
prisca uetustas.
carminis leges amor aureorum
nominum parui facit.

et similibus usus ambagibus Terentianus [1368]

tertium detrecto nomen. lege nam metri uetor.
παρίαμβον namque dicunt, si probatis ἔκτασιν.

uerum enimuero uel sic mutari et corrumpi pleraque sermonis Latini fuit necesse causis sane diuersissimis. e quibus satis grauis utique fuit immensa ista differentia dictionum ac numerorum, quae per ultima imperii saecula optinuit inter cultos homines et non cultos. nam cum uulgus quantitatum plurimarum sensum pridem exuisset, eis qui metrica carmina componerent — quae quidem et ipsa studiose ut colerentur seueritate scholicae disciplinae et tanta ueteris artis reuerentiast effectum — syllabarum mensurae non uiuido elegantiae sensu sed extrinsecus adscita adhiberi coeptae sunt doctrina, plane ut illorum tantum non omnibus qui nunc pangunt uersus Latinos. tali modo perceptae prosodiae quam facile opinandi prauitate seu memoriae errore potuere peruerti. ceterum Afros ut abundant uitiis etiam quantitatum legibus spernendis insignes fuisse auctor est Consentius [14], quod firmatur exemplis poetarum. apparet autem sermonem Romanum eo magis fuisse pronum ad corruptelas, quod non sicut apud Graecos factum ullius uocalis diuersae quantitates diuersitate figurarum sunt indicatae. qua quidem unice ratione euenit, ut ab his pridem indifferenter habita reliquarum uocalium mensura tamen e et o recto efferrentur modulo. nam nec aut Claudius imperator huic incommodo litteraturae Latinae iit obuiam aut magni fuit momenti, quod ultimo tempore Chilpericus rex Francorum cum aliis litteris et o mega Graecorum sermoni Romano addidit misitque in uniuersas regni sui ciuitates epistulas, ut sic pueri docerentur ac libri antiquitus scripti planati pumice rescriberentur [Greg. Turon. V, 45].

Sed iam ad rem propositam enarrandam ut accingar, sicut in ultimis uerbis ita in mediis duplicem ob causam potuit inuerti uera quantitas sine necessitate uersus seu uulgi ore mutata mensura legitima, unde plurimae sunt exortae rationes eius inuertendae.

Ac primum quidem omnium cum a metro dactylico sint alieni pedes creticus et tribrachus, apparet uerba talem mensuram continentia ipsa natura facillima fuisse ad mutandam prosodiam. porro qualicumque numero pronae erunt ad corruptionem quantitates ineptae. hinc uersibus hexametris in illo Italia prima fuit producta, quam uulgo fuisse breuem grammaticorum certis constat testimoniis. unde eandem corripuit Lucilius in iambis ita

detrusus tota ui deiectu'que Italia.

simul et euenit, ut Italus et ipse communem haberet i. similiter Sicania cum semper expleat Paeonem primum, Sicanus plerumque efficit amphibrachum. ita Maro in bucolico ad Polionem 'Sicelides musae', at in primo aeneidos 'sunt et Siculis regionibus urbes'. praeterea in Arabia principalis extenditur, at in Arabe comminuitur. itaque dixit in hexametro Ouidius 'Macedoniaque sarissa' cum Macedo et Macetes habeant e correptam. melius tamen ille consuluit necessitati quam Luxorius et Arator, qui tertiam in eodem uocabulo produxerunt [321, 1. a. ap. II, 319]. tum semper longa prima adhibentur a dactylicis Phylacides Priamides Polydamas Polydamanteus [Silius XII, 212] polypus polyposus [Martial. XII, 37, 2] monychos, quorum ad similitudinem choriambice ponuntur a Iuuenale et Rutilio [7, 204. I, 595] illa Thrasymachi Lachanii. praeterea sicut Belides ab omnibus, a Nasone Lycurgides porrecta effertur paenultima [Ib. 501]. at breuiata aperte dactylici metri necessitate semper inueniuntur siquidem quandoquidem Paeonius paeonicus [Terentian. 1532] Hipponius [Grat. 416] Leucosia, cum communi sint secunda Sidonius et Edonis. porro Edonium si statuemus dixisse Romanos pro Edono, ne ipsum quidem credemus non breuiasse o. quamquam plerumque adducor ut credam hanc formam errore librariorum prouenisse, ueluti Statii thebaidos XII [733] cum firmetur illa et scholiorum lemmate et codice Casselano, infringitur eadem diserto Seruii testimonio [ad aen. XII, 365]. tum communi uulgo sunt prima Gradiuus Cyrene Sichaeus [cf. Drakenb. ad Sil. IIII, 778]. denique Asiam ut innumeris exemplis tribracho ita paucis dactylo aequarunt

auctores [Verg. georg. I, 383. Ou. met. V, 648]. tum palatium breui prima uetustiores poetae at posteriores a Statio inde haud raro posuere producta. contra rudere quod est asinorum solis Persio et Ausonio dactylum [3, 9. epigr. 75, 3] ceteris explet tribrachum. deinde cum habeant i correptam auricula fasciculus folliculus similia, eadem extenta reperiuntur canicula clauicula craticula cuticula tegeticula febriculosus pediculosus siticulosus somniculosus. iam Apulus et Apulides cum semper breuient u, Apulia eandem intendit. sed enim prima haud perinde uariatur, quin semper habeat a longam [cf. Lachm. p. 37]. unde Apulos cretici exemplo usurus posuit Terentianus [1430]. alioquin huius licentiae exempla sunt perrara apud scriptores classicos, quamquam statuerunt homines docti a Statio arietibus [theb. II, 492] et quod uerius uidetur glomere a Lucretio longa poni antepaenultima. alia autem paucitate scriptorum incertumst quam legitime sequantur mensuram [cf. et Lachm. p. 36]. ueluti uespertilio qualem habeat a fine tertiam plane non comparet. eam sicut in papilione et upilione breuiari cum sit probabile, intendit tamen haud sane amplus auctor carminis de uocibus bestiarum hoc uersu [Mey. 233, 39]

strix nocturna sonans et uespertilio stridunt.

quare magis me moueret, quod notionem illam declinarunt per ambages Ouidius [met. IIII, 415] et Sammonicus [671], nisi suspitio oreretur non metricam ob causam sed ut uastum nimis tam exili animali describendo displicuisse illis uocabulum. non magis autem constat, locustae prima quanam fuerit quantitate: quam produxit Phaedrus metro tali [fab. Perott. 31, 7] 'grilli scarabaei locustarum copia', quem sequitur Iuuencus [h. eu. I, 360] hoc uersu 'edere locustas solitum ruralibus aruis' nec minus Corippus [iohann. II, 196]. contra Turnus satura in Neronem de nota ueuefica [schol. Iuu. 1, 71] 'ex quo Caesareas soboles horrenda Locusta', et nequis nominis proprii obiciat diuersitatem, in appellatiuo eodem breuiarunt o Octauianus [58] et Amoenus [diptych. 117]. dein sabucum longa prima cum adhibuisset Lucilius ita [Non. 74] 'ardum miserulum atque infelix lignum sabucum uocant', eandem breuiauit Sammonicus [787]. ceterum in uersu Lucilii quod posui miserulum pro eo quod uulgo fertur miserrimum, idem alias uerbum reddendum eidem sic [Non. 27] 'non rediret ad se atque illam exterminaret miserulam', in quibus

antiquitus traditumst miseram. porro magalia pro ionico a maiori Vergilius, qui unus eo uocabulo usus, adhibuit. de quibus sic refert Consentius [3] 'magalia Afrorum casae'. eandem secuti quantitatem in mapalibus Ausonius [periocha Od. XVI] et auctor libri in genesin [1010], cum breuiarint primam Maro [georg. III, 340] et Silius [XIIII, 7. XV, 421]. denique angarium breui tutius [Lucil. VI, 3] quam producta [Ar. a. ap. II, 902] ponemus antepaenultima.

Iam has licentias plurimum intenderunt auctores christiani, quamquam diuersis et ipsi usi rationibus. scilicet satis modesti fuere quantitatibus mouendis praeter nomina propria Auienus Iuuencus Auianus Priscianus, quibus aliquanto sunt minus cauti ceterorum plerique. nos ne nimium lectorum otio illudamus, Prudentii Ausoniique et Paulini cum Sidonio potissimum enarrabimus uitia in prosodiis constantia, e quibus haud sane pauca etiam aliorum usu fuerunt comprobata.

Igitur producta ob solam necessitatem metrorum contra ius fasque prima habentur horum libris potissimum haec

anachoreta [Sid. euch. ad Faust. 97] Araneola [Sid. epithal. P. et A. 147] basilicis [Paul. 28, 37] blateraret [Prud. peri st. 10, 913] charismata [Prud. c. Symm. II, 1046] Danaidum [Paul. 35, 480] Galerio [Prud. peri st. 7, 6] Macharii [Sid. euch. ad Faust. 100] Mileto [Sid. epithal. Pol. et Aran. 44] paradisi [Paul. 24, 772] Philocteta [Sid. ad Magn. Fel. 153] philosophorum [Sid. epithal. Pol. et Aran. 43] pugilibus [Prud. c. Symm. II, 518] Quirinus [Prud. peri st. 7, 36] smaragdina [Prud. psych. 862] scaturire [Paul. 21, 849] Thaletica [Sid. epith. Pol. et Aran. 89] trabalibus [Paul. 27, 435] Tricipitine [Sid. prop. ad lib. 40] Valeriane [Prud. peri st. 11, 2] Valeriorum [Prud. peri st. 4, 80] Veseui [Paul. 19, 541].

at secunda extenta reperiuntur talia

Agrigentini [Sid. pan. Anthem. 367] cyanea [Prud. psych. 858] delibuta [Prud. psych. 312] diabolus [Paul. 19, 528] gelasianos [Sid. ad Cons. 301] hecatomben [Prud. peri steph. 10, 1051] margaritum [Prud. psych. 873. cf. Ar. II, 336] matricida [Auson. de mort. XII Caes. 6] Nabataeum [Sid. p. Ma. 284] parricidae [Aus. tetrast. de imp. 21, 2] Perusina [Aus. epist. 22, 42] Pompiliorum [Prud. peri st. 10,

403] pupugerat [Prud. peri st. 9, 59] redimitos [P. psych. 687] regifugium [Auson. de fer. Rom. 13] sacrificiis [Paul. 36, 78] syllogismis [Sid. paneg. Anthem. 175] Tauromenitana [Sid. ad Magn. Felic. 163].

est etiam ubi tertia aut quarta a capite inueniatur porrecta uocalis uelut in illis

Araneola [Sid. epithal. P. et A. 147] Bonifacium [Sid. ad Magn. Felic. 275] Hippocratica [Prud. peri steph. 10, 498] Pherecratio [Sid. ep. VIIII, 13, 10] Philimachiam [Sid. ep. II, 8, 4].

Iam considerantibus exempla ista facile apparebit quam uel apud christianos aliarum rerum cura prae metri lege fuerit contempta. quod non minus confirmatur correptis plerumque ut uersui satisfiat syllabis eis quae habent accentum grammaticum sicut fit in his quae sunt

Adriani [Prud. c. Symm. I, 274] Archyta [Sid. pan. Anth. 176] Cyprianum [Ven. misc. VIII, 6, 270] detur [Luxorius 337, 6] lugubri [Prud. cath. 9, 79] spiritu [Sed. hymn. 1, 110. Paul. 21, 271] tibicines [Sed. c. p. III, 134] triduo [Sed. c. p. V, 244].

quid quod et illud identidem admisere, simul in eadem parte orationis accentu grammatico insignita ut breuiarent, at uacua eodem producerent? quale habes hoc uersu Luxorii [351, 2] 'inpleret cuncti uiscera negotii' aut Venantii tali [misc. VII, 12, 249] 'arctos meridies oriens occasus honorat'. quae cum ita sint, non absurde statuetur quantitatum quae apud christianos inueniuntur a classicorum auctoritate diuersa ea ferme non tam inscitia aut alienis curis quam numerorum gratia prouenisse, cui facilius scilicet licentiae indulgeretur, si etiam alia excusatione defenderentur nouanda in mensuris. unde quae plerumque falso modulo, alibi ab isdem efferuntur integra. ceterum auctores istos neglegentia potissimum inductos consciam ipsis omisisse in metris ueritatem etiam probatur exemplo sat notabili Martiani, qui in eo quod est fio priorem cum ipse testetur esse longam [p. 168 l. 15 ed. Grot.] tamen haud raro corripit. sane facilem ueniam delictorum licuit sperari eis, qui haud dubie nacturi essent auditores lectoresue ipsis multo minus suptiles ad mensuras uerborum. itaque ubicumque in mutandis syllabis christiani certa fuere usi ratione,

ante omnia perito iudici considerandumst illud, metrorum quaenam fuerit necessitas.

Igitur accentu grammatico apud classicos quantitates esse inuersas non potest certo comprobari. quod non erit mirum reputantibus adeo einsdem curam prae sonorum commodis esse neglectam, ut eo insignitae syllabae plerumque cum breuiarentur tum abicerentur. nec magis affirmarim huius ui apud christianos extentam breuem. nam quod habentur illorum libris producta syllaba eo insignita crapula [Prud. ham. 323] centurio [Sed. hymn. 2, 54] chlamyde [Mart. VIIII, 999, 11] gula [Lux. 314, 1] Sardinia [Prud. c. Symm. II, 946] spado [Ar. a. ap. I, 673] tinea [Sed. c. p. IIII, 21], haec et similia quaedam ut raris uocabulis uel externigenis in his nota libertate in illis incerta potissimum priorum auctoritate euenisse statuemus, quibus causis etiam alibi plerumque iusta immutatur mensura. porro sunt apud deterrimos christianorum, quae nulla excusatione sed sola neglegentia euenisse existimem, ut puta Martiano palam [I, 91, 13] uel habitu [II, 219, 6] posita longa a. quare plerumque permoueor, ut credam propter accentum ne ultima quidem imperii Romani aetate porrectas fuisse uoces Latinas, nisi quae non legitime sed argutiis grammaticorum tonum haberent principalem, ueluti secundam in nominatiuo eadem [Prud. peri st. 1, 3. Aus. idyll. 2, 8] uel in genetiuis Tiberi [Sid. pan. Au. 104] Caprasi [Sid. euch. ad Faust. 110] Hilari [Sid. euch. ad Faust. 116] uel in aduerbio, de quo supra dixi, affatim.

Longe autem magis uidetur optinuisse, ut uocales longae accentus ob defectum breuiarentur. ita enim habes correpta prima

Darios [Aus. ep. 5, 23] ganeonis [Prud. ham. 321] Nolanus [Prud. p. st. 11, 208] rubigo [Prud. psych. 105] temulentus [Pr. c. Symm. I, 135]

ac porro secunda

Aquitanas [Aus. praef. ad Syagr. 21] Chelidoni [Prud. p. st. 237] controuersiarum [Sid. ep. VIII, 11, 29]

siue tertia

calceamenta [Prud. p. st. 6, 74] concionaturum [Sid. euch. ad Faust. 126] Papianilla [Sid. prop. ad lib. 37].

at in Graecis uocabulis non temere negarim accentu ipso grammatico produci breues. nam ut omittam quaedam non satis certa, qualia sint Cragus [Au. descr. orb. terr. 1013. Prisc. perieg. 801]

magus [Ambros. 5, 12] sophia [Prud. c. Symm. I, 34] trochaei uel amphibrachi instar posita, quod Prudentius Asclepiadem [p. st. 10, 42] Sidonius Asiagenem [pan. Au. 80] et Euripidem [ad Magn. Fel. 230] Priscianus Pisidam [perieg. 808] Maximianus Socratem [1, 48] dixere extenta paenultima, non facile alia ratione quam ipsa ui tonorum potuit illud euenire. etenim quod a Corippo ariete ponitur producta paenultima [iohann. II, 400], id uero quamuis durissimum ineuitabili metri mitigatur necessitate, quae non perinde adfuit uocabulis quae memoraui modo externigenis. at Macedo ab Aratore cum longa adhibeatur e [a. ap. II, 313], huic uocabulo ut Macetae barytonesin aliquando adfuisse apud Graecos indicatur. porro erit quaerendum quam ob causam in illo Salamis secunda intendatur ab Auieno [descr. orb. 679]. — sed longe saepius accidit in Graecis, ut longas breuiarent Latini eas, quae alienigeno sermone citra syllabam accentu insignem essent positae. scilicet magis magisque intercidente eruditione liberali quid mirabimur in occidentalibus terris doctores Graecos, si modo ulli essent, non hercule fuisse meliores quam Latinos? nam et in Graecis posteriorum temporum libris plerumque similes paresque carminibus Romanis admittuntur errores quantitatum. quae cum ita sint, non erit mirum quod inueniuntur correpta altera Euripides [Sid. ad Magn. Fel. 230] Pamphylia [Auien. descr. orb. 1013] Laestrygones [Sid. epigr. ad Maior. 19] Stymphalides [Aus. id. 19, 5]. sed longe magis ea licentia ad secundam a fine penetrauit syllabam earum uocum, quae apud Graecos essent proparoxytonae. ea breuiata adhibentur cum alia tum haec Abydus [Au. descr. orb. 693] Acindynos [Aus. epigr. 40, 3] allophylus [Prud. ham. 499] Aratus [Sid. ad Cons. 113] arthrisis [Prud. p. st. 10, 495] axioma [Mart. IIII, 327. 4] azymon [Prud. ap. 353] Corcyra [Auien. descr. orb. 662] Hellanicus [Au. or. mar. 43] Libyphoenices [Au. or. mar. 421] Pachynus [Prisc. perieg. 89] Serapis [Paul. 19, 100] Triphylis [Auien. descr. orb. 569].

Praeterea longe efficacissima ad inuertendas rationes prosodiacas fuit in Graecis mutatus modulus sonorum, qua causa et in Latinis quaedam sunt correpta. nam apud Romanos diphthongus ae iam tempore satis uetusto cum sonuisset ferme simplicem e [cf. Varr. p. 382 Sp.] sed longam, mox coalito errore eadem breuiari coeptast. eius mali prima initia uersu Lucilii indicantur, quo unum ex Metellis quorum erant insignes cum P. Africano ini-

micitiae praetorem urbanum factum irridet ob falsam pronuntiationem et muneris proprii et nominis. nam uerendum esse, prauo more seruato Cecilius pretor ne rusticu' fiat [cf. et lib. inc. 97]. mox pedicare pro paedicando dixit auctor Priapei illius 'Penelopes primam Didonis prima sequatur', nisi potius statueris Romanos ad uitandum κακέμφατον Penelopen cum diphthongo extulisse sicut sceptra et scenam. iam corripere illam e quae posita esset pro ae in Latinis uerbis non equidem saepe sustinuerunt poetae christiani. ita tamen habes apud Prudentium sed cogente metro cerimoniam cum breui prima [praef. c. Symm. I, 5]. porro imminuta similiter diphthongo dixere merorem Flauius Felix [Mey. 295, 17] quesumus Luxorius [325, 7] penitudinem Octauianus [235] prebet auctor phoenicis [150]. praeterea Paulinus Petricordiensis pariter cum Venantio haud raro probauere similia. sed longe magis eadem licentia in Graecis uocabulis usurpatur non quidem Latino potius more quam alienigeno, id quod posteriorum temporum inscriptionibus satis declaratur, unde et οι illorum aliquando inuenitur attenuatum. igitur habes apud Prudentium Ausoniumque et Paulinum breuiata haec

> Betis [Paul. 10, 236] Citheron [Aus. idyll. 11, 32] Clytemestra [Aus. ep. her. 1, 4] enigma [Pr. apoth. 331] heresis [Pr. ham. 64] romphealis [Pr. cath. 7, 93] solecismus [Aus. epigr. 130, 4] sphera [Prud. apoth. 210].

huius prima uestigia mali deprenduntur uersu Sammonici [799]. quem ita scribendum esse existimo 'necte hederam adque adipes uituli simul et chamecissum', cum Turicensi codice minus bene habeatur 'hedera necte adipes uituli simul camecissum'. sed ab eodem difficile ad credendumst in Baeti flumine Hispanico priorem syllabam esse extenuatam ita [1113] 'sal niueum sumes Beticum quod nomine dicunt', cum praesertim uix apte habeat nomen positum pro cognomine, in quo uersu omnino contendimus esse reponendum 'Baetis quod nomine dicunt'. — sed plurimum licentiae traxerunt apud Romanos η et ω, quippe quae, cum propriam naturam pridem exuissent, non ut Graecis litteris etiam Latinis specie ipsa et adspectu ab eiusdem soni breuibus segregarentur. nam et similiter diphthongus ει idem illa aetate quod i correptum sonuit. — ac primum quidem frequenti usu breuiatur a christianis secunda in ecclesia mysterio psalterio idolo idolio

dolico idololatro, quibus exemplis similia infracta η uel ω uel $\varepsilon\iota$ reperiuntur cum alibi haud pauca tum in nerbis hisce

beryllus [Prud. psych. 855] Ctesiphon [Sid. ep. VIIII, 13, 21] diastema [Sid. epithal. Pol. et Aran. 64] ethicus [Prud. ham. 580] eremus [Prud. ps. 371] Euphemia [Sid. pan. Anthem. 482] mathesis [Prud. c. Symm. II, 479] Marcionita [Prud. ham. 128] Phaedone [Sid. pan. Anthem. 178] paracletus [Prud. p. st. 10, 430] Phidias [Aus. epigr. 12, 1] phrenesis [Prud. ham. 124] phonascus [Sid. ep. IIII, 11, 13] poesis [Prud. c. Symm. II, 52] Polyclitus [Pr. p. st. 10, 269] tetragonus [Aus. de puerp. 21] trigonus [Aus. id. 11, 50].

Praeterea observandum saepe corripi syllabas longas tales, quae post se haberent i breuem cum altera uocali, uelut in hisce quae sunt

copiosior [Octau. 64] denarius [Sed. c. p. II, 275] duodenarius [Arat. a. ap. I, 116] Florianus [Ar. ep. ad Flor. 2] inscitia [Boeth. IIII, 5, 21] Iulianus [Ven. misc. VIII, 6, 270] Iustinianus [Cor. laud. Iust. I, 252] Maiorianus [Sid. pan. Maior. 104. Mey. 874, 2] meridianus [Paul. 24, 917] Nepotianus [Aus. prof. burd. 16, 4] seplasia [Aus. epigr. 116, 4] suffragium [Paul. 35, 616] Vespasianus [Aus. monost. de XII Caes. 10].

in quibus praeter alias causas credo adiutam correptionem proprietate i litterae ante uocalem sitae illa, qua temporibus isdem parili sub condicione t et c sonum mutauerunt. ceterum similia quaedam supra classicorum usu notauimus. — porro etiam i cum liquida addita aliquando breuiatur uocalis praecedens. ita ducta a mamma mamilla a puso pusillus primam contra legem corripuerunt. nec minus uariant illa 'scribo scribilitarius conscribillo uacca uacillo'. ex quibus scribilitarius inuenitur hoc uersu Afranii [161]

pistori nubat cur non scribilitario?

non dissimili ratione euenit, quod breuiantur ofella et Catillus. ita imbecillus cum classicis efferatur longa altera, correpta eadem usurpatur a Prudentio [praef. apoth. 31. cath. 11, 99]. a quibus sunt aliena quae infringuntur deriuatione ea, qua producatur insequens syllaba, uelut a Sabo oriundo Sabini, qualia eadem lege mutant primam ut notare uel mutoniatus.

Tum in partibus orationis simplicibus si uocalem natura breuem geminata sequitur consona, suptracta altera principalem mensuram rursus optinere uerumst. uelut in flaccendi uerbo dempta c quantitatem mutauit Lucilius uersu tali [XXVI, 61]

coniugem infidamque flacitam familiam impuram domum.

porro hinnire et tinnire ut ceteri longa prima ita illud Laeuius hoc Terentianus [232] posuere eadem breui. deinde Porsennam alii pro antibaccho quidam adhibuerunt dactylice. praeterea Allia quamquam semper inuenitur in uersu prima longa, tamen quin aliquando tribrachum sonuerit non potest dubitari, cum dicat Seruius [ad aen. VII, 717] a Vergilio in ea propter metrum geminari l ut in illo reliquiae. — at de Graecis nominibus quae corallia Claudiano [10, 169] ceteris dicuntur curalia correpta secunda. tum semper breuiantur necessitate metri quae descendunt ab illo ῥόος ut puta Callirhoe Ocyrhoe Alexirhoe. nam et eadem causa chaerophyllum choriambice effertur a Columella [110]. — denique in barbaris nominibus Alamannorum et Marcomannorum pro diuersitate principis syllabae uariat tertia [Claud. 24, 17. Stat. silu. III, 3, 170]. at Britannos et Britanniam uocabula a Brittone deducta numquam praeter unum Lucretii uersum [VI, 1104] geminata t et longa prima adhibentur. — iam auctores christiani uel hanc libertatem ultra quam decebat cum intendissent extulere correpta uocali ea, cui duplicata uulgo adderetur consona, talia annulus [auct. carm. in genes. 1232] colloco [auct. carm. in genes. 328] opportunus [Paul. 27, 503] parricida [Prud. hamart. 564] supplex [Porf. 16, 11. 25] supplico [Damas. ap. Daniel. I, 9, 22] praeterea Graeca ecclesia [Paul. 15, 117 alibi] abyssus [Paul. 19, 651]. — ceterum composita uoce in confiniis partium cum meliore utique poetarum usu producatur uocalis praecedens — nam Lucilius et Lucretius quod dixere coruptum breui prima [lib. inc. 171. VI, 1133], migrasse uidentur ueritatem analogiae quodam studio, sicut alii contraria usi ratiocinatione conire dixerunt pro coire [Quint. I, 6, 17] uel conaudire coninquere [Paul. diac. 50. 49] —, poterit uideri acutius quam uerius statuisse Lachmannus [p. 136] Gellii loco eo ubi exempla afferuntur productae praepositionis co scribendum esse pro colligere — sic enim uulgo fertur — coiugare. nam sufficiet puto uocabulo isti alteram eximi l. ceterum ut hic coligare, dixit colocare Porfirius carmine ad Bas-

sum [11, 11]. sed usi inuento Lachmanni in uersu comici nescio cuius, cum sit traditus talis [inc. inc. fab. 32]

sed sibi cum tetulit coronam ob colligandas nuptias,

reponemus illud quod unice exigitur sensu coiugandas.

Iam incidit tempus de producta seu correpta uocula red exponendi. quae ab antiquissimo tempore per compositionem plerumque amissa ante consonas d cum breuiaretur, tamen haud raris exemplis euenit, ut ipsius finalis seruaretur assimilata quidem sequenti consonae. itaque communi omnium Romanorum usu retinent longam primam recidi — quod venit a cadendo — reperi repuli retuli, ut certum sit debere in his duplicari c p t consonas. quod cum ita sit, non intellego, quanam possit stare ratione, quod Ritschelius de coniectura Plauto tribuit metrum tale [Men. 683]

mihi tu ut dederis pallam et spinter? numquam factum repereris,

quamquam Corippum et ultimorum imperii temporum homines non moror. nam saue ab illo breuiatur prima in eo quod est retuli [iohann. V, 460. 596. VI, 153 alibi. cf. Mar. Victor. 2481]. praeterea cum librariis monachis origo rei modo enarratae satis esset obscura, plerumque per interpolationem traxere uitium uerba ista. ita, ut hoc exemplo utar, restituendumst retulit pro eo quod uulgo fertur detulit hisce Aratoris [II, 1045]

fas est modo credere cunctos
corpora de tumulis iam posse resurgere, postquam
detulit inde suum qui condidit omnia Christus.

nam illud quod nos proposuimus et communi poetarum christianorum usu et Lucretii firmatur exemplo dicentis de Epicuro 'totum immensum peragrauit mente animoque. unde refert nobis uictor, quid possit oriri, quid nequeat'. porro plurimis exemplis reliquiae et religio et religiosus retinuerunt longam primam. quod tamen dactylici numeri necessitate non uiuido uulgi usu euenisse ut existimem, hac causa permoueor, quod grammatici unico consensu asserunt metrica licentia geminari in istis uocabulis l, et magis quod relicuus, postquam trisyllabum factumst, numquam non implenit tribrachum. nam et eadem illa semper in iambicis metris corripiuntur [Ter. Ad. 444. Phaedr. I, 22, 6. IIII, 11, 4. Sen. Oed. 1021. Prud. p. st. 10, 259]. praeterea perbona poetarum auctoritate firmantur producta prima recido — quod breuem habet

secundam — [Ou. met. VI, 212. X, 18. Phaedr. III, 18, 15] et rettudi [Phaedr. IV, 24, 22. Claud. 28, 302]. quas equidem formas breuiata re dactylicos apud legere me non memini. at hercule neque Phaedrus scripsit retines uersu hoc [fab. Perot. 11, 12]

sic nisi tu natum tecum adsidue retines,

scripsit detines, nec Merobaudes reppetiere loco tali [paneg. Aet. 107]

nec dicere mussant.
reppetiere palam, iam quod sententia mundi
cunctorumque fides nullis auctoribus ambit.

in quibus reppetiere per coniecturam positumst a Niburio pro eo, quod est in libro Sangallensi, repperiere uel redpetiere. displicet praeter metri labem oratio asyndeta. scribendumst 'sed petiere'. porro alioquin apud dactylicos quae extant exempla re productae aut ante Catulli ac neotericorum aetatem aut ultimo prouenere tempore, quae minime Vergilio ac Nasoni et perfectae artis poetis tribuas. igitur habes apud Lucilium et Lucretium adaucta prima receptus [Lucil. V, 4] reducere [Lucr. I, 228 al.] relatus [Lucr. II, 1001] relictus [Lucil. XXX, 29] relicuus [Lucr. I, 560 alib.]. sic relationem longa principe posuit auctor de figuris sententiarum [27]. e quibus reducendi uerbum cum saepe inueniatur prima breui, producta eadem non reperitur nisi binis incertorum temporum epigrammatis ita [schol. Pers. I, 86. Mey. 656, 1]

a quotiens umbra reduxi brachia mota.
coniugis arte decus patriae reduxit Iason.

quare minus placet, quod in illis Vergilii [aen. V, 428] 'abduxere retro longe capita ardua ab ictu' legit Victorinus [2481] reduxere. similiter quod probatur plerisque apud Horatium 'di tibi dent capta classem reducere Troia', tuto illud spernemus prae dittographo deducere quod Porphyrii et potiore longe Bentleii scholiastarum testimoniis asseritur. — denique christianorum poetarum libris productum aliquotiens inuenitur illud re formis aliter ineptis metro. ita habes longa initiali reperimus [Dan. I, 38, 12] reperies [Paul. 18, 313] reperiens [Sed. c. p. V, 142] recolitis [Martian. I, 93, 49] refixus [Venant. misc. II, 4, 35].

Iam ceteras quantitatum in compositis uerbis aut deriuatis enarrabimus proprietates, mox flexionum notabilia quaedam perse-

cuturi. — ac primum quidem incerta de causa illud pro non per sese constans plerumque breuiatur. quippe semper a dactylicis imminuitur exemplis hisce procella profanus proficiscor profecto profugus proteruus. sed ceterorum pleraque apud classicos auctores et magis apud christianos magna fluctuant diuersitate. igitur apud illos semper corripiuntur profanus profundus propitius profanare profiteri profugere, quae a christianis aliquando producuntur [profanare Iuu. h. eu. II, 578. professio Arat. a. ap. II, 386. profiteri Iuu. h. eu. II, 351. profugere Iuu. h. eu. II, 473. profundus cf. Schneid. I, 577. propitiabilis Prud. p. st. 14, 130]. deinde annotabo communi ferri prima procurare propagare propaginem, ut tamen longe saepius breuientur. at illud profundere cum classicorum poetarum libris ternis exemplis [Cat. 64, 202. Lucan. VII, 159. Claud. 47, 14] non saepius habeat o correptam, certatim infractum a christianis [cf. e. g. Auian. 35, 1. Paul. 14, 68. 30, 72. Priscian. perieg. 974. Drep. epist. ad Vulf. 5. Eugen. 5, 10]. at Proserpina semper exceptis singulis Horatii [c. II, 13, 21] ac Senecae [Herc. fur. 549] uersibus adhibetur prima longa nec minus propulso [cf. Ter. Andr. 395. Varro Prom. lib. 1] aut propello integra efferuntur praepositione, nisi in fine hexametri bis Lucretius [IIII, 193. VI, 1025] habet tale 'prouehat atque propellat'. porro propudium cum a scaenicis breuietur, a Rutilio propudiosus [I, 388] necessitate numeri dactylici producitur, tum proficere cum paeonis primi sit instar, proceleusmaticum adhibetur a Symposio [16, 3]. itaque substantiuum ab isto uerbo oriundum imminuta o usurpatatur Ausonio [idyll. 4, 71] et Paulino [21, 310]. denique ut proneptim Persius [6, 53] sic Ouidius [met. X, 606. XIII, 142] pronepotem breui dixit prima, cum seruata recta quantitate posuerit Sidonius [epithal. Ruric. et Ib. 133]. praeterea didici e Schneideri libro [I, 578] deterioribus poetarum christianorum contra regulam imminui praepositionem in procreando profluo proluendo prosequendo. ceterum pleraque inopia librorum minus gnara nobis. ueluti quod Sergius [1830] correpta principe testatur haberi proflare, aliter nusquam non producta inueniri memini. quid quod prosapiae prima non nisi tali habetur in metro, ut omnino incerta maneat eius quantitas. at e Graecis uocabulis propola quibus constat exemplis [Lucil. V, 3. Prud. hamart. 760] porrectam habet praepositionem, quam communem facit propino

[cf. Martial. III, 82, 25. 31]. at prologi prima cum semper intendatur a scaenicis, aliter a Rufino adhibetur hoc hexametro [2709]

nam prologos trimetro didicit componere uersu.

denique Procopium incertum carminis dactylici necessitate an Latini sermonis secutus proprietatem paeonis primi instar posuit Sidonius [pan. Anthem. 68].

Praeterea cum pridem e memoria abisset hominum, coperire et conectere quali modo essent orta, haec uocabula o correpta adhibentur a Venantio ita [miscell. II, 3 p. 90. VI, 2 p. 207]

dum pallas coperit signa gerendo crucis.
quae duo regna iugo pretiosa conexuit uno.

itaque cogere imminuta o dicitur a Luxorio anacreonteo tali [309, 7] 'posuit cogente nullo'. non dissimili causa euenit ut corriperetur prima in his quae sunt denuo [Prud. p. st. 10, 797] ebrius [Eug. 5, 11] elegans [Damas. ap. Dan. I, 9, 5] eneruare [Prud. cath. 8, 64] enormis [Sed. c. p. III, 265], nisi illa eneruare enormis statuemus, id quod placuit Salmasio [ad Spart. p. 61], per ultimam imperii Romani aetatem sonuisse initio i potius quam e, ut falso ueriloquio inductos peccasse existimetur christianos. praeterea aliquando breuiatast a poetis christianis inseparabilis illa se cuius recta mensura, cum non staret uox illa per se ipsa, facile potuit deprauari. denique et socordem uel socordiam attenuata prima dixit Prudentius [p. st. 10, 810. apoth. 126] et sobrium [3, 6] Eugenius nec minus separare [II, 126, 19] Martianus.

Iam composita illa qualia sunt cinefacere candefacere frigefacere expergefacere [Lucr. IIII, 992] syllabam a fine quartam cum communem habeant natura, tamen saepius longe corripiunt.

At deriuatis uerbis magna illud cura disquirendum an uano etymo decepti poetae ueram migrauerint quantitatem. ueluti quod Iuuenco labare [h. e. II, 437 al.] longa ponitur prima at Prisciano macerare correpta [perieg. 1066], credibilest illum labendi uerbo hunc macri adiectiuo falli. ita iugis prior quod imminuitur a christianis, fecere id similitudine iugi. et feralem qui amphibrachi instar esse uoluerunt [Martian. VII, 726, 16. Coripp. iohann. VI, 477] deduxere a fero haud dubie. porro morosum breui principe adhibens Terentianus [319. 2819] arguitur non a moro potius quam a mora repetisse. minus etiam culpandus Corippus qui decorans

ponendo pro antibaccho aperte ab eo deriuat quod est decor [iohann. III, 300].

In flexionibus primum notandum communem esse perfecti formam plenam erunt, non minutam ere. id primi cum uiuido communis uitae usu optinuissent — quippe et scaenicorum libris et populari carmine illius 'erunt' mensura fuit anceps —, ultimorum temporum homines sola auctoritate antiquorum poetarum non uulgi ex more seruasse eo apparet, quod grammatici inter exempla longae metrica licentia correptae afferunt Vergilianum 'opstipui steteruntque comae'. nec minus pro necessitate uersus uariant erimus eritis in perfecto ac futuro, ut tamen pedestri sermone i produci auctor sit Probus [1434]. sed illud noue Iuuencus et Paulinus quod de uerbo substantiuo formas quae sunt erimus eritis longa posuerunt media [Iuu. h. e. IIII, 683. Paul. 17, 287. 35, 629], quamquam id minime sua destituitur ratione. — denique a e i coniugationum, praeterquam ubi illis additur iuncta u non ita raro breuiantur poetis christianis, si neque paenultimo loco sint sitae et habeant longam sequentem uelut exemplis talibus qualia sunt calceamentum [Prud. p. st. 6, 74. Ar. a. ap. I, 1044] creatura [Sid. epithal. Pol. et Ar. 92] feriturus [Max. 5, 97] palliatarum [Mart. IIII, 424, 5] peruolaturus [Mey. 620, 11] petiturus [Ar. a. ap. I, 27] sacramentum [Ven. misc. VIII, 7 p. 281] tenebamur [Ar. ep. ad Parth. 35] uerecundus [Ar. ep. ad Parth. 6. Luxor. 356, 8] uerecundia [Max. 3, 23. 5, 55]. quibus tamen exemplis uix credo fieri posse ut defendatur Terentii qualis uulgo fertur uersus [Phorm. 902]

quid ad me ibatis? ridiculum uerebamini.

denique uocabulis externigenis plerumque permagni refert natiuam an assumptam a Latinis adhibeas rationem. ita paenultima longa dixit Ennius Hectorem [fr. trag. 92] idem cum Varrone Hannibalem [sat. 14. Hercul. tuam fidem 1]. nam et Martiali Celtiber effertur dactylice [X, 20, 1], quem Catullus [39, 17] adhibuit cretice. porro Latinae potius quam Graecae linguae proprietatem secuto thalassomeli longa finali usurpatur a Sammonico ita [537] 'saepe thalassomeli iuncto cumulabimus imbri'. ceterum non perinde defenditur probabilitate rationum, quod Tiresia pro Tiresias Lucilio dicitur longa finali [l. inc. 17].

Iam uocalium breuium quantitates imminui cum non possint, tamen ipsarum seu cingentium eas consonarum ita plerumque

inuertitur natura, omnino ut dilabantur, quod syncopen uocant grammatici. quae uulgi usu cum plurimum optinuisset, ob id ipsum a poetis praeter opera quae communi uitae et humilibus affectibus adplicarentur plerumque uitatast. sed huiuscemodi licentiae quae in flexionibus acciderunt proximo melius addentur libro, nunc cetera quae nec multa sunt nec grauia persequemur. itaque uulgo sunt nota ne pedestri quidem sermone omnino illa aliena, innumeris cum firmentur exemplis poetarum, hercle lamna maniplus oraclum periclum porgo, a quo Statius dicit porxi [silu. II, 1, 205], tegmen saeclum uinclum, quibus accedunt et ipsa amplis auctoribus tuta gubernaclum spectaclum circlus [cf. Schneid. I, 172] calfacere olfacere. at Silio Asculum necessitate uersus cum esset contractum, Propertius non Latini sermonis uenia rem similem admittere ausus maluit dicere Graecanice Lycmonem seu Lygmonem [V, 1, 29] pro Lucumone. — sed iam quae notabo, aut tenui carmine ac ioculari uel satirico aut libris antiquo nimis seu nimis nouello tempore compositis prouenere. sunt autem haec amblare [Florus Mey. 212, 2] anglaris [Orient. LXI p. 1000] ardus [Luc. XXVI, 72] caldus [Lucil. VII, 8. Varro περὶ κεραυνοῦ 2 alib.] caliclus [Paul. 19, 416] coplatus [Lucr. VI, 1086] famultas [Laeu. ap. Char. 288 K.] frigdaria [Lucil. VIII, 7] nucleus [Sammonic. 404] opra [Luc. XXVIII, 30] peruiclanda [peru. Ven. 46] piaclum [Prud. peri st. 10, 219] poclum [Lucil. VIII, 2. Varro Sesquiul. 15. Prud. cath. 6, 16. Paulin. 26, 346. auctor carm. in genes. 1353] puertia [Hor. c. I, 36, 8] retinaclum [Prud. c. S. II, 147] soldus [Hor. sat. I, 2, 113. Mart. IIII, 37, 4] striglibus [Iuuen. 3, 263] surpere [Lucr. II, 314. Hor. c. IIII, 13, 20. Mart. XII, 29, 10] tabla [Drepan. LXI, p. 1089] tomaclum [Mart. I, 41, 9]. porro quod Horatio in dactylico metro ualdius [epist. I, 9, 6] idem Phaedro in iambico dicitur ualidius [V, 6, 9]. denique nomenclatorem et asseclam cum uulgari usu optinuisse constet grammaticorum testimoniis, tamen in uersibus Martialis et Iuuenalis principalem formam adhibuere sic [X, 30, 23. 9, 48]

nomenculator mugilem citat notum.
uos humili adseculae uos indulgebitis umquam.

nec minus opseculam dixit Laeuius metro ionico.

Tmesi satis incommode usus uetus poeta Latinus ita 'saxo cere comminuit brum'. quem quidem fuisse Ennium ideo adsentior hominibus doctis, quod apud Pompeium ubi hoc exem-

plum adfertur ita scribendum existimo 'aliud etiam Ennius saxo cerebrum comminuit' in quibus omisso Ennii nomine post cerebrum additum habetur eius. quod quidem peruersissima Homerici carminis aemulatione admissum esse sicut illa 'endo suam do' et 'altisonum cael' non facile erit qui dubitet. sed quod praeterea in tmesis exemplis fertur uersus talis

Massili portabant iuuenes ad littora tanas,

de huius auctore cum dissentiant summi illi arbitri rei metricae Latinae Kochius et Vahlenus — nam Ennio attribuit alter sine idonea causa, sine idonea causa alter abiudicauit —, mihi scilicet proprio periculo fuit res anquirenda. aio autem uersum saeculo post Chr. n. tertio quartoue fuisse compositum hanc quidem ob causam satis simplicem, quia Massilitanus [cf. Martial. III, 82, 23] omnino debet habere productam syllabam a fine tertiam sicut Antipolitanus [Mart. XIII, 103, 1] Gaditanus [III, 63, 5] Tauromenitanus [Lucan. IIII, 461] Tomitanus [Ou. ep. ex P. I, 6, 49] Tuditanus [Enn. 305]. quamquam non ignoro docte dubitari a Kochio illud [p. 16], num a Lucilio [XIIII, 3] in Tuditano ea lege potuerit breuiari antepaenultima, qua mediae plerumque uoces, cum initio fuissent longae, temporum interuallo sint correptae. contra ultimis imperii temporibus cum ista quoque ratio quantitatum neglegeretur, Sidonius ac Sedulius hic Samaritanum [c. p. IIII, 222] ille Tauromenitanum posuere [ad Magn. Felic. 163] imminuta i. quo et ipso uitio deformatus uersus unde orsi sumus non iam dubitabitur quin sera prouenerit aetate. quem apparet nugatoris nescio cuius ortum esse ludibrio, cum facillime possit carere tmesi uerbis ita collocatis

portabant iuuenes ad littora Massilitanas.

ceterum eodem fere tempore auctor aeque ignobilis item discerpto nomine dixit 'Elio nam gabalus' [Pomp. comm. in Don. p. 474]. sed haec qualiacumque Lucilii imitatione euenisse apparet Ausonii hisce [ep. 5, 36]

uilla Lucani mox potieris aco.
rescisso disce componere nomine uersum
Lucili uatis sic imitator eris.

unde profectus Eugenius toto carmine [23] ineptissime diuisit uoces. horum similia Lucilium admisisse uix adducor ut credam, nisi forte urbanis facetiis usus uti irrideret Ennium. praeterea in uocibus compositis sed Latinis, quarum prior pars non esset

praepositio, adhibuit tmesin Lucretius dicendo pro primordiis 'ordia prima' [IIII, 28] et alibi similiter [VI, 233. 962] 'rareque facit' 'facit are', quod imitatus est Commodianus sic [p. 150] 'obstupe iam factus iura te credere Christo'. horum similis pro septemtrione Tullius dixit [Arat. fr. 5] 'septem soliti uocitare triones'. quo aliquanto audacius est quod Vergilius [georg. III, 381] et secuti hunc Ouidius [metam. I, 64] et Auienus [progn. 328] idem uerbum aeque discerptum singulari numero posuerunt. sed praeter haec exempla tmesis in uerbis eis constitit, quibus inesset praepositio, quae propria sorte plerumque libera aduerbiorum instar agitaret, quod genus dihaeresis, cum ipsa quasi natura commendetur, non credo recte nuper abiudicatum esse a scaenicis. itaque primum dixit Ennius 'de me hortatur' [373]. nam alibi apud eundem [487] pro uulgato 'deque totondit' restituendumst quod traditur antiquitus 'et detondit'. tum Lucilii sunt haec [Non. 287. 160] 'deque dicata deque petigo', qua crebro figura eum fuisse usum tradit Consentius [cf. Porph. ad Hor. ep. II, 2, 93]. his similia haud ita pauca habet Lucretius etiam in uoculis, quae per se non constent, ut puta sic 'seque gregari disque supatis', mox ternis exemplis Maro admisit idem [eclog. 8, 17. Aen. X, 794. VIIII, 288] 'praeque diem ueniens inque ligatus inque salutatam' et huius assectatione Ouidius in transformationibus [XII, 497] 'inque cruentatus'. huius autem usus exempla tantum non omnia euenere in eis formis, quae aliter essent ineptae metro dactylico, ut inserta plerumque enclitica iusti efficerentur numeri. ceterum amauere poetae uerbis in quibus fit tmesis praemittere similis compositionis et condicionis uocabulum uelut ita 'indignos inque merentes' 'conprendunt conque gregantur'. praeterea prima potissimum sedes et quinta hac licentia occupantur. uerum post Nasonem tmesis a classicis non adhibetur nisi disyllabis praepositionibus, ita quidem ut compositionis pars utraque per se constet non indiga alterius, qualest illud

circum
spectemus uacuam Romanis uatibus aedem.

quare quod dixit Lucretius [III, 858. IIII, 829] 'inter enim iectast' et 'inter quaecumque pretantur', non inuenies simile exemplum apud insequentes, qui omnino sat raro nec hercule uiuido uulgi usu sed disciplina scholica qualemcumque admiserunt dihaeresin. ceterum poetae christiani bis terue liberius usi eadem. ita enim scripsit Paulinus [35, 406]

procurare bonis praeque cauere malis.

et qui de figuris orationis poema composuit [136. 178. 9] habet haec 'conque gregatio' 'circum illa locutio' 'peri quam dicunt odon'.

Alius autem tmesis uerborum is euenit modus, cum pars uocis compositae ab eis, ad quae natura sua pertinet, metrorum interstitio separatur. qualem habes hisce uersibus

non quiuis uidet immodulata poemata iudex.
aspicias bellum infaustum ominibusque negatam.

quae licentia cum paullo lenior uideretur alienis tmesis generibus et tempore longiore uiguit et transiit ad praepositiones disyllabas, quarum prior pars et ipsa aequaret praepositionem quales sunt inter intra, hae quasi binarum uocum instar ut haberentur. quamquam displicuisse eandem ipsam paucitate indicatur exemplorum. unde commode ea usus Flaccus in metro tali

non quiuis uidet immodulata poemata iudex.

in quo sonorum abnormitate rerum depinxit ille proprietatem sicut alibi simili artificio

ego cur, adquirere pauca
si possum, inuideor, cum lingua Catonis et Enni
sermonem patrium ditauerit.

usi autem illa distinctione, rarissime quidem omnes, in hexametris [Lachm. p. 413] Lucilius Lucretius Vergilius in aeneide Horatius Propertius Iuuenalis Manilius Statius in thebaide Paulinus [11, 9. 19. 238. 36. 207] Prudentius [peri steph. 9, 5] Arator [a. ap. II, 326] Maximianus [2, 3] Corippus [iohann. V, 768. VI, 317. 374. laud. Iust. III, 212]. porro eundem incidendi modum satis constat ignorasse Terentianum, qui dicit Maronis metrum illud 'magnanimi Iouis ingratum adscendere cubile' sua carere caesura [1705 sq.]. ceterum licentia haec cur intra heroicum uersum coerceretur, nulla fuit causa. itaque eadem in iambicis senariis usus Horatius ita

ut adsidens inplumibus pullis auis
quod si meis inaestuet praecordiis
parentibusque abominatus Hannibal

nec minus numero asclepiadeo

dum flagrantia detorquet ad oscula
arcanique fides prodiga perlucidior uitro.

quod imitatus est Paulinus metro sapphico [17, 210]

semper a bello indomiti negarunt.

et Ausonius uersu quadrato [prof. burd. 12, 7]

iam mihi cognata dudum inter memoratus nomina.

praeterea propter ea quae tertio libro exposui apparet in secunda sede diuisum fuisse tmesi illud inter hisce exemplis Persii [3, 100] ac Silii [I, 450. II, 321. XII, 536]

sed tremor inter uina subit calidumque trientem
excutit.
auulsum inter tela globo et post terga reuinctum.
stant prima inter signa senes letumque lacessunt.
haud dignam inter tanta moram. nec amoena retentant.

quibus accedit sapphicum tale Luxorii [306, 8]

dignus inter grammaticos uocari.

ceterum quod aliquando in metris talibus mutata extat forma praepositionis, non magis erit mirum, quam quod cadunt in tmesin uoces inseparabiles. nec uero alienumst ab usu eo de quo agitur, quod quidam in particulis quae sunt 'inter intra atque' admisere elisionem uocum iambicarum. etenim dixere duriores poetae Lucilius 'fimo atque sucerdis' et Catullus 'in ioco atque uino' nec minus Ausonius [epist. 24, 106] 'quaeque meo atque tuo' et Sidonius [epist. VIIII, 15, 44] 'humo atque gente' [ad Cons. 373] 'manu atque uoce' praeterea Silius 'uiri inter sidera nomen' 'manu intra limina ducit' et Arator [a. ap. I, 1024] 'manu inter uincula'. ceterum illud atque si eliditur, prorsus haud dubie aequat monosyllaborum licentiam. apparet autem etiam hac in parte interse fuisse diuersos Vergilium et Ouidium mox ceteros, prout quemque huius uel illius sequendi rationem incessisset libido. — ceterum quod duriorem normam seruauit Maro, non poterit esse mirum reputantibus eum uersificatorem longe quam poetam fuisse deteriorem. quamquam non ignoro uel alioqui maxima ingenii socordia uisum esse eundem illis, qui non Vergilio modo sed sano homine indigna patienter ferrent. quod cum ita sit, ne ceterorum aequare culpam uideamur, quae super tribus uersibus libri aeneidos secundi in opusculo de Ouidii amorum libris [philol. XI, 60—91], quo primo auspicatus sum litteras philologas, olim protuli, ea iam ignobilitati exempturus hoc loco adscribam. igitur abeuntis Creusae mentio postquam fuit iniecta his uerbis

haec ubi dicta dedit lacrimantem et multa uolentem
dicere deseruit tenuisque recessit in auras,

iam subiecta feruntur talia

ter conatus ibi collo dare brachia circum,
ter frustra compressa manus effugit imago
par leuibus uentis uolucrique simillima somno.

quae in sexto aeneidos repeti memorantes cum ceteri patienter retinuerunt tum ipse nuperrime Ribbeckius haudquaquam ille parcus abalienandis Maroni uersibus. iam quis nisi mentis inops negarit monitus et insani esse hominis non modo ter sed semel conari eum amplecti a quo sit relictus nec omnino posse fieri, ut ille manibus comprendat umbram quae in auras euanuerit. igitur non potest dubitari quin eximi oporteat libro secundo fraude grammaticorum e sexto illata illa 'ter conatus ibi'. quod si Ribbeckius cautius quam cupidius iudicare induxisset in animum, potuit ipse obseruare rem ante pedes positam. nam quod homo nobis utique longe superior nostra scripta non legit, facile patiemur. — ceterum similiter apud Vergilium Graecorum in catalogo Iliadis [II, 870] post illa quae sunt

Νάστης αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων,
οἳ Μίλητον ἔχον Φθειρῶν τ' ὄρος ἀκριτόφυλλον
Μαιάνδρου τε ῥοὰς Μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα,

falso addi interpolatione orta et ipsa talia

τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην,
Νάστης Ἀμφίμαχός τε Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.

simplicis ratiocinationis firmitate et scholiorum testimonio haud obscuro alibi comprobauimus [philol. XI, 175].

Contraria autem sunt tmesi enclisis uel proclisis, quibus accentu uno comprenduntur uoces scriptura seiunctae ac maiore certe paullo quam compositorum partes uocis interstitio diremptae. quae quamquam non substitit quibus uulgo creditur finibus, tamen haud ita amplum culto sermone apud Latinos locum optinuit. itaque constat usu poetarum dactylicorum ob frequentiam usus coire in unum uerbum uoculas quae sunt me te se nos uos cum praepositionibus, quarum pars altera constet suffixo comparatiui ter uel tra, quales sunt inter praeter intra, nec non illud nescio cum pronominis indefiniti forma qualibet monosyllaba. quare cum sit lex metri heroici ut secundus pes ne efficiatur uerbo dactylico aut spondiaco, recte habent ab arte uelut haec

attamen inter nos medio uersantur in usu.
ne tua praeter te chartis intexere quisquam.
nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum.
spem mihi nescio quam uultu promittis amico.

at uitiosa sunt talia

ast inter nos haec medio uersantur in usu.
namque intra se qui tacitum scelus adprobat ullum.

et haec quidem tam arte coaluerunt, melius ut iuncta scribantur quam discerpta. praeterea placuit quibusdam inclinari pronominis indefiniti formas non disyllabas nec minus uerbi copulatiui illud 'est' et aliquando 'sum es sunt sim sis sit sint', cum praecederet aut monosyllaba uox quaelibet aut plusquam monosyllaba trochaeo uel pyrrhichio exiens seu tribracho, cuius tamen finalis synchysi facta maneret breuis. ceterum apparet iunari enclisin uerbi substantiui, si praecedat huic subiectum uel praedicatum. itaque non recte dicetur degenerare a legibus super exitu numerorum libro tertio propositis metra talia

suisque magnum monstrat ostentum si quis.
carnarius sum, pinguiarius non sum.
parum expatrauit an parum helluatus est?
nec Iunonis
iam timet iras,
cuius gener est.
suscitet iras
nobisque ego sim.
facesse propere, mente si maleficus es.

contra male habent Senecae monometri anapaestici tales [Herc. Oet. 197. Oct. 931]

sibi Tantalis est
quid saeuior est.

ceterum, ut obiter hoc moneam satis, esse uel sat esse pro sufficiendo positum rectius scribetur una uoce sicut potisesse uel potesse. denique ad similitudinem eorum quae sunt 'interse praeterte' Ouidius illud est ad particulam non simplicem quamuis inclinauit hoc uersu [ep. e. P. II, 8, 76]

iustaque quamuis est, sit minor ira dei.

quo mollius etiam euenit Martialis exemplum illud [lib. spect. 18, 6]

postquam inter nos est, plus feritatis habet.

nec aliter Catullus [76, 8]

aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.

at non ullo constat exemplo uerba proclisi iugari cum insequentibus proprio accentu omisso. nam quod dicit Quintilianus [I, 5, 27] illa 'ab oris' et 'circum littora' dissimulata distinctione unum habere accentum, dactylicorum certe usu non confirmatur, qui semper ut diuisis omnino uocabulis utuntur praepositione et nomine finitimis.

Non inepte uidemur hoc loco addere de accentus Latini le-

gibus, quae multa poetarum lectione nobis euenere explorata. quas qui recte perpenderint, pleraque superioribus libris omissa propria iam cogitatione facile supplebunt. — itaque primum certo constat pronomina et particulas monosyllabas ut frequentia usus detrita habuisse accentum grauem exceptis interrogatiuis quis et qui [cf. Gell. VI, 2, 11]. quem eiusdem condicionis partes disyllabas habuisse in paenultima, si esset breuis, quales sunt 'ego tibi ita inter ipse intra' facilius est ad credendum quam ad demonstrandum. at quae natura productam habent priorem ueluti 'autem uero horum' non possunt non habere in eadem acutum sonum uel circumflexum. iam nomina et uerba nota sub condicione uariant accentum, ut tamen numquam in quartam a fine aut in ultimam omnium concedat syllabam in uerbis plusquam monosyllabis. quae cum lex sit certa, nihil moramur grammaticorum ineptias, qui nomina 'illene eadem musaque utraque' [Seru. ad. aen. VIIII, 37] aut particulas 'adeo [cf. Ritsch. prol. trin. 220] adfatim exaduersum [Gell. VI, 7, 4] circum pone' efferri uolunt acuta secunda, quae peruersitate ratiocinandi, non uinido umquam uulgi usu prouenere. praeterea non licet uerbum duos simul habere accentus, nisi binas cum discedit in partes, sicut potest fieri in illis mansuefacere uacefient calefit [Lachm. p. 191]. porro in proparoxytonis ultima ualidiore sonost quam siue ea quae praecedat ipsi siue finalis paroxytonorum uel properispomenorum. at in his eo magis attenuatur syllaba, quae accentum habet grammaticum, quo pleniore sono effertur insequens, ut, quantum illi dematur, huic addatur ponderis. deinde quae a principio inde uerbi tendunt ad syllabam principali tono insignitam, eorum uero sonus uariatur isdem omnino seruatis rationibus quibus ultimarum trium syllabarum. ueluti in his quae sunt 'inconcussus irrepertus' prima uocalis fortius pronuntiatur secunda et in talibus 'irreparabilis conspicabantur dominaremur' princeps syllaba tertia, tertia altera magis ualidum habet sonum. contra in illis 'recedebamus reponeremus' prima non magis elatiorem secunda potuit habere tonum quam in uocabulis bacchiacis aut amphibrachicis accentum ipsa grammaticum. — ab his autem obseruantiis pleraeque elisionum euenere leges. ceterum quod nuper omnino uegauit Langenius in annalibus philologicis et paedagogicis [LXXVIIII, 47] adfuisse accentum circumflexum uocibus Latinis, longissime a uero aberrasse illum censeo. nam qui in

monosyllabis pro simplici lege sonorum grauem tonum et acutum tam diligenter distinxerunt, qui credibilest in isdem acutum a circumflexo non segregasse? at in paenultima syllaba si eueniat sonus, quam sit diuersa pro uarietate quantitatum et ipsius et finalis condicio sonorum, supra iam declaraui. nam et illud certumst mihi alia elatione uocis efferri syllabam acuto insignitam, si natura sit longa, alia, si positione producta aut omnino breuis. quamquam facile concedo ultimorum temporum hominibus qui plane sicut nos sermonem Latinam praeceptis grammaticorum non natiuo usu perdiscerent uix aliter sonuisse priorem in eis quae sunt naue et auctor quam in naui et aucto, qualia semper eueniunt lingua degenere.

VIII.

LIBER SEPTIMVS.

OBSERVATIONES GRAMMATICAE.

Regulis metrorum sonique legibus uti satisfacerent poetae Latini, haud exiguam utique copiam dictionum oportuit parari. quas ut satis recte possimus aestimare, ipsa natura carminis efficitur, qua eximitur plerumque ambiguum. eas iam deinceps curate referemus. — quae tamen rectene an secus sint habeant non meum duxi diiudicare. uiderint de hac re quibus et otii erit satis et abunde ingenii, nos quidem, quibus neutrum superat, res ipsas indicasse satis habebimus. sed ante tamen quam exempla dinumeremus, rationes dactylicorum et studia paucis adumbrabimus. itaque apud antiquissimos Latinorum et eos qui Catullo uixere priores cum magna fuisset flexionum dictionumque copia et uarietas, mox apud Romanos idem euenit quod semper alibi, ut quo longius procederent temporum spatiis eo plura et nomina uerborum et formae euanescerent ex usu. quae Augusto aequales poetae consilio et ratione temperata cum intra certos fines coercuissent — neque enim ulla re seu priores siue insequentes magis antecelluerunt quam iudicio —, iam posterioris aetatis auctores ut in metris ita in dictionibus pleraque pedestri sermone insolita auctoritate priorum admisere pauca ipsi nouantes. at ab Hadriani tempore antiquissimorum scriptorum admiratione rursus coalita pleraque ex horum libris excerpta redundarunt in carmina neotericorum. neque enim splendores sententiarum aut lumina orationis sed potius incognita dictionum aut flexionum insolentia petiuerunt ex istis Gellius ac Fronto cum asseclis. quamquam fatendumst huius tam peruersi usus longe pauciora exempla apud

illos prostare poetarum quos classicorum numero comprehendi quam quos christianorum. namque hi haud sane liberali instituti eruditione, quo plerumque uitio malorum exemplorum praua imitatio oritur, cupide plurima e collectaneis in carmina rettulere, quae ceteri magis uenusto sensu praediti etsi guara sibi procul remouerent a scriptis propriis. adde quod a materia operis et necessitate exprimendi res philosophas et theologas haud raro illis ortus est talium dictionum usus, quas primi nondum adulto iudicio et ut metrum explerent adhibuissent. ceterum cum christianorum plerique plebis in usum sua componerent haudquaquam ipsi insigni loco nati, saepe dubium euenit, a polito sermone aliena uulgine ex usu an docta uetustissimorum auctorum aemulatione adhibuerint. contra satis certo constat talia qualia sunt struiturus graditurus hauriturus et quae similia extant uitia intermorientis linguae propria aequalium ex usu adsumi ab isdem. — haec praefati iam accedimus ad proponendas obseruationes grammaticas, quibus flexiones ferme ac deriuationes metricis potissimum rationibus ortae aut mutatae enarrentur. ceterum minime fuit in animo obuia plerisque ac trita recoquendo libri huius molem adgrauare, quae, etsi probe ad rem pertineant nostram, breuiter notantibus aut omittentibus omnino nobis facile concedetur.

Igitur de substantiuis nominibus primae declinationis haec ferme inuenio digna quae memorentur. dixere clientam genere feminino pro cliente Horatius [c. II, 18, 8] et Ausonius [parent. 24, 12]. porro genitiui in as exeuntis, si omiseris Ennianum 'dux ipse uias' [ann. 421], nullum mansit uestigium praeter illud paterfamilias, quod Sisennae libidine seruatum [Char. 83] prostat bis apud Phaedrum [III, 10, 48. fab. perott. 11, 1], quamquam uel in hoc Martialis spreuit formam uetustam [I, 84, 5]. at finali ai per diductas syllabas cum conclusissent substantiuorum pariter atque adiectiuorum genetiuum — nam in datiuo numquam accidit idem [Lachm. p. 40] — Ennius Lucilius Varro Lucretius Tullius, iam quaternis exemplis, ut recte notat Probus [1438], adhibuit eandem terminationem Vergilius ut puta 'aquai aulai aurai pictai' haud sane quisquam alius poetarum classicorum nisi ad irridendam uetustatem, ut est illud Martialis 'attonitusque legis terrai frundiferai Attius et quidquid Pacuuiusque uomunt' [Mart. XI, 90, 5. cf. Pers. 6, 9]. contra imitatione antiquissimorum dixere Prudentius [apoth. 702] aquai Ausonius [idyll. 7, 5] herai.

denique numeri pluralis casus datiuum uel ablatiuum in abus nullus finxit classicorum. hinc factum quod Callimachi illud 'βόστρυχον ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς' sic maluit interpretari Catullus 'quam cunctis illa dearum leuia protendens brachia pollicitast'. minus lepidum foret deabus. tamen christianis placuit terminatio illa in deabus [Commodian. I, 16 p. 143. Prud. apoth. 197. Paulin. 36, 52] et animabus [Prud. c. Symm. I, 531. peri steph. 2, 289].

Deinde nominatiuo secundae inueniuntur per metaplasmum posita in scriptis Catullo prioribus cum alia haud pauca tum haec 'arquus [Lucr. VI, 526] caelus [Enn. 474] chartus [Lucil. XXVII, 10] cliuum [Memm. ap. Non. 194] gelum [Var. Sesquiul. 21. Lucr. V, 205] uoltum [Enn. 536. Lucr. IV, 1205] uolturus [Enn. 141] uolturius [Lucr. IV, 678. Lucil. I, 27]'. ceterum obiter moneo numquam tabum masculino inueniri genere, omnino Senecae Hercule Oetaeo [520] uti sit scribendum 'tabum fluentum', non quod in Mediceost libro fluentem. — iam cum quaedam uerbalia quartae maxime 'senatus tumultus uersus' secundae plerumque adsumant formas apud antiquissimos, horum aemulatione Ausonius dixit [idyll. 8, 5. epist. 25, 56] senati. praeterea notumst genetiuos nominum in ius uel ium finientium contrahi solere ante Propertium. qua in re quod obseruauit Lachmannus [p. 326] raro euenire eandem rationem in nominatiuis explentibus tribrachum non tamen ut probetur aliena, id uero non altiore quadam accidit causa sed odio formarum iambicarum, uocali quae exirent, ob difficultatem elisionis. ceterum plenior terminatio postquam increbuit, antiquior poetarum libris adhiberi numquam desiit. quare quod concedit Beda [2373] uersum Paulini hunc 'oblectans inopem sensu fructuque peculii' posse scandi ita, ut aut cum synizesi proferatur illud peculii aut secundum Lucilii praeceptum per unam i scribatur, nos uero uno contenti modulo benignitatem ei remittemus. porro in datiuo prorsus eximio usus inuento Vahlenus intellexit dixisse Ennium Mettoi Fubettoi, sicut apud uetustissimos in usu fuisse populoi Romanoi auctor est Victorinus. praeterea in uocatiuo casu soloece dixerunt dee Prudentius [ham. 930] Marcie Luxorius [325, 1] sicut Graius ille Liuius filie. tum datiui qui habent iis ut ab optimis poetarum classicorum [cf. Lachm. p. 279] ita etiam ab auctoribus christianis aliquando fuere contracti. sic habes apud Martianum [I, 93, 51. VIIII, 999, 16] auspicis et iurgis.

sed nominatiuos perinde cogi non licet. nam Crustumeri Vergilio et Propertio Gabi et Manilio Deci dicti propriorum potius nominum licentia, non uulgatae pronuntiationis rationibus excusantur [Lachm. p. 252]. at de genetiuis in um exeuntibus sic refert Seruius commentario ad aeneidos II [18] 'uirum pro uirorum. hac figura et in prosa utimur. dicit sane Plinius hoc in neutris non esse faciendum, scilicet propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat'. — nec hercule breuior terminatio apud dactylicos exceptis antiquissimis — nam dixit Ennius uerbum pro uerborum — inuenitur extra masculina. ex quibus plurimum etiam pedestri usu uiguere illa deum [Cic. or. 46, 156] diuum nummum [Cic. l. c.], quibus solis usus Horatius [cf. Mein. praef. Hor. p. 13 et Hor. c. IIII, 6, 22]. quibus simillima accedunt communi frequentia liberum [Cic. l. c. 155] uirum [Cic. l. c.] inferum superum, quamquam primum et tertium perspicuam ob causam absunt a dactylicis numeris. his igitur genetiuis addito uno alteroue uocabulo proprio continuere licentiam plerique, quorum in numero fuere Tibullus Manilius Calpurnius auctor Aetnae Petronius Homerus Latinus Persius Martialis Iuuenalis Rutilius alii. e quibus maxime insignest exemplum Senecae collatum cum antiquis tragicis, quorum aemulationem apte expressit Phaedrus similitudine dictionum ita [IIII, 7, 10]

inhospitalis prima quae ponti sinus
patefecit in perniciem Graium et barbarum.

in quibus, ut obiter hoc moneam, pontus non est quod uidetur plerisque proprium nomen sed appellatiuum, id quod apparet eis, quae infra adiciuntur [17] 'quid tibi uidetur? hoc quoque insulsumst ais falsoque dictum, longe quia uetustior Aegea Minos classe perdomuit freta'. uerum ab illa modestia satis fuere diuersi alii, maxime epici. e quibus apud Vergilium habes a solito usu distantia caelicolum equum famulum iuuencum socium. idem minuta forma multa adhibuit nomina propria. iam illud caelicolum plerique, praeterea Statius haudquaquam epicis solum libris probauit genetiuos hos

auum [theb. III, 560] equum [th. IIII, 730] famulum [theb. I, 554] ministrum [silu. III, 1, 86] semideum [theb. I, 206] socium [theb. III, 64]

ita habes apud Valerium

equum [VI, 237] fluuium [VI, 391] famulum [III, 282] lituum [VI, 166] socium [III, 4]

et apud Silium

anum [XI, 504] equum [XII, 681] lituum [XIII, 146] socium [IIII, 597].

sed enim ab hac licentia primae declinationis exclusa sunt uerba appellatiua praeter formas in cola et gena exeuntes, quas tamen plerumque permoueor ab secundae declinationis nominatiuis ut repetam. porro e christianis Aquilius iuuencum [h. e. II, 157] discipulum Sedulius [c. p. IIII, 127. V, 337] admisere. denique dixit Lucilius l. XV [13] holerorum pro holerum.

At pro nominatiuo tertiae in or finito cum antiquissimi admisissent saepe os uelut in hisce 'colos labos lepos odos uapos', eo abstinuere ut plurimum insequentes praeter illa honos et arbos, quae ad ultima usque tempora aequabili usu uiguere [cf. Paulin. 6, 156. 19, 298. Consent. 13]. praeterea amauit postrema aetas tertiae uel quintae haud pauca quae in es exirent terminare illo is. unde Caper [2246] 'saeua fames' inquit 'non famis dicendumst'. nam praeter hoc ipsum exemplum [Prud. psych. 479. Venant. miscell. II, 4, 12] similia habes cautis [Prud. p. st. 10, 701] luis [Prud. psychom. 508. Paul. Petricord. LXI, p. 1014] Gangis [Prud. c. Symm. II, 607] Ioannis [Prud. cath. 6, 108] scrobis [Prud. c. Symm. I, 641]. sic torquis [Stat. theb. X, 518] uallis uulpis etiam apud classicos inueniuntur. alium autem per metaplasmum inuenitur apud Valerium seps pro sepes [VI, 537]. contra Ennio et Lucilio [598. 518. I, 22] trabes et canes dicuntur quae ceteris trabs canis. deinde quae in ar uel al terminantur per apocopen aliquando principalem formam rursus adsumunt. ita habes Lucretii libris exemplare [II, 124] et Martialis [XIIII, 121, 2] cochleare et apud Senecam [Med. 676] penetrale. contra magis placet altare quam altar [Prud. p. steph. 3, 212]. porro iam notabo nominatiuum illum Iouis imitatione uetustissimorum usurpasse Homerum Latinum [651] et Appuleium [Mey. 229, 7] cum Commodiano [I, 6, 1 p. 136] et Paulino [36, 80]. nec indignumst memoria pro illo sanguis ut ab antiquissimis etiam a Statio thebaidos quarto [464] et ab Auieno in periegesi [921] poni sanguen. ita Catullus solus dixit hoc turben [Seru. ad aen. VII, 378. cf. Cat. 64, 107]. tum de illo lac sic refert Ausonius [idyll. 12 grammaticomast.]

uox solita et cunctis notissima, si memor es, lac
cur condemnetur, ratio magis ut faciat lact?

sed hanc formam in carmine non inueni. quod contra dixerunt lacte Ennius [355] Varro [Andabat. 11] Sammonicus [1079]. praeterea cum optimi auctores iter et itiner sic distinguerent usu, ut illud nominandi casu hoc ceteris omnibus optineret, poetae uetustissimi pariter atque recentissimi inuerterunt plerumque hanc normam [cf. Varr. prans. par. 1. cycn. 1. Lucr. V, 651. VI, 339. Iuuencus II, 23. I, 278. 325. 353]. ita et Manilius Lucretium secutus l. I [88] dixit itiner. praeterea illi, qui laterem et latus permutent usu, apte irridentur ab Lucilio lib. VIIII uersibus his

laterem qui ducit habet nil amplius umquam
quam commune lutum e paleis caenumque acerosum.

quod sane mirumst fefellisse Schmidtium, illius qui uoluminis fragmenta ad res grammaticas pertinentia scholico opusculo enarrauit [Berol. 1840]. — porro sicut Ennius lapi [390] Paulinus dixit [21, 376] gignendi casu sanguis nec aliter auctor libri in genesin sanguem ita [638]

fratris nam germine creta
Sarra fuit iuncta deducens linea sanguem.

mira illa Lucilii acceptoris [lib. inc. 127] pro accipitris et Martialis [XIII, 91, 1] acipensem. tum praeter cascos et nouellos probarunt uulgo propaginem propagine, at idem dixere saepius compagem compage ambages. tamen apud Manilium reperitur ambagine [IIII, 304. cf. Prud. c. Symm. II, 847]. denique crebrumst usu impete, cum semel inueniatur impetis Lucretii VI [327]. at soloecumst, quod dixit Lucilius [III, 12] auferendi casu 'media nox' pro nocte nec multo melius eiusdem [XV, 2] milli pro mille. praeterea in sexto casu complures apud auctores prostat mare atque ita praesepe apud Sedulium [IIII, 301] apud Corippum missile [iohann. V, 671] apud Boethium [III, 12, 36] site. deinde in eis uerbis quae cum recto casu habeant es pariter admittunt em et im e et i es et is, poetae pro necessitate uersus et soni commodo formas uariarunt [cf. Gell. XIII, 21, 4 sq.], quorum numero antiquissimi accedere uoluerant quaedam a monosyllabis potissimum descendentia puta 'partim parti luci monti'. praeterea pluratiuo numero speres speribus apud uetustissimos inueniuntur, cum deficiat quintae uerbum spes. — porro in pluralis numeri genetinis plerumque a poetis dactylicis scaenicisque synizesis formidine cogitur ium in um, quod potissimum accidit praecedentibus nt uel rt ob proprietatem quandam litterae t, quam sequatur i

breuis cum uocali. denique accusatiuo uis pro illo uires posuit Lucretius lib. II [586] puto etiam quinto et hoc uersu [1031] 'sentit enim uis quisque suas quod possit abuti', in quibus traditumst antiquitus uis suam. nec tamen hinc probatur potuisse dicere Tacitum in dialogo de oratoribus [26] genetiuo casu 'plus uis quam sanguinis', cum praesertim uis illud et sensu idoneo careat.

Iam in quarta declinatione uis pro us positum a Varrone et Nigidio cum firmet Gellius [IIII, 16, 1], apud hunc in saturis Menippeis inueniuntur [Meleag. 1. Prom. lib. 1. Andab. 11] fructuis manuis partuis, sed perinde an dixerit Ausonius [parent. 16, 1] nuruis, non puto satis constare. contra in datiuo u pro ui siculi antiquissimorum saepe libris etiam alibi aliquando reperitur [Verg. g. IIII, 198. aen. I, 257. Grat. 304. Sil. IIII, 18. V. 372. Auson. ephemeris, parecb. 18]. denique ablatiuo dixere Varro [prans. par. 2] humu Lucretius [IIII, 209. I, 720] diu et fretu quidam domu. ita Gellius l. XIII haec asserit [21, 15] 'Marco etiam Ciceroni mollius teretiusque uisum in quinta in Verrem fretu scribere quam freto. perangusto inquit fretu diuisa. erat enim crassius iam inuenustiusque perangusto freto dicere'. in quibus illud inuenustiusque propria de coniectura posui pro eo quod uulgo fertur uetustiusque. nam neque antiquius fuit freto quam fretu neque ultra aetate praestet forma sed ultra elegantia indicari refert Gellii. praeterea genetiuo pluralis ad explendum metrum dactylicum cum primus Lucretius dixisset alituum, idem Maronis auctoritate confirmatum haud pauci admisere poetae ueluti Manilius [V, 370] Statius [silu. I, 2, 184] qui scripsit phoenicem [157]. denique Prudentio post annos D renouatumst Attianum ossuum [p. st. 2, 532. 5, 111].

Denique quintae genetiuo aliquando a poetis uel optimis e uel i ponitur per synaloepham [Verg. aen. I, 636. Hor. c. III, 7, 4. Ou. met. III, 341. VII, 727. 737. Aus. idyll. 14, 14. de rat. dier. ann. uert. 7, 12. Paulin. 14, 67]. datiuo idem fieri non perinde fuit usitatum [cf. tamen Gell. VIIII, 14, 21], licet dixerit Horatius [sat. I, 3, 95] 'commissa fide'. praeterea creandi casu Ennius [401] dies Lucretius [IIII, 1075] rabies posuere. nam et refert Gellius [VIIII, 14, 6] ipsis Tullio [pr. Sext. 12, 28] et Vergilio [georg. I, 208] probatum fuisse illud dies. iam quod dicit Priscianus [768] uetustissimos mole tabe fame producta protulisse e,

mole longa finali positum non inueni, sed sane apud Lucretium [I, 806] tabe sicut apud eundem contage [III, 732] et trimetro auctoris incerti, quem affert Varro [Man. 5], squale et scabre. at hercule fame aliter quam iambice qui adhibuerint non inuenio priores Luxorio [310, 6] et Corippo [iohann. VI, 308], ut extremae sit ignorantiae quod quidam Liuii Andronici fragmento, quod legitur apud Nonium s. l. perbitere perire, idem tribuit uitium [fr. trag. 25], addito scilicet lacunae signo, quo dempto pariter sensus ac metrum pura fluent elegantia. — ceterum non inepte addemus eiusdem nominis genetiuo inueniri et fami [Gell. VIIII, 14, 4. 10 sq.] et famis [Verg. moret. 119. Sil. III, 326 al.], sed datiuum omnino desse, nisi semel incertae aetatis epigrammate feratur [Mey. 1098, 4] 'quo legat hibernae commoda grana fami'. praeterea quie placuit Laeuio, ut aliis requie, et satiem Iuuenco [h. e. III, 216. cf. Mey. 1408, 5], cum antiquissimi dixissent satiatem ab eo quod est satias. denique illud spebus haud raro inuenitur apud christianos poetas [Paulin. 18, 243. Claud. Vict. epist. ad Salm. u. 20].

At nomina adiectiua secundae ac primae notumst exire in us a um uel er a um praeter unum illud satur, a quo tamen fingitur Corippo insaturus [iohann. III, 369]. deinde a nominibus ducta et uerbis qualia sunt altiuolans frugiferens plerumque per metaplasmum us uel er secundae adsumunt. contra pro aedituo, quem ridiculo quidam ueriloquio usi Varronis tempore dicere coepissent aedituum, Lucretius l. VI dicit aedituentem. — uerum enimuero post Augusti tempus omnino classicorum ex usu longior forma euanuit. hinc autem factumst, quod exprobrauit Seneca Ciceroni quasi Enniana et indigna culto sermone suauiloquentem et breuiloquentiam [Gell. XII, 2, 7]. quod cum ita sit, uix adducor, ut credam scripsisse Valerium [V, 248] omnituens aut Symposium [19, 1] raucisonans, quae uulgo illis tribuuntur pro eis quae nec ipsa carent testium auctoritate 'omne tuens rauca sonans'. sed scilicet et hac in parte antiquissimorum normae tenaces fuerunt christiani. quippe habes apud Iuuencum [IV, 201. III, 623. II, 551] flaminicomantem glaucicomantem frugiferentem apud Ausonium [id. 6, 11] auricomantem, apud alios similia. iam ut obiter hoc addam, cum satis constet uetustissimis rudi etiamtum ciuitate in compositis talibus fingendis audaciam magis et proprietatem quam modestiam elegantiamque ostentari — quos tamen

non sine laude secutus est Catullus in epyllio et in Atti —, ab Augusti inde aetate numerus illorum ualde imminui coeptus est, uix ut alia reperiantur ab exeunte inde saeculo u. c. VIII quam Vergilii Ouidiique exemplis firma. eximendus tamen est Seneca, qui uocum in ficus exeuntium frequentia ut aliis quibusdam rebus ueterum tragicorum sequitur usum. apud quem obseruaui haec 'castificus incestificus laetificus luctificus magnificus nidificus sacrificus saxificus superbificus tabificus terrificus'. talium autem compositorum audaciam seu frequentiam aequalibus tragicis Lucilius exprobrauit uersu hoc 'ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis'. nam ad tragicos carpendos et alia pertinent eiusdem fragmenta ueluti hoc 'lasciuire genus nasi rostrique repandum' [cf. Gerl. praef. 62], quo irridetur notus Attii uersus 'Nerei repandirostrum incuruicernicum pecus', nec minus tale

Tisiphone Tityi e pulmonibus atque adipe unguen
excoctum attulit Eumenidum sanctissima Erinnys.

quibus uerbis apparet tragici nescio cuius irrideri et dictionum abundantiam et rerum foeditatem Canidiae aut Thyestis mensas referentem. ceterum ultimae aetatis auctores classicorum rursum migrarunt modestiam, ueluti primus post Plautum Corippus posuit urbicapum [iohann. I, 160]. ita et largiferum dixit Drepanius [epist. ad Vullin. 5] secundum Ennianum dulciferum siue mauis Tullii anxiferum. — sed ut redeam in uiam, inuenitur prosperus pro illo prosper Silii l. X [202]. praeterea uerborum quae nominatiuo habent er alia abiciunt e, retinent alia. sed dexteram an dextram dicas nihil interest. unde plerumque per ludibrium abusi sunt auctores libertate illa ueluti Ouidius in quarto epistularum ex Ponto [7, 43]

ut propius uentumst admotaque dextera dextrae

idem alibi [met. III, 640. cf. Sil. XI, 553]

dextera Naxos erat. dextra mihi lintea danti.

deinde quod Vergilius dixit aspris [aen. II, 379] imitati sunt Statius [theb. I, 622] Palladius [67] alii. denique Ausonium iam supra declaraui posuisse altrum [de rat. dier. ann. uert. 7]. quod scaenicorum instituit ad exemplum [cf. Ritschel. prooem. Bonn. 1852—53 p. 11]. porro intellegitur adiectiua in ius ia ium finientia non posse habere genetiuo simplex i, nisi quae aut substantiua aequabunt aut certe erunt propria uelut habes apud Ciceronem ac Manilium aquari sagittari in priapeis aerari [82, 1] apud Pri-

scianum sextari [de pond. et mens. 80] Senecae Propertiique et Iuuenalis libris Epidauri dei Iouis Feretri nominis Appi [cf. Lachm. p. 327]. deinde non absurdumst memoria adiectiuorum in eus exeuntium uocatiuos, cum apud classicos poetas non reperiantur, identidem prostare apud christianos ut puta ignee [Prud. cath. 10, 1] lignee [Sed. c. p. I, 252] uitree [Aus. de nob. urb. 13, 30]. — nam quod Statius nisi fallit memoria posuit simili abnormitate sonorum Danaa agmina, id uero proprii uocabuli necessitate mitigatur. praeterea fuere ultimis temporibus, uocandi casu qui pro illo mi ponerent meus. ita dixit Sidonius [ad Consent. 465] 'Marcelline meus'. deinde in pluralis numeri genetiuis breuiore forma usi dixere Ennius neutro quidem genere [252] paucum Varro masculino uuidum [papiap. 3] et Vergilius magnanimum omnigenum [aen. III, 704. VIII, 698] ac Valerius aligerum [VII, 171] innumerum [II, 130] niueum [VI, 102] semiferum [I, 455] terrigenum [II, 18] nec minus Silius lanigerum [XIII, 433] Statius ut Maro magnanimum [theb. II, 733. silu. V, 3, 10] paruum [th. I, 609]. porro Martiano placuere omnigenum [VIIII, 911, 6] sacrum [V, 566, 12] et Ausonio geminum [idyll. 1, 25]. ab hac autem licentia cum in adiectiuis non minus quam in substantiuis excludantur feminina, Silii illo 'lanigerum bidentum' credo bidentem masculine adhiberi sicut alibi dixit idem 'geminusque cupido' [IIII, 99]. neque hercule credibilest serium neutro genere dici ab Martiano [III, 289, 11], ut uisumst Koppio. denique dandi casu dixere Ennius [167] Iunis Martialis [IIII. 18, 1. I. 117, 17] Vipsanis et denaris.

Porro in eis quae tertiam sequuntur primum notabo ab Ennio dici [17] ueter pro uulgato uetus. porro Valerii II [296] habes 'dite solum' sicut est apud Naeuium [b. P. fr. inc. 13] Samnite. huc pertinent substantiua Ditis et Samnitis, quorum altero auctor Aetnae [642] altero utitur Prudentius [p. st. 11, 207]. in epistula Didonis, quam conscripsit Ouidius, scribendum existimo [7, 71] 'quid tantist odium merui cur caelite dicas' pro eo quod fertur codice Puteaneo 'totum merui concedite'. sic alibi ipse Naso [fast. I, 236] dixit 'caelitibus regnis'. praeterea praecipem quasi praecipitem dixere Ennius [391] et Laeuius et mansuem pro mansuetem Varro [ὄν. λύρ. 7]. — rarum nec tamen inauditum illud est adiectiua in is e finita ablatiuo e adsumere. ita enim dixit Ouidius [fast. VI, 158. met. XV, 743. her. 8, 64]

bimestre et coeleste et perenne mox Pomponius [u. 1] humile et Seneca [Herc. Oet. 1844. 1450] incolume quale. — at de participiis sic refert Seruius in arte grammatica [p. 524 Lindem.] 'participia in e debent desinere non in i. auctores tamen euphoniam secuti sunt'. quod firmatur equidem norma poetarum, ut seueriore paullo iudicio usus Bentleius productam flexionem depulerit ex libris Horatianis.

Iam in superlatiuis umus pro imus ne quarto quidem p. Chr. n. saeculo adhiberi prorsus desisse certissime apparet eo, quod acrosticho quodam Porfirii legitur [11, 16] optumus. quod minime fuit ille recepturus, si a uulgato nimis abhorreret usu. praeterea soloece dixere Ennius [448] celerissimum Lucretius et Varro [I, 615. papiap. 14] paruissimum Catullus piissimum [29, 23], quibus non melius rem gessit Luxorius dicendo proximiorem quasi propiorem hoc uersu [325, 3] 'cum sis proximior une uelut domu' [cf. de uocatiuo une Stat. theb. IIII, 621. Valer. Flacc. IIII, 467, 8]. idem placuit Corippo uerbum [iohann. VI, 421. VII, 11].

Haud absurde agetur hoc loco de adiectiuis eis quae ius genetiuo datiuo i adsumunt, qualia sunt unus solus alter. ea legitima declinatione inflecti etsi non multis haud tamen obscuris constat exemplis. nam ut Lucretiana aliae [III, 916] uel uno [III, 421] et antiquitatis haud pauca mittam exempla, dixere Palladius nullo [100] Propertius nullae [I, 20, 35] Ouidius toto [am. III, 3, 41]. ita Varronis fragmentum, quod apud Nonium legitur s. u. eunuchare, reconcinnandumst tale

siqui patriam
maiorem parentem extinguit, in eost culpa. quod facit
pro sua parte is, qui se eunuchat aut alii quei liberos
perducit.

quae uersibus contineri perspexit Vahlenus. at illa 'alii quei perducit' nostro prodiere inuento, nam uulgo fertur aliqui uel aliqua producit. ceterum ineptissimumst, quod dicit Ribbeckius uerbis Varronis admoneri homines ad coniugia ineunda, quasi haec qui aspernantur ideo corpus suum euirent. apparet potuitque intellegi uel huic carpi loco isto ciues Romanos qui Cybelae ad sacerdotium aut ipsi sese traderent aut alios pellicerent, cuius prauitatis exempla coalitis cultibus exterrigenis cum prima extitissent medio saeculo a. u. c. VII [Momms. h. R. II, 421]; finiente eodem haud dubie proueuere multiplicata. — praeterea alis alid ali ad-

hibuere Lucretius et Catullus. ita Lucilius lib. XXVI 'curet aegrotum, sumptum homini praebeat, genium suum defrudet; ali parcat'. porro haud indignumst memoria alterutrum, cum feminini quarto casu geminata extulisset declinatione Lucretius [V, 588]. apud insequentes numquam non manere integrum priore parte.

Deinde pronominibus personalibus aut possessiuis rarissime euenit apud bonos auctores ut adhaererent illa met uel pte, quippe quae, cum nullam adderent uim sensui, nimis metri inopiam arguerent. praeterea pronomen hic haec hoc, quod initio finiit in ce, cum ad Horatium usque identidem seruasset speciem principalem in uersibus, insequente aetate non perinde adsumpsit classicorum poetarum usu eandem nisi in formis monosyllabis et addita enclitica interrogatiua ueluti huncine hocine hucine hascine [Val. Fl. VII, 417]. — nam et ita dixere sicine. mox Appuleius ac Terentianus cum neotericis uetustissimum repetiere usum formis monosyllabis et maxime in sigma exeuntibus, quae sunt hisce [Ter. 102. Prud. c. Symm. II, 880. Sid. paneg. Anthem. 446] hosce [Sid. ep. VIIII, 15, 51] hasce [Mey. 227, 4. Prud. p. st. 10, 496]. ceterum numquam inuenitur apud dactylicos nunce. quod contra hac nisi forma usus eris, non stabit in Terentii hautontimorumeno octonarius iambicus ille [187] 'atque etiam nunc tempus est. caue faxis. non opus est pater'. praeterea nominatiuo numeri pluralis hic Lucilius heic Pacuuius — apud quem antiquitus fertur haec — dixerunt ita

nam hic quidem
reditum talem portendebant neque alia in re offendere.
sed heic cluentur hospitum infeidissimi.

praeterea notandumst pro illo hae binis Vergilii [georg. III, 305. aen. VII, 175] singulis Catulli [64, 320] et Iuuenalis [6, 592] uersibus optimorum codicum auctoritate adseri haec [cf. Fleckeis. mus. rhen. VII, 271]. ita in epitaphio Claudiae habes [Mey. 1276, 5] 'horunc alterum in terra liquit'. — porro sine addito substantiuo olli et ollis cum adhibuissent Ennius et Lucretius, ea antiquitatis studio a Marone recepta haud pauci probauere dandi ferme casu, scilicet Valerius [III, 386. V, 127] Silius [I, 104. 6. 135] Nemesianus cyneg. 264] tum ex christianis, qui etiam in iambos recepere [cf. [Auien. or. mar. 358. 377], Iuuencus Auienus, hi quidem satis frequenter, at rarius Prudentius [apoth. 305. hamart. 543. 729] Ausonius [idyll. 6, 90. de puerp. 4] Orientius [commonit. II. 84].

sed abstinuere longe plures formis isdem, Lucilius — cui male quidam tribuere 'uolgu' redamtruat olli' — Horatius cum Persio et Iuuenale Tibullus Propertius Catullus Gratius Lucanus Homerus Latinus Petronius Calpurnius Claudianus Namatianus Terentianus Boethius Martianus Luxorius Maximianus Sedulius Arator alii haud pauci. at Statius utri parti accedat, tum intellegetur, cum prodierit operum eius recensio qua par est diligentia instituta. nunc enim nihil constat de hac re, nisi quod Bernartius ad achilleidos tale [II, 44] illi subridens [cf. Verg. aen. I, 254] adserit uetere libro haberi olli. — ceterum quod notauit uir acutissimus Philippus Wagnerus [quaest. uerg. 21, 9] apud Maronem formas olli et ollis, quae non in bucolicis et georgicis legantur, nec in ipsa aeneide aliter inueniri quam in narratione graui et sedata, numquam in orationibus, idem non indignumst memoria iam Romanis hominibus fuisse obseruatum, id quod et aliorum exemplis declaratur et maxime Iuuenci, qui easdem uoces semper initio metri collocatas numquam adhibet nisi ut incohent orationem personarum sanctorum ut puta sic 'olli Christus ait' uel 'olli confidens respondet talia Petrus'. similiter Drepanius epistula ad Moduinum de Christo 'quas olli exultans turba canora dedit'. denique ipsus dixit secutus antiquissimos Ausonius [praef. idyll. 7 u. 6]. praeterea obiter moneo pronomine iste ut plerosque philologorum ita aperte Statium contemptus significandi ergo esse usum ita [theb. X, 917] 'pudet ista timere caelicolas'.

Iam Latinis nominibus absolutis apte persequemur Graecanica pauca prius praefati de uniuersis. igitur cum uetustissimi auctorum raro flexiones externigenas adsumpsissent — qui et illud ualde amarunt declinationem Graecam per metaplasmos adaptare ori Latino —, iam ab Attii inde et Lucilii tempore minus uersibus ut subueniretur quam iactantia studiorum ualde increbuerunt terminationes Graecae, quod et Varro testatur in libro de lingua Latina X [p. 583 Sp.] et Valerius hoc epigrammate [Varr. l. l.] 'Attius Hectorem nolet facere, Hectora malet'. a qua mutatione rationum non fuit alienum illud — nam magnarum rerum momenta paruis saepe signis indicantur —, quod et scenam scripsit Attius pro scaena [Varr. de l. L. p. 372 Sp.] et amicus eius Iulius primus de Tecmesa compo uit tragoediam, quae antea diceretur Tecumesa, atque ita in scaena iussit pronuntiari [Victor. 2456]. praeterea diserte affirmatur a Quintiliano [I, 5, 63] institutum re-

centioribus, ut Graecis nominibus alienigenas darent declinationes [cf. de Varrone Plin. ap. Char. p. 38]. — at Vergilius cum consortibus studiorum abiectis aut ad modicum usum redactis flexionibus quibusdam externis alias proprio exemplo cum sanxisset, insequentes pauca neque ea grauia nouauere. praeterea dignissimumst memoria illud uerborum Graecorum si propria aut technica exceperis, omnino copiam maiorem quam apud recentiores inueniri libris eorum, ad finem saeculi a. u. c. septimi qui uixere. et hoc quidem partim communis sermonis usu partim iactantia euenit studiorum. scilicet Romani quantumuis impediti sermonis egestate tamen cito corroborata arte et facile reparato pudore insolentia nimia exuere. ceterum non obscuram ob causam e neotericis qui proxime accederent ad normam uetustiorum auctores fuere satirici.

Igitur cum neutra in a exeuntia feminino generi et primae declinationi tribuissent scaenici ueteres, idem an licuerit Corneli Seuero et Augustae aetatis scriptori iure meritoque dubitabis. quod adseritur analectis grammaticis quae Hauptius euulgauit in quibus s. u. syrma [p. 98] haec leguntur 'syrma generis neutri. priores feminine ut Cornelius tragica syrma'. namque ut ingenue fatear quod sentio, plerumque adducor eo, ut inesse statuam illis fragmentum Valerii quod Priscianus memorat tale [679] 'quid hic cum tragicis uersis et syrma facis', cum praesertim haud raro sylloge eadem uanitate nos rerum aut nominum eludat. tamen nequid temere agatur, continebo iudicium, quoniam Seuerus ille aliquando audacius grammaticorum praecepta pariter atque elegantiae leges uidetur spreuisse. nam Charisius institutionis grammaticae l. I [81] de pampino feminine posito ab eodem tale refert iudicium Plinii 'moueremur Cornelii auctoritate si quidquam eo carmine puerilius dixisset'. ceterum aemulatione uetustissimorum Amoenus ablatiuo dixit celeusma pro celeusmate [LXI p. 1080]. simili autem usus metaplasmo Lacedaemonam dixit Luxorius hoc uersu 'Chilon quem patria egregium Lacedaemona misit' [358, 3]. — praeterea quae apud Graecos habent nominatiuo a longam aliquando producunt eandem classicorum poetarum Latinorum usu, sed numquam apud Lucretium Horatium Lucanum Persium Iuuenalem Claudianum. — nam non magis assentior Broukhusio [ad Propertium II, 11, 5] et Kootenio [ad Pind. Theb. 640] qui corrupta ac falsa statuerunt esse exempla ista, quam

Lachmanno qui non Aethrae modo, etiam Ledae et Phaedrae uocabula pridem notissima Latinis potuisse corripi ab Ouidio negat [p. 406], cum nec saepe aut libenter admiserint a productam in uerbis Graecis auctores — unde ipsi Ouidio dicta potius Lede amorum libro primo [10, 3] — et concedat ille Philomelae ac Pasitheae nomina iam a Catullo et Vergilio ipsoque breuiari Nasone. praeterea Propertio Atrida [III, 14, 1] Lucilio Tiresia [lib. inc. 17] Senecae idem nomen [Oed. 289] porro Pelia [Med. 201] Octauiano Mida [204] Sidonio Archyta [paneg. Anthem. 176] aliis similia secundum normam dicuntur Latinam. — deinde Hippodamen dixere Vergilius et Ouidius [georg. III, 7. met. XII, 210], cuius formae unicam audaciam demiratus est Martialis [IIII, 31, 10]. iam patronymicis Graecis cum adsignetur terminatio es, tamen horum aemulatione Scipiadas dictus a Lucilio ac Lucretio, qui primi hoc uocabulo usi [lib. inc. 6. III, 1032]. contra legitur apud Claudianum Scipiades nec non Honoriades [23, 1. 21. 10, 341]. ceterum commode usus oblata occasione hoc loco afferam patronymica ab Latinis nominibus ad similitudinem Scipiadae deducta quotquot inueni poetarum scriptis omnia. igitur praeter nota illa Romulides Scipiades dixere Tuscoliden Lucilius [l. inc. 134] Memmiaden Lucretius [I, 26] Appiaden Claudius quidam [Mey. 819, 2], qui fuit circa annum a. u. DCCCCL, Minciaden Iuuencus [praef. h. eu. 18] Honoriaden Claudianus idem cum Prudentio Anniaden [1, 9. c. Symm. I, 551] Iuniaden Ausonius [idyll. 11, 37] Piniaden Paulinus [21, 840] denique Caeciliden Corippus [iohann. III, 47]. sed quod a Seruio libro de accentibus [Endlicher II, 528] affertur Luciliades, non iam inuenitur id nomen in carmine. ceterum haud dissimilia sunt Horatii Damias Ouidii Appias. at Priscianus non uidetur scripsisse in periegesi [470]

post quam non longe cernuntur littora Cyrni,
Corsida quam pariter geminato nomine dicunt

sed potius 'Corsica quae'. nam et Corsica habetur libro Estensi. idem alibi Indiae pericula declaraturus non dixit [603]

nam mala tam pelagus quam terra merentibus offert,

dixit morantibus. nec rectius habent apud eundem haec [833] 'adspice nunc igitur, dum finem uersibus ortus peruenio retegens tibi ueris omnia rebus', in quibus apparet ponendum esse uerbis pro rebus. praeterea, ut redeam in uiam, a Seneca et Statio Oedipodes dictus qui ceteris Oedipus [Phoen. 89. theb. VII, 513].

deinde genetiuum qui finierit in as sicut dixit T. Liuius Angeas [XXXII, 13] apud poetas non inuenio, nisi Lucretius uidebitur dixisse [VI, 971] ambrosias. porro contracta tertiae quae nominatiuo habent es ut saepe accusandi casu ita aliquando auferendi primam sequuntur declinationem ueluti habes Naucrate apud Plautum apud Ouidium Hippomene longa finali [cf. Lachm. p. 49]. at uocatiuo eis quorum in es finitur nominatiuus addi a productam multo magis Heinsio et Batauorum plerisque, qui saepe ueterum intulerunt libris, quam ipsis Romanis placuit. certe praeter notum illud Ennii Aeacida non alia nisi fallor memoria amplitudine immuniuntur testimoniorum quam Vergilii Anchisa Anchisiada et Ouidii Aeacida Cecropida [metam. VII, 798. VIII, 550]. saepius paullo inuenitur adsumere eadem uerba a correptam ut apud Horatium 'nequis humasse uelit Aiacem Atrida uetas cur', quae tamen terminatio ab Latina nominatiui forma descendit.

At secunda declinatione primum notabo per metaplasmum Latino ori adsimulata illa quae sunt Arabus [Verg. aen. VII, 605] Aethiopus. [Lucil. III, 21] craterus [Enn. 604] delphinus [Lucil. VII, 9] elephantus Titanus [Enn. 28. Commod. I, 20, 3]. e quibus cetera cum sint rara aut a bonis auctoribus aliena, elephantus aequabili per omnia tempora durauit usu. cuius uocabuli Graecanicam formam cum ad medium usque u. c. saeculum VIII uitasse uideantur poetae — nam in Luciliano, quale fertur uulgo, 'miracla cient elephantas' tutius erit adsumi quod Leidensi libro Nonii extat elephantis seu magis placebit elephanteis — iam adhibuit eam Manilius [V, 706]. ceterum utraque forma usus Priscianus [596. 1017. 1028]. morbi autem nomen semper Graecam terminationem retinuit. porro ut Phorcus plerisque [e. g. Hom. Lat. 247], Cotus dicitur Lucilio [XVI, 3]. — praeterea neutra in os exeuntia apud Latinos cum legitime um habeant sicut dixit Martianus mela [II, 119, 6], tamen est ubi mutato genere os in us conuertant. ita Manilius dixit cetus lib. I [433] nec non Drepanius hymno trium puerorum [u. 33] 'te ceti immanes et quidquid reptat in undis'. iam quae Graece exeunt in bros dros tros cum Latine plerumque adsumant er, tamen apud poetas pro necessitate metri aut libidine uariandi usitata externigenam secuntur flexionem. ita apud Maronem decantato a grammaticis exemplo inuenitur Thymbre apud Terentianum [2263 al.] trimetrus, sicut sane dixit Caesius Bassus. praeterea genetiuus qui habet ii

ut aliquando apud uetustiores [Lachm. p. 327], saepius neotericorum usu contractionem patitur. ita apud Claudianum habes Olybri [I, 30] apud Sidonium Polemi [epithal. Pol. et Aran. 189] Caprasi [euchar. ad Faust. 110] Leonti [burg. Leont. 194] Naupli [ad Magn. Felic. 161] apud alios alia. porro genetiuo Vergilius et Androgeo posuit [aen. VI, 20] et Androgei [aen. II, 392] idem cum Homero Latino [aen. II, 425 H. L. 789] Penelei. praeterea cum apud ueteres Romanos contracta nomina tertiae in es plerumque per metaplasmum genetiuo sumpserint i, id posteriore aetate non perinde fuisse usitatum hinc apparet, quod inter apocopes exempla refertur a grammaticis Achilli pro Achillis. porro Maro uel Valerius [georg. I, 332. I, 664] soloece dixere Athon o correpta. deinde uocatiuo illi Panthu [aen. II, 429] Statio placuit Melampu [theb. III, 546]. et haec quidem nimis illi Graecanice. contra nominibus substantiuis in ius exeuntibus praeter ea quae primitus fuissent adiectiua a Statio inde plerumque simplex i fuit pro terminatione sicuti habentur Lai [theb. VII, 355] Dynami [Aus. prof. burd. 24, 1] Tetradi [Aus. epist. 15, 2] alia. denique antiquissimi accusatiuo numeri pluralis Graecum interdum optinuere us, sicut habes apud Attium adytus [624] apud Lucilium [XXVIII, 48] atomus apud Varronem [marcipor. 17] syrus.

Porro tertia declinatione usi dixere Acragantem Vergilius [aen. III, 703] et Silius [XIIII, 210] sicut Lucanus [V, 376] Tarantem, uulgo cum placerent Agrigentum Tarentum. deinceps feminina in o cum antiquissimi flexissent Latine — ita dixit Ennius [300] Didone —, iam a Varrone inde [cf. age modo 1] Graecanice inuertere coeperunt poetae, ut genetiuus casus us, ceteri o adsumerent. quamquam in accusatiuo aliquotiens inuenitur on apud Ouidium [am. II, 2, 45. heroid. 6, 65. 7, 7. 12, 9] ut et priapeost uno [69, 15] Calypson, sicuti Ateius philologus librum suum edidit inscriptum 'an amauerit Didun Aeneas'. at neutra in os externum ad morem primus adhibuit antiquissimus auctor artis Ennius l. VIII ita 'tibia Musarum pangit melos' [Müll. progr. Rudolstad. 1854 p. 19]. eadem cum apud optimos auctores praeter formam principalem non habeant nisi pluralis nominatiuum siue accusatiuum contractum, sicut Lucretius pelage [VI, 619] Maro cete alii dixere tempe, fatendumst Terentianum dixisse genetiuo meleos [1922] praeterea Ausonium melea Solinum tempea [Mey. 234, 22]. qua forma etiam Valerium puto usum in l. VIII [162] ita 'quod nullae te nata dapes,

non ulla iuuabant tempea', in quibus eo, quod uulgo fertur, tempora ne fingi quidem potest ineptius. sic scribendum l. IIII eiusdem tenuisset hoc est optinuisset pro eo quod traditumst antiquitus timuisset [361]

qua fraude negaret
aut quos inuentos tenuisset Iuppiter astus?

sed ut redeam ad propositum, nomina quae habent cles non placuit genetiuo aut accusatiuo adsumere eos uel ea, licet dixerint Statius Eteocleos Eteoclea Ausonius Agathoclea correpta e et producta eadem Maro Idomenea Auienus [phaen. 410] Cephea Germanicus [phaen. 191] Cepheos Ausonius [perioch. II. 1] Peleos. deinde datiuo Graecanico et i correpta qui usus fuerit non inuenio nisi binis exemplis Catullum [64, 217. 66, 70] binisque Statium [theb. III, 521. ach. I, 285], minime ut intellegam, quonam fretus argumento statuerit Vossius [de arte gramm. II cap. 34] tertium casum in talibus qualia sunt Paridi Tethyi non posse produci extra caesuram. tum accusatiuo posuerunt satis barbare Tethya Solinus [Mey. 234, 1] et Priscianus [perieg. 579]. porro in ablatiuo nomina Graeca quaelibet inuenitur ubi adsumant i [Lachm. p. 49]. praeterea eodem casu posuisse Martianus uidetur chely cum longa scilicet y in l. VIIII [915, 21]. — at genetiuo pluralis numeri Varro dixit Arcadon [Endym. 8], sicut sane alibi Lydon [ἑκατ. 1] et lymphon [Bim. 12]. denique datiuo pluralis cum primus Varro dixisset schemasin ethesin [Charis. p. 38. Parmen. 14] mox Catullus Naiasin [64, 287], eadem terminatio adhibita a Propertio Ouidioque sed non ita frequenter, semper quidem ut uideatur esse addita n.

At nomina adiectiua Graecanice flecti magis fuit usitatum apud antiquiores. ita enim habes apud Lucilium [lib. inc. 118] Atticon et apud Varronem [marcip. 15] astricen [Eumen. 29] Attices [mod. 6] Delphice [Eumen. 37] Phrygios, ut omittam pleraque similia de Lucretii libro IIII [1152 — 1161]. sane ita dixere et Vergilius Aonien Silius Orthygien porro Paphien Columella Martialis Statius Martianus [VI, 704, 1]. praeterea per epenthesin bucerium pro bucero dixit Lucretius l. II [663] et barbare Terentianus [2170] 'Ausone terra', quod debuit esse Ausonide. denique comparationem qui Graecanice fecerit non inuenio praeter Lucilium, cuius est 'Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis'.

At enim hybridas formas et mixtas sermone Graeco ac Latino perexiguo adhibuere usu Romani. huc pertinere credibilest,

quod uirgines Paulinus [36, 142] striges Statius [theb. III, 511] Ausonius Aedues [parent. 4, 6] Sidonius [prop. ad lib. 32] Treuidon breui posuere finali. nam et barbara nomina inuenustumst exteruigenam adsumere flexionem, si insint in eis litterae a Graeco sermone alienae. porro nec aut Ariminon scripsit Lucanus [I, 231], quod tribuit ei Grotius, aut Silius Saguntos pro illo Saguntus uel Zacynthos [I, 502. 573. II, 446]. nec uero Cicerona quisquam dixit in uersu nisi solus Wakefieldus in epistula poetica ab ipso recensitis Lucretii operibus praemissa sic 'uel Cicerona tones', hic quidem deceptus ludibrio quodam Heinsii [Claud. 41, 4].

In aduerbiis primum notabo Lucilium dixisse facul [VI, 4], cui contrarium difficul a Varrone pro adiectiuo ponitur eodem uersu quo simplicis uerbi legitimam formam adhibet [Bim. 10] 'quod utrum sit magnum an paruum, facile an difficul'. sane facul ne Afranii quidem tempore satis fuit probatum. deinde illo pro illuc, etsi magis usitatum fuit uetustissimis, dixere etiam Statius [theb. VIIII, 30. XII, 203. silu. IIII, 4, 96] ac Seneca [Herc. fur. 864] alii. ita et isto habes Leandri epistula [205]. praeterea minuta illa pote sat mage nullo tempore poetarum ab usu prorsus fuere aliena. ceterum mage quod dactylicorum libris non poni nisi sequente consona asserit Lachmannus, sciendum hanc normam uel ultimae aetatis seruari auctoribus. nec indignum memoria abstinuisse forma eadem Horatium Persium Iuuenalem. porro ut sat ex sate post ex poste oritur. longiore forma usus Ennius [235], sicuti Varro per d paragogicum dixit antidhac pro disyllabo antehac [Agath. 4]. porro usu uulgari pro illis deinde exinde proinde ponuntur plerumque imminuta dein exin proin. sic solum optinuit post Ennium et Lucretium [29. 139. I, 640] 'quam' pro quamde uel quande seu quandi. ceterum ut apud alios exim [Lachm. p. 148], Varronis marcipore [2] habes deim. tum Lucilius dixit simitu l. XXX [45], nemo postea. eiusdem fragmento quod ex l. VII adsumptum legitur apud Non. s. u. collus [200] scribendum puto 'calda simitu' — uulgo fertur caldissime — 'ac bene plena ei uasa olerorum atque anseri' collus', ut omissum sit uelut apponuntur. nam uasa olerorum recte ut puto scripsit Kochius pro tradito 'as olorum' [p. 15]. praeterea dixere noenum Ennius [314] ita 'noenum rumores ponebat ante salutem' noenu Lucilius [XXX, 40] et Lucretius [IIII, 710]. sic etiam indu siue endo, antiquissimorum usu cum uiguisset, post Lucretium ad-

hiberi desitumst, nisi Iuuenalis [IIII, 29. X, 138] Optatianus [3, 5] Prudentius [c. Symm. I, 147] Sidonius [pan. Au. 314] dixere necessitate uersus induperatorem. ita ei qui uersus de figuris orationis conscripsit placuit illud indupetraui [64]. — huic parti adiciam uoculam satis, cum aliter apertam habeat significationem, inueniri pro aliquanto Sammonici et Orientii exemplis talibus [533. common. II, 396]

quodque satis melius uerbis dicemus Horati.
et satis est leuius discere quam facere.

praeterea Auienus soloece dixit 'tenus aluo' [phaen. 486].

Iam de coniunctionibus maxime nos aduertent ast ac nec, de quibus indicta ore alio nec iniucunda memoria uideor posse memorare. — igitur primum satis constat ast idem esse quod at, sed ut illa forma sit uetustior. unde in prosa Liuius usus ea in precatione antiquitatem adfectante sic [X, 19] 'Bellona si hodie nobis uictoriam duis, ast ego tibi templum noueo'. iam primus e dactylicis ast dixit Nonio teste [p. 516] Ennius l. VII — codices habent 'Ennius lupi' — exemplo tali 'ast hic quem nunc tu tam toruiter increpuisti' nec aliter Menippeus Varro 'ast in segetibus' [ταφ. Μεν. 22] et Attius in tragoedia [260] 'splendet saepe ast idem nimbis interdum nigret'. sed abstinuere eodem uocabulo plures Lucilius Terentius [Ritschel. parerg. 516] Lucretius Catullus Horatius in melicis et epistulis non in sermonibus uel iambis. uerum ab Augusti inde aetate haec forma sine discrimine tragicorum atque epicorum carminibus pariter atque elegiacorum uel didacticorum adhiberi coeptast, maxime initio uersus et ut obseruauit Froehdius meus in formulis uerborum quales sunt 'ast ego ast ubi ast illi' aut iniecto nomine proprio. iam ut omittam, quod paradoxum statuit Bunemannus [ad Lact. phoen. 115] non poni ast ante uocalem, ut Martini uerbis utar, a cultioris styli peritis, non recte dixit Wagnerus ideo uoculam illam minus solere legi ante consonas, quod fere habeat subiecta pronomina. nam nec uerumst hoc, nec, si sit uerum declarabitur inde, cur, qui ast ego ast ille admiserunt, refugiant ast me ast nos similia. sed hinc solum obseruantia illa ortast, quod metrica potissimum necessitate forma particulae istius temperatur. quod cum ita habeat, uix fiet, ut duriore uocabulo utaris ubi sufficit elegantius, nec sane inueni ast ante consonam positum classicorum poetarum exemplis nisi hisce ast de me [aen. X, 743] ast laeua ast iuuenes [metam.

VII, 241. XI, 461] ast uocat [Pers. 6, 27] ast delecta [Sil. XI, 190] ast Stygius [Sil. III, 35] ast tamen [Stat. theb. II, 668] ast cum [Iuu. XIIII, 216]. quae cuncta satirico aut epico prouenere carmine. ita inter christianos Orientius [common. I, 249] dixit 'ast tamen' et Paulinus [19, 141] 'ast Carthago' denique Venantius [misc. V, 5 p. 189] 'ast Iudaea manus'. praeterea illud ac pessimi christianorum cum posuerint ante uocales, nos potius curabimus classicorum illos, qui eandem particulam adhibuere insequente gutturali, quod quanto opere displicuerit plerisque praeter dictionem simulac declarauit Hauptius obseruationibus criticis [p. 34 sq.]. sed alienam probauere normam praeter comicos [uid. Plaut. Bacch. 147] e satiricis Lucilius, cuius sunt ac cachinnum ac caenum [VI, 6. VIIII, 17] ac cercopithecon [lib. inc. 81], et Varro qui habet ac censum [Sesquiul. 9] ac Ceres [sciamach. 1] nec non Iuuenalis ac ceuet [9, 40]. tamen et epico carmini admisit idem haud sane amplus auctor Silius ita [I, 300. X, 364] 'ac cedere ac gelidis'. denique eadem usus libertate dixit auctor de figuris sententiarum [152] 'ac cupere' atque ita Octauianus [275] 'ac colla'. sed neque illud uerum quod in phaenomenis Auieni [223] fertur 'ac gnati' et multo minus quod secundo Manilii uolumine [283] propria de coniectura Iacobus dedit 'per totidem sortis diiuncta ac condita mundo'. potius erit 'distant quae condita mundo'. contra in libro V [580] pro eo quod inepte fertur aut reponemus ac uerbis hisce

grauidus iam surgere pontus
coeperat ac longo fugiebant agmine fluctus. —

de particulis nec et neque quae Bentleius ad Horatii carminum e libro tertio undecimum [43] item Lachmannus in commentariis propertiano lucretianoque [p. 365. 187] annotauere pariter atque ea quae Philippus Wagnerus in quaestionum uergilianarum trigesima altera exposuit silentio praeteribo, quippe nota plerisque et uulgata, licet insint in his quae minus placeant. at ex eis quae nos obseruauimus de uoculis isdem illud longe dignissimumst memoria, quod ab Augusti inde aeuo apud poetas permultos, cum nec innumeris prostet exemplis, neque aut raro inuenitur aut numquam. itaque primum omnium auctor panegyrici in Pisonem et Symposius cum Corippo omnino uidentur abstinuisse particula disyllaba. tum Tibullus in distichis habet semel eam ita 'nam neque tum plumae nec stragula picta soporem' — nam alibi uersu

illo [I, 1, 71] 'iam subrepet iners aetas neque amare licebit' recipiendumst e libro Parisino nec — semelque in iambis Phaedrus hoc uersu 'neque enim notare singulos mens est mihi' [III prol. 49], nec saepius apud Gratium reperitur. at apud Terentianum ter semel heroico metro bis ionico [1294. 132. 2070]. iam Persius et Calpurnius usi eo quater, illo nec alter quadragiens, ter alter niciens quinquiens. Nemesianus longiorem formam in eclogis et didactico carmine omnino admisit bis breniorem triciens octiens: tum Iuuenalis plus centiens sexagiens posuit hanc, illam septiens non amplius. cui similis Manilius paene ducentiens alteram, alteram habet sedeciens. at Lucanus in quantum apparet ex Kortii notis et apparatu nec posuit locis circiter CCCXX, neque paullo plus XX [I, 53. 286. II, 283. 539. III, 50. 128. 389. IIII, 255. 417. 452. 762. 772. VII, 119. 739. VIII, 75. cf. tamen schol. ad Stat. theb. III, 703. 206. VIIII, 305. 376. 388. 841. X, 225. 471]. porro pyrrhichiaca particula nouiens usus Martialis [I, 64, 4. 92, 11. III, 16, 3. VI, 19, 1. VII, 51, 11. VIII, 40, 1. XI, 58, 7. XII, 24, 7. XIIII, 94, 2] non saepius. nam praeterea apud hunc quod fertur [VII, 14, 7] 'lux mea non capitur nugis neque moribus istis', omnino uerumst uenisse a Martiale amoribus, neque hercule credibilest iniucunde soluta arsi dixisse eundem [VII, 20, 1] 'nihil est miserius neque gulosius Santra', in quo uersu non contemnendis testimoniis per dittographiam exhibetur nec. iam apud Claudianum in tot milibus uersuum octiens deciens inuenitur neque [1, 11. 85. 218. 3, 294. 5, 7. 10, 52. 18, 63. 21, 92. 100. 22, 67. 148. 26, 614. 28, 634. 29, 6. 34, 33. 35, 241. 44, 23. 49, 9]. tum de christianorum poetarum usu incuria grammaticorum cum parum constet, tamen annotabo ab illo qui scripsit hexametris Didonis ad Aenean epistulam [Meyer. 1610] poni nec in thesi undeciens [11. 16. 28. 29. 51. 66. 70. 82. 83. 126. 132] semel neque [147] 'uicta feror. neque enim tantus de funere luctus' atque idem extare semel apud Sedulium carminis paschalis quinto [47], modo sit uerum, in hisce 'neque enim bona mundi sufficerent'. nam alibi in eodem uolumine [41] recte posuit Mignius quod est in codicibus eius plerisque 'nec illi culpa datur pretio'. at hercule in tertio [58] nec hic nec Arnzenius quem sequamur aptus est. quippe hoc probauerunt 'qui regit Israel, neque prorsus dormiet umquam'. nam non scripsisse ita Sedulium probatur schedis Pulmanni, quibus exhibetur 'prorsus nec'. iam grauissimo uti-

que errore tenebitur, qui ea quae modo proposuimus hinc statuerit posse explicari, quod illud nec cum in arsi solum habeat locum tum in formulis quibusdam, quales sunt 'necdum necnon necopinus'. — nam qui post Lucretium neque opinantem dixerit inuenio neminem. in Lucilii fragmento, quod apud Nonium bis legitur sub uerbis manducatur et commanducatur [477. 478], altero loco codices habent 'neque opinantem' altero 'nec opinantem'. — quippe minime apparebit, cur totiens in thesi posito nec spondeum quam dactylum admittere maluerint poetae, nec magis cur tam raro inueniatur spatiosior forma eis metris, quae in thesin pro pyrrhichio non recipiunt longam. nempe discendum omnino poetas de quibus modo exposui non sine cautione admittere particulam disyllabam sed ita, ut aut integra sequente consona ponatur hexametrorum thesi prima uel quarta — quibus partibus maior quam ceteris conceditur licentia — nec non logaoedicorum uersuum sedibus illis quae non recipiunt pro pyrrhichio longam aut imminuta cum uocali addita metrorum loco qualicumque. sic saepe inuenitur dictio illa 'neque enim', etsi minime fuit inusitatum nec enim, quod iniuria damnat Cortius [ad Lucan. VII, 739]. sed obseruantia illa inde uidetur euenisse, quod neque ut antiquior forma iam ab Augusti inde aetate ex uiuido uulgi usu coepit abire. quamquam quod eadem uox a tertia thesi hexametri plerumque arcetur, ne semel quidem apud Germanicum et Statium et Homerum Latinum ut inueniatur ea sede, facile largior metrica potius ratione euenisse. praeterea Lucretii libro I [1071] cum habeant membranae 'denique omnino' pro uero 'neque omnino', uidendum erit an lateat illud 'nique', sicut idem Lucretius donique dixit pro donec. — quam moturis quaestionem utique erit dolendum quod antiqui carminis Lucretiani perierunt commentarii. quippe facile potuit euenire, ut de his atque talibus Lucretii formis in illis exponeretur. nam fuisse tales etiam mihi ualde probabilest, etsi quo certatim omnes ad probandam rem usi sunt loco Hieronymi restituendum esse ut alibi Lucilium pro Lucretio mihi quidemst persuasissimum. quod ut persuadeam et aliis, adscribam primum uerba Hieronymi. sunt autem haec 'puto quod legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios Vulcatii in orationes Ciceronis Victorini in dialogos eius et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati aeque in Vergilium et aliorum in alios, Plautum uidelicet Lucretium Flaccum Persium atque Luca-

num'. apparet uel caeco agi de commentariis eis quos puerorum usui in auctores scholis lectitatos ueteres composuerunt grammatici. iam quis umquam tractauit Lucretium in scholis, quem uel prouectioribus aetate difficilem esse dicit Quintilianus? aut quis ueterum seu neotericorum puerorum immaturis ingeniis proposuit librum, qui systema philosophum ullum ne dicam Epicuri dialectice et enucleate per initia ac fines persequeretur? at hercule legerunt satiricos, id quod ipsis Hieronymi uerbis probatur, inter quos quam insigni floruerit auctoritate Lucilius Quintiliani Gelliique ac Nonii nec minus aliorum apparet exemplis. huius igitur nomen haud cunctanter restituendumst Hieronymo. — praeterea sicut Valerius et Statius dixerunt ante uocales quodsin atquin [V, 668. theb. VI, 161], Lucilius posuit quidsin addita consona ita [XXVIIII, 14] 'at non sunt similes neque dant. quidsin dare uellent?' in quibus uerbis antiquitus traditumst quid sint. denique ut et uti aequabili ferme uiguere honore. unde et librarii aliquando longiorem formam pro breuiore et saepius hanc pro illa posuere. nam neque Laeuius scripsit metro ionico 'ita uti alma noctilucast' scripsit 'ita ut', et restituenda sunt Lucilii III et XXVI [15. 36] 'degrumabis uti' 'ita uti quisque' Iuuenco [h. e. IIII, 81] 'ales uti' Eugenio [23, 9] 'pro tibi uti' ei qui scripsit de figuris orationis [38] 'communio uti sit'.

At in uerbis primum non indignumst memoria illa steterunt et stetere credaris et credare cingi et cingier poetarum usu poni indifferenter. ita Statius dixit thebaidos l. XI [449] 'bis cassae periere uiae puraeque nefandi sanguinis obliquis ceciderunt ictibus hastae' et Silius [XI, 175] 'hi sunt qui iura dedere terrore expulso Sidicinaque bella remorunt' tum Valerius [VII, 331] 'tune sequeris ait quidquam aut patiere pudendum' denique Persius [I, 28] 'at pulchrumst digito monstrari et dicier hic est'. abstinuit tamen ab illo ier Manilius, qui non scripsit [IIII, 248] 'materiamque manu certa duplicarier arte' — traditumst antiquitus duplicari et arte — scripsit duplicare metalli. nam siquis incusarit duobus uersibus ante inueniri metalli uocabulum, inde ut labefactetur sententia mea, huic quod respondeam non habeo nisi hoc numquam legisse eum Manilii librum. praeterea Horatius cum in saturis et epistulis haud raro adhibeat ier, eodem alibi semel non saepius utitur et quidem in carminum l. IIII 'spargier agno'. porro perfectorum in aui eui iui exeuntia uulgi usu

communi et necessitate metrica plurimum imminuuntur, ut infrequenter tamen cogantur uelut audieras muuierant, licet dixerit Lucilius [l. inc. 129] 'cum illi in fora irant'. nam Catullus [66, 91] coma Berenices siris an siueris, Ouidius formae medicaminibus [89] contriris an contrieris posuerint, plane non liquet. praeterea nunquam aui eui, raro contrahuntur auit euit auimus euimus. tamen admisere coacta Lucretius 'disturbat iuuitat superat' Martianus [VIIII, 998, 7] farcinat Vergilius intramus Propertius 'narramus flemus' Calpurnius spectamus [cf. Lachm. p. 290]. magis probatur imminui illud iui. ac primum quidem dixit redi Lucanus [VIII, 321] idem petimus [VIIII, 430] praeterea Seneca redi [Herc. fur. 612. Herc. Oet. 22. 48. 795] peti [Med. 248. Hercul. Oet. 1843] Valerius adi [V, 503] Statius abi [achill. III, 438] ini [theb. I, 69. VIII, 107] peti [theb. I. 62]. porro habes desi apud Manilium et Martialem [Lachm. p. 208] deinde apud hunc et Senecam audit [I, 99, 5. Med. 201]. praeterea haud pauci dixere it et petit, quae tamen Lachmannus statuendo non poni promiscue ante consonam et uocalem prorsus fallitur. ita enim, ut Lucretium mittam, dixit Martialis [I, 62, 6. II, 64, 3] 'abit Helene' 'transit et' atque item [lib. spect. 16, 1. X, 77, 2] 'abit media' 'perit fecit' nec non Lucanus [V, 522. VIII, 321. VIIII, 205. 1098] 'petit aut' 'abit aut' 'obit Pompeio' 'perit caruere' et Statius [theb. II, 474. X, 323. VII, 439. X, 295] 'subit ibi' 'perit in' 'init fecitque' 'adit non'. ceterum satis constat illa iui et petiui et quiui, si sequatur s, uulgari usu pati contractionem. unde inter epenthesis exempla rettulere grammatici Vergilianum 'nos abiisse rati et uento petiisse Mycenas'. at quae minus apta sunt, ut cogantur, certe digamma omittunt. hinc plenae formae paucis poetarum classicorum, aliquanto pluribus christianorum reperiuntur uersibus, cum scilicet illi insita elegantia, hi analogiae ad leges formas dictionum deligerent. porro quod iui et quiui et siui et similia inuertuntur implicatis mutationi stirpibus, satis fuit inelegans, nisi frequentia usus praua mitigaretur ratio. nam et eadem causa excusantur 'noram nosse commoram commosse', quibus aliquanto duriora sunt Ennii nomus eiusdem adiuero [tr. 138. ann. 339] Catulli iuerint [66, 18] Atti deuoro positum in Decio ita 'animam deuoro hostibus' [fab. praetex. 15] — quod ab deuorando duxere Nonius et Ribbeckius — tum Ouidii [trist. III, 5, 33] prostrasse Manilii [I, 776] strarat. prae-

terea perfecta quae habent si psi xi aliquando per syncopen imminuuntur, tum cum sequitur s, qualia sunt duxti consumpse iusso — nam haec nascitur species recuperata futuri primaria forma eso —. sed enim aliter eandem posse admitti syncopen mihi quidem non persuadetur, minime ut placeat, quod Terentio tribuit Bentleius [ad eun. III, 2, 10] fecsti aut quod alii Vergilio in catalectis [8, 9] attotonse cum uerissime putem tradi codice Bruxellensi attodisse, quod coniectando praecepit Scaliger. ita tutudi tunsi pupugi punxi attingo attigo indifferenter posuere ueteres. at Silii libro XI [458] cum uulgo feratur discisset pro discidisset, discusset quod firmatur codice Puteaneo an diuisset scribas uix refert. sed permissa legitime syncope ut a posterioris aetatis populari usu fuit aliena ita haud paucis poetarum displicuit, omnino ut arcerent carminibus, exceptis quidem illis ausim faxim faxo et quae disyllaba ab his descendunt. quorum in numero fuere Tibullus Ouidius Lucanus Homerus Latinus Seneca Claudianus Boethius Luxorius Maximianus alii.

Praeterea prima coniugatione dixere Ennius leuasso [339] perpetuassint [322] Lucilius [XXVI, 8. 71] 'depeculassere deargentassere aueruncassint' Varro deuorassit [Vahl. p. 49]. porro illa sonaui tonaui sonatum tonatum sicut ne ab optimis quidem auctoribus prorsus sunt aliena [Bentl. ad Hor. sat. I, 8, 41], similiter usurparunt Iuuencus [IIII, 570] sonaui Paulinus intonaui [24, 904] Prudentius [epil. 34] personaui [cf. Sid. euch. ad Faust. 22], qui et illud crepaui [p. st. 10, 760]. sic Persio [5, 90] Eugenioque [17, 5] placuit uetaui, non Homero Latino cui tribuere plerique [251]. aliter quod memorem uix habeo nisi notabo Statii replictum pro replicato [silu. IIII, 9, 29]. praeterea quod memorat Gellius [I, 7, 20] M. Tullii temporibus usitatius esse coepisse explicui quam explicaui, sine dubio euenit ualentia dactylicorum, sicut et Ouidius dixit dimicuisse.

At in secunda coniugatione abnueo dixit Ennius annalium octauo [283] et porro Lucilius moneriut [XXVI, 71].

Iam notabo uerba quae per metaplasmum tertiae accedunt coniugationi. ac primum quidem plurima poetarum auctoritate asseruntur e correpta feruere fulgere lauere stridere, e quibus illud feruere omnino adscribit tertiae Lucilius l. VIIII. nec uero fulgere secundum tertiam inflexum a pedestri sermone uidetur fuisse alienum. certe T. Liuii l. XXXIIII [3, 9] habet codex

Bambergensis 'ut auro et purpura fulgamus'. deinde cluo et tuor satis amplis Senecae Statiique firmantur exemplis [Senec. lud. d. m. C. 7, 1. Hippol. 424. Octau. 728. Stat. theb. III, 152. 533]. denique Lygdamus dixit [3, 36] neunt. cetera Augusto priora sonere Ennii et Lucretii tonere et boere Varronis. at illud scatere cum Lucretius tertiae addidisset, apud posteriores auctores legere non memini praeter illud Horatii quod ambiguumst 'scatentem beluis pontum'. deinde quaesere pro quaerendo cum ad Lucretium usque, qui et geno dixit, haud ita raro reperiatur positum, mox euanuit sola ut manerent quaeso quaesumus [e. g. Tib. I, 58. Sil. XVI, 251]. tamen uetustissimae dictionis aemulatione Iuuenco [I, 284] placuit quaesunt. — porro imperatiui dice duce face fere frequentia usus euenit uti perderent finalem, quam non liceret seruare Romanis translato in posteriorem syllabam accentu grammatico, quo munita remedio Graeci integra optinuerunt illa εἰπὲ εὑρὲ ἐλθέ. quibus accedunt inger Catulli [27, 2] et Martialis coger uel potius conger [VIII, 44, 9]. iam fer et duc qui principali posuerit specie inter dactylicos non inuenio. contra illud face non est dubium quin adhibuerit Catullus carmine de Tanusio [36, 16] 'acceptum face redditumque uotum', atque eadem forma Lucilii Ouidiique identidem adstruitur codicibus [XXVIII, 28. Merk. Ou. tom. I praef. 12]. praeterea dice posuit auctor de figuris orationis [179], non Vergilius, cui tribuit Remmius Palaemon [1382]. at ex compositis quae a faciendo descendunt imperatiuo posita non obseruaui excepto uno exemplo Nasonis tali [art. am. II, 445] 'fac timeat de te tepidamque recalface mentem'. in reliquis cum eadem quae simplicibus uerbis forma praeualeat usu, aliena a norma notaui Vergilii et Statii [aen. XI, 463. theb. XII, 598] edice Sammonici [755] perduce. — deinde legere memini apud Valerium [V, 472] petundum apud Terentianum [1752] repetundum, quas recte habere formas propter notum repetundarum uerbum fit credibile. porro perfecto Corippus dixit furui [iohann. VII, 137] item strui [laud. Iust. I, 308] tum Catullus [34, 8] ut Tacitus posiui praeterea haud pauci per compositionem maxime postum. — tum satis aspere dixere Ennius adgretum [574] Lucilius cum Lucretio expergitum [III, 19. III, 927] Venantius construiturum [misc. II, 13 p. 104] idem [VIII, 7 p. 278] cum Corippo [iohann. I, 553] et Commodiano [I, 42 p. 163] absconsum denique Arator graditu-

rum [II, 163]. porro perfecto intellegit supino metutum dixit Lucretius [VI, 17. V, 1138]. iam quod firmat Gellius plerosque ueterum dixisse memordi spepondi pepugi cecurri, ut omittam Ennianum memorderit, uidetur Varro dixisse pepugi ita [mod. 3]

sed o Petrulle ne meum taxis librum,
si te pepugerit hic modus scaenatilis.

minus quippe placet quod antiquitus traditur uersu altero pepigat. idem alibi in composito dixit detotonderat [magn. tal. 1] sicut Ennius [482] contutudit.

Deinde quarta coniugatione inflectentes dixere Ennius parire moriri Lucretius cupire [I, 71]. e quibus moriri etiam apud Nasonem inueniri metamorphosium XIIII [215] tam mirum quam certumst. sic et rythmico carmine illo 'apparebit repentino dies magna domini' ponendum esse pro morietur media producta morimur in tetrametro hoc 'uermis quorum non morietur, flamma non extinguitur' et metri et sensus apparet rationibus. praeterea potiri cum indicatiuo praesentis temporis et coniunctiuo imperfecti tertiam sequi soleat, tamen potitur longa media dixere Ninnius [Prisc. 881] Lucilius [V, 18] is qui scripsit epistulam Hypermnestrae [113]. iam in imperfectis ibam et ibar pro plenioribus formis adhiberi nullo plane tempore desierunt. at futurum in ibo cum solus inter poetas Augusto aequales usurpasset Propertius hoc uersu [IIII, 21, 32] 'lenibunt tacito uulnera nostra sinu', — abstinuere eodem Lucretius et Catullus —, mox imitatione uetustissimorum post annos CCCC renouarunt auctores christiani. sic Iuuencus dixit largibor redimibo [II, 562. IIII, 189] Ausonius sepelibo [epist. 25, 61], Venantius [misc. VIII, 2 p. 302] uestibo. praeterea habes apud Iuuencum [II, 253] hauriturum apud Maximinianum [5, 97] feriturum.

Denique deponentia cum antiquissimo tempore plerumque actiuam formam recuperassent, eadem ab Augusti inde aetate praeter uerba quaedam primae, quorum numerum auxere christiani, tantum non omnino enanuit. ueluti irridetur ab Ausonio, qui reminisco dixerit in uersu pro reminiscor.

Superest ut anomala persequamur. ac primum quidem quod Fleckeisenus in epistula ad Martinum Hertzium [p. 6—10] asserit uerbum quod est aio quartam sequi coniugationem, dactylici certe alium modum secuti posuere pyrrhichiace ais [Pers. 4, 27.

Terentian. 249. Sidon. epithal. Pol. et Aran. 48]. unde Victorinus [2524] hunc uersum 'quid ais Epidice? tibi facilior erit amor' affert pro exemplo eius qui heroici metri instar resolutis longis ab duodecim ad decem et septem crescat syllabas. porro perfecto aisti admisit Ouidius epistula Canaces [59]. — iam de edendi uocabulo ut agam, dixit Horatius coniunctiuo edit epodo III [3] item saturarum I. II [8, 90]. praeterea huius uerbi formae coactae magis humili aut antiquae dictioni conueniunt, licet dixerit Vergilius 'est mollis flamma medullas'. tum classicos inter poetas cum admisisset Tibullus transiet [I, 4, 27] — similes in pedestri sermone apud Senecam [uelut de benef. II, 1, 2 iniet quaest. nat. III, 10, 4 transiet] identidem formas optimis adseri codicibus auctor est Hasius —, eadem futuri species haud ita paucis christianorum probatur exemplis. sic apud Iuuencum habes [IIII, 159] praeteriet apud Martianum [VIIII, 914, 16] prodient apud Corippum [iohann. V, 44] periet. — uerbi quod est fero perfectum antiquissimi cum Catullo haud raro cum fecissent tetuli, mox idem horum aemulatione adhibuit Macrinus ita [Mey. 801, 1] 'si talem Graium tetulissent fata poetam'. deinde fiere dixit Ennius l. X, haud quisquam postea. tum Varro in cynico [1] barbare finxit satisfacitur nec multo melius Horatius fi [sat. II, 5, 38], cum nunquam adhibeantur sci et ci. porro Laeuium secuti dixere meminens Ausonius [prof. burd. 1, 40] et Sidonius [epist. II, 10 or. ped. sub fin.]. praeterea Prisciani periegesi incertum quam recte fertur illud 'nequitur' correpta paenultima [417]. — at in uerbo substantiuo praesentis temporis coniunctiuus tris antiquitus cum habeat formas, quae sunt fuam siem sim, de secunda ac tertia sic refert in oratore Tullius [47, 157] 'siet plenumst, sit imminutum. licet utare utroque'. fatendum tamen post Lucretium omnino optinuisse formam breuiorem, non ut siem magis optineret quam fuam, licet semel dixerit Maro [aen. X, 108] 'Tros Rutulusue fuat'. mox illa siem et fuam identidem recepere libris propriis Frontonis adseclae [e. g. Terentian. 209. Prud. c. Symm. I, 504. p. st. 2, 569. Mart. III, 262. 10]. Iuuenci IIII [163] uenit ab auctore 'qui siet ille dies, nescirist omnibus aequum', non quod traditur antiquitus 'quis erit' uel 'quis sit at'. porro futuro escit uel essit usi Ennius et Lucretius. tum potestur dixere idem. denique illud pote cum uerbi substantiui formis eis quae habent es praeter indicatiuum temporis praesentis per con-

tractionem inmisceatur extrita t, tamen secuti antiquissimos dixere christiani potesse et similia [e. g. Prud. p. st. 10. 803].

Libet mercatorum in modum addi pro mantissa quaedam de omisso apud uetustissimos dactylicorum uerbo substantiuo. itaque illud est primum solet abesse a formulis quibusdam uerborum quales sunt nec mirum quid mirum [Lucr. II. 87. 338. VI. 130. Cat. 23. 7. 57. 3. Lucr. V, 1236] soliti quod dicere [Enn. sat. 46. Cic. arat. 239. cf. frg. 5]. ita situs ponitur in epitaphio L. Scipionis pro situs est 'is hic situs, quei nunquam uictus est uirtutei' et Lucilii epigrammate 'seruus neque infidus domino neque inutili' quoiquam Lucili columella hic situ' Metrophanes', quamquam saepius inuenitur additum uerbum substantiuum. deinde idem legitime exulat a locis communibus uelut habes apud Lucretium [III. 1076] 'certa quidem finis uitae mortalibus instat, nec deuitari letum pote quin obeamus' [cf. II, 1—2. 6]. ad quam proxime accedit condicionem copula omissa in oratione grauiter concitata sicut Enniano illo [86. cf. 40] 'omnibu' cura uiris uter esset induperator' seu Catulli manis [64. 185] 'nulla fugae ratio, nulla spes'. denique notauit Lachmannus [p. 23] commode demi eandem uoculam addito infinitiuo esse ueluti sic 'illa quoque esse tibi solida atque aeterna putandum'. ceterum a Vergilio inde multo saepius omitti illam a poetis non est dubium. licet adhibenda ea haudquaquam parci sint idem.

At de flexionibus deriuatiuis et pauca et communia habeo quae tradam. quarum hercule numerum et rationem similiter inuerti fuit uerum atque finales declinationum et coniugationum modo propositas. ac primum quidem abstracta quae uocantur in ia io itas tudo us exentia, quorum ingens fuit usus apud antiquos, ab Augusti inde aetate magis magisque inminui coepta sunt. quod minus necessitate carminis quam iudicii elegantia optinuere dactylici, cum abstractorum frequentia philosophorum equidem moliminibus conueniat, sed minime libris poeticis. nam et Seneca cum Phaedro raro admodum utitur uocabulis talibus. contra auctae sunt haud dubie dactylici metri usu flexiones men et mentum. — tamen christiani identidem uetustissimorum placitis se accommodarunt. — de formis deminutiuis digna memoria quaedam in prohoemio attuli. — praeterea adiectiuorum in atus itus utus finientium ab anno u. c. DCC numerus coepit imminui, ut manerent potissimum haec aeratus auratus ferratus laqueatus auritus

uersutus. quae aliena inueniuntur exempla epicis maxime prouenere libris. ceterum etiam quae icus habent magis magisque sunt circumcisa. praeterea ab Augusti inde aetate satis uisa sunt ingrata adiectiua in talis tilis bilis finientia plus quam tetrasyllaba, ut in Pacuuiano 'aerumnis cor luctificabile fulta' non minus putem displicuisse Persio luctificabile quam 'aerumnis fulta'. huc pertinentia quaedam notaui lib. I ad uersum illum 'tum prae se portant adscendibilem semitam'. at ex aduerbiis antiquissimi — horum nomine comprendo Catullo priores — cum magno adhibuere amore quae in im uel itus exeunt. praeterea idem plerumque per metaplasmum a nominibus secundae descendentia illo quod est iter terminauere. a quibus placitis ualde fuere diuersi posteriores, apud quos maxime haec uiguere furtim partim passim raptim sensim statim confestim penitus intus funditus firmiter largiter puriter. nec minus uerborum frequentatiuorum usus circumciditur post Lucretium, qui ualde ea probauit, sicut et incohatiuorum, quibus nonnulli uetustiorum fuere immodici [cf. Gell. XVIII, 11, 4. fr. trag. inc. 132 sq.].

Adicientur in fine operis pauca cognitu haud iniucunda quarundam notionum de uarietate siue proprietate. dixere Lucilius et Lucretius gubernum pro gubernaculo [XX, 10. IIII, 437] atque ita christiani cilium prosapiam contumiam [Mart. IIII, 424, 6]. porro Mauortem pro Marte omnino fuisse inusitatum seris saeculis inde apparet, quod inter parenthesis exempla et poeticam ad licentiam retulere magistri Vergilianum 'Mauortis in antro'. ita gnarum gnatum gnauum non hercule uiuido uulgi usu potius quam auctoritate priorum admisere plerique. praeterea cum Lucilius posuisset sine offensione 'cuia opera' [XXX, 44], Maroni tamen exprobrauere illud 'cuium pecus an Meliboei'. deinde clueo siue cluo post Lucretii tempus qui usurparit, classicorum haud quemquam inuenio nisi semel antiquae tragoediae aemulatione dixit Seneca in ludo de morte Caesaris 'exprome propere sede qua genitus cluas', sicut idem propriis fabulis clepo. repetierunt idem antiquissimorum imitatione auctores christiani, quos et satis constat temnendi et nandi uerba ab ipsorum tempore aliena testimoniis uetustissimorum retinuisse sicut illud mittere positum pro eo quod est omittere uel parcere. — praeterea suptili cura indagandum, quae cuique poetarum minus aptae ad carmen uideantur esse particulae. ueluti Lucretius numquam adhibuit illud protinus,

cum usurpandi eius plurima ueniret occasio, quod eo magis mirum cum comici pariter et epici eodem utantur uocabulo. contra 'neutiquam' soli inter dactylicos placuit Laeuio. — similiter illa itidem et utpote et deinceps post Catullum nemo classicorum praeter didacticos uel satiricos adhibuit. eadem obseruantia tenetur quapropter, pro quo epici posuere quocirca [Verg. aen. I, 673. Val. Fl. II, 101]. nam nec 'item' altiori conuenit dictioni. sed enim isdem particulis certatim usi sunt christiani. praeterea siquidem et quandoquidem etsi plerisque poetarum fuere probata — utuntur aut utroque aut alterutro Lucretius Catullus Vergilius Manilius Ouidius Seneca Iuuenalis Statius Terentianus Prudentius alii —, tamen abstinuere libris propriis haud pauci Horatius Gratius Persius Nemesianus Rutilius Boethius Calpurnius Eugenius Orientius. ita quianam post Vergilium legere me non memini, neque illud quod est 'autem' inuenitur apud Corippum.

Ecce coronatae portum tetigere carinae,
traiectae Syrtes, ancora iacta mihist.

Iam quae longis uoluminibus sum persecutus quamquam paucis uerbis coartare nec iuuat nec licet, tamen haec ferme quasi summa euadit obseruationum nostrarum. ac primum quidem acriter impugnanda ea sententia, qua a Niburio identidem prolata mox arrepta a Koenio et Grauerto statuitur Q. Ennium cum asseclis uersum heroicum et alienigenam artem nouando uiuidam indolis Romanae proprietatem Graecorum reuerentia eneruasse: quae opinio cum nitatur ingenti quadam admiratione uetustissimorum carminum, quae popularia utique nec ullis doctrinae uenenis turpia in conuiuiis a pueris fuisse cantata narrauit Cato ille censorius, facile equidem largior minime posse refelli, qui prae illis monumentis Maronem et Ouidium spernent — quod non erit mirum, cum ne una quidem ex illis seruata sit littera —. uera eosdem aut similia ueri sequi numquam persuadebitur animo. etenim cum apud Liuium Andronicum hominem Graecis litteris imbutum tanta duritas et siccitas inueniatur dictionum qualem nuperrime apte depinxit Mommsenus [hist. Rom. I, 862], qui credibilest barbaros illos culto potius et limato quam rudi et uelut balbutiente sermone esse usos? aut quamnam sensuum altitudinem uel suptilitatem expectabis ab eis, qui durissimis semper exerciti laboribus uitae cum onera maxima ferrent ciuitatis bella bellis continuantis, honores dignos non sunt nacti prius quam

flores litterarum Graecarum. praeterea cum sat constet Romanos in excolenda arte externigena purissimo esse usos iudicio, cur in recipienda credatur caruisse eosdem pectore? unde illud compertumst Scipionem et Marcellum, qui primi adamarunt cultum alienum, minus fuisse rerum peritos quam Appium et Catonem, qui magis fauerunt monumentis patriis? quin potius statuetur Romanos ut cetera quae domi essent nulla et poeticae modulum rectiorem petisse ab eis quibus esset eius copia? quare nanast equidem Niburii et Grauerti opinio. — at erunt fortasse qui incusent, quod Ennius, cum Aboriginum artem spreuisset, ne Naenii quidem uel Plauti acquierit numeris. hoc uero non est argutari in falsis sed aperte insanire. quid enim? num horum metra popularia fuere Latinis? aut si fuerunt, quae prudentia erit proprietate Romanorum eleuata obtrectare iam Homero et Archilocho et Aristophani et principalibus artis auctoribus Graecis, quos ut potiores duces secuti sunt dactylici Latini? — deinde cuinam gentium illud probabitur a scaenicis rationes metrorum potius doctissimo cuique et honestissimo Romuli nepotum quam plebeiis hominibus et summae caueae spectatoribus fuisse adaptatas? quid autem dicetur de eo, quod ipsi illi, quo longius aetate sunt progressi, magis magisque normae dactylicorum sese accommodarunt? denique etiam hanc in partem ipsum Romanorum tuto aduocabitur iudicium, qui, quo magis elegantia Graecanica fuere imbuti, eo peius coeperunt odisse uersus scaenicos. nam illud omitto ne nos quidem non sentire, modo simplici iudicio numerorum ac sonorum aestimemus rationes, trimetros Plautinos Catullianis siue Horatianis tanto esse inferiores, quanto fuerunt Hercule Pygmaei. ceterum cum in scaenicorum arte multo plura uulgaris pronuntiationis diuersitate et auctorum libidine temperarentur quam apud dactylicos, si aliter res cessisset, rythmici moduli, qui a M. Aurelii inde tempore uulgo optinuere, uix dubiumst quin duobus saeculis ante fuerint prouenturi. neque enim aliter quam tanta dactylicorum normae aequabilitate euenit, ut metricae antiquae diutius quam religionis ualeret auctoritas utque citius imperii Romani quam Romanae artis periret honos. nam illud sponte concedent omnes poesin rythmicam ut nec ueteribus rationibus nec satis neotericis respondentem quasi biformem hominum ferarumque partum monstri prodigiique esse simillimam.

At enim difficultate carminis imprimis euenisse dixit Grauer-

tis [Koen. spr. d. röm. ep. p. 308], tam cito ut extingueretur flos poeticae Latinae. quasi uero non constaret praestantissimos alioqui uates ueterum etiam fuisse uersuum artifices diligentissimos; aut quasi Romani non tantum iuuarentur simplicitate uersuum, quantum seueritate impedirentur. tale equidem crimen apte ingeretur eis, alienos qui numeros externigenis usurparint modulis, a quali prauitate ipse Ennius fuit diuersissimus. iam si concedetur rationes dactylicorum aptas fuisse proprietati sermonis Latini, sponte concidet opinatio Grauerti. et hercule non uersus pangendi mira difficultas spiritus Romanorum fregit, sed Tiberii Gaiique ac Neronis et ceterorum foeda impotentia, neque ulla fuit ad deprauandam atque inuertendam poeticam Latinam causa tam efficax quam inopia materiae illa, quae Caesarum imperio et contemptu reipublicae nec minus religionum defectu et communi generis humani imbecillitate orta adeo oppressit poetas Latinos, ut ingeniosissimus quisque eorum magis angeretur studiis propriis quam eleuaretur. quare prorsus a uero aberrauit Platenius [II, p. 296], dum Klopstokio minorem quam Horatio adfuisse copiam rerum memorat. quamquam Horatius initia imperatorum et liberam etiam uidit rempublicam, mox crescente in dies seruitio et exhausta non modo libere dicendi — id enim iam pridem factum erat — sed uel adulandi facultate quid aliud poetae Latini quam spectaculorum atque epulationum sine bellorum descriptionem et praesumptam ab Augusti aequalibus laudium materiam nouis uerbis instaurarent?

Sed missa tandem criminum uanitate potius quae haud dubie decori fuerunt eruntque dactylicis Latinis persequamur. itaque Romani, ubi semel penitus penetrauit in eos externigena ars, sicut rem publicam potius multorum ciuium aequabili probitate quam unius hominis eximia excellentia ita solo Ouidio excepto parili omnium industria continuarunt nouos modos, qui firmati a Lucilio et Attio mox Catulli ab aequalibus eam elegantiam accepere, quam uidemus libris Maronis. huius, etsi fuit poeta quam uersificator longe melior, placita probauere haud pauci. deinceps Ouidius nouae auctor artis pleraque ueterum licentiarum, quae mixtae erant Latina proprietate et Graeca, dum recidit, pariter elegantiae et libertati prospexit. — hunc igitur uirum, qui principatum haud dubie tenet artis Latinae, ueneremur, hunc imitemur. hic sciat se plurimum profecisse, cui plurimum probetur

Ouidius. huius quot sunt uersus, totidem sunt artificia, quouis Phidiae illa uel Praxitelis opere non minora. et, quod semper est perfectae indolis poeticae, cum sentias artem inesse summam, laborem persentiscis nullum. hinc fit ut, qui primum ad carmina Latina se applicant, facillimum ducant omnium Ouidianam assequi elegantiam, quam tamen, quo maiorem usum maioremque peritiam nanciscantur, eo melius intellegant promptius esse imitari quam aemulari. iam illius seueritatem quod secuti sunt plerumque posteriores, nemo erit tam uecors, qui casu potius aut arbitrio quam certa necessitate dicat uenisse. quis enim putabit Romanos minus sensisse, ipsorum quid linguae conueniret, quam nosmet? at aliud longe diserto Martialis firmatur testimonio quod illico adscribam [VIIII, 11, 10]

nomen nobile molle delicatum
uersu dicere non rudi uolebam.
sed tu syllaba contumax repugnas.
dicunt Eiarinon tamen poetae,
sed Graeci, quibus est nihil negatum,
et quos Ἄρες Ἄρες decet sonare.
nobis non licet esse tam disertis,
qui Musas colimus seueriores.

nihil potuit deliquari apertius et simplicius. tali autem modo cum adepti essent Romani natura quae liceret consequi, effecta artis aequabilitas illa, quae communis poetarum classicorum et christianorum uel materiae siccitatem aut ingenii defectum plerumque emolliuit, ut mediocria pleraque carmina Latina non sine tacita uoluptate percipiant cordati lectores, cum neotericorum libri quantumlibet eximii sensuum proprietate uel nitore dictionum formae squalore eosdem offendant. nam uerum ut fatear, carmen numerorum arte carens tanto abest a perfectione interuallo quanto sententiarum ac locutionum alienum suptilitate.

Quae cum ita sint, eadem fere laude eademque reprehensione metricam artem Romanorum qua rem publicam afficiemus. sed tamen illa fuit ualentior, quippe quae et inconcussas armis penetrarit gentes, et superfuerit imperio annis ferme CL. — sed enim ab septimo inde p. Chr. n. saeculo abiecta puto spe pristini status recuperandi tanta occidentales populos inuasit barbaries, non ut differrent iam inhumanitate Romani a Germanis. sane etiam externae accesserunt causae. nam priore etiam tempore Italia Getarum Byzantinorumque bello post Langobardorum ingres-

sione uastabatur, Gallia primum Francorum Burgundionumque certaminibus, mox, ubi rerum sunt potiti illi, intestina flagrabat discordia. diutius intacti mansere Hispani. nec saeculi septimi auctoribus sua defuit eruditio, donec proximo tempore Arabes transgressi fretum, quod Africam et Europam interfluit, uno proelio funditus euerterunt Visigothorum opes. quo nihil potuit perniciosius litteris Latinis accidere. omnis inde ars lexque omnis uersus Romani ad irritum cecidit, quae pridem labefactae tot simul tantisque circumstantibus periculis multiplicatum non sustinebant impetum. mox eaedem scholicis medii aeui studiis quadamtenus redintegratae rursus coalita auctorum Graecorum et Latinorum admiratione aliquanto laetius effloruere saeculo XV, unde primum fructus eius ad Italos penetrauit dein ad ceteros, ut cuique genti cupido humanitatis aut amor ueterum incidit. sed enim de his rebus dicere non fuit consilium.

VIIII.

OPVSCVLVM I.

DE LVCILII VARRONISQVE ET PHAEDRI IAMBIS AC TROCHAEIS ITALICIS.

Lucilii Varronisque ac Phaedri iambis ac trochaeis, qui omnibus locis praeter ultimum admittunt spondeum — nam ad hos iam uertit cura nostra —, quod Italicorum cognomen indidi, non hoc nolui significari metra illa longe ante Liuii tempus adsumpta quasi propria uideri Latinorum, sed diuersissimos a scaenicis numeros poetarum illorum etiam nota quadam distinguere auebat animus. quippe haud sane constat, an prius Andronico apud Romanos uersus isti fuerint nouati. de qua re melius fortasse constaret, si sciremus, quonam tempore aruspicibus Etruscis ob fraudem punitis a pueris tota urbe decantatus fuerit hic uersus [Gell. IIII, 5, 5]

malum consilium consultori pessimumst,

aut si posset haberi pro comperto ueteris illius Catonis carmen de moribus fuisse compositum numeris trochaicis, quam sententiam a Kaerchero [philol. VIII, 727] primum prolatam longius persecutus asseruit Boeckhius [act. menstr. academ. Berol. 1854, p. 264]. neque enim uidebitur credibile hominem patrii moris tenacissimum et Graecorum cum maxime adspernantem cultum contempto bono illo uersu Saturnio metrum optinuisse externigenum, quod se puero et non multis ante annis esset inuectum. uerum opinio Boeckhii et Kaercheri quantumuis suptilis et speciosa cum ob paucitatem maxime fragmentorum non sit tam firma, nullus ut relinquatur locus ambigendo, ne hinc quidem aliquid certi de ea quam dixi re poterit statui.

Sed iam propositum ut ingrediar, facile apparebit hominibus sano iudicio praeditis non potuisse fieri, quin plurimum differret scaenicorum ars ab horum de quibus iam quaeritur poetarum. cuius diuersitatis causa minime obscura ea extitit, quod illi audituris at hi lecturis sua composuere. iam cum in eis, quae scaena relata spectamus, tot simul animus oculique detineantur diuersis affectibus, necessario diuidere curas ut cogamur, pleraque in dictionibus ac metris minus eleganter admissa aut omnino nos fugient maioribus intentos rebus, aut, si forte aduerterunt, facili transmittentur uenia. quod longe aliter habet in eis carminibus, quae domi in lectulo recubantes uacuo tractamus animo, in quibus primum omnium concinnitas ac nitor requiritur. — praeterea num illud uidebitur probabile nihil ex ea seueritate, qua Lucilium et magis Varronem in reliquis uersuum generibus usos fuisse constat, redundasse ad ea ipsa, de quibus agitur, metra? quin potius statuemus ne potuisse quidem illos in his diuersam admodum a ceteris carminibus adhibere rationem numerorum, nisi uellent uideri doctrinae et urbanitatis omnis esse expertes. quin et illud est certum hominibus litteratis saeculi a. u. c. septimi liberiores illos artis ueteris scaenicae modulos minus longe gnaros fuisse quam nobis, quod docet Sisenna de carmine quodam Plauti [Rufin. 2711] haec referens 'haec scaena anapaestico metrost. sed concisa sunt ut non intellegas'. nam ne hoc quidem perspexere plerique ipsos scaenicos pro temporum aut materiae differentia interse fuisse satis diuersos, cum et Naeuii Plautique auditores pleraque tulissent patienter, quae Terentii aut Afranii aequales ut horrida nimis respuerent, nec tragicis idem liceret quam comicis, qui ad plebi modulos et uulgarem pronuntiationem artem applicarunt. de qua re satis apertum extat Tullii testimonium tale [Or. 55, 184] 'comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut nonnunquam uix in eis numerus et uersus intellegi possit'. sed posteriorum Terentio scaenicorum placita metrica tam sunt obscura, non ut ipsorum nedum Lucilii ac Varronis aestimari possint ex eis uersus. at Plautinos numeros qui rursus inferat libris non scaenicis, post nostras curas haud facile inuenietur.

Ac primum quidem dignumst memoria inueniri apud Varronem promiscue adhibitis spondeis iambicos trimetros et cretico et molosso exeuntes porro tetrametros catalecticos et acatalecticos,

quales habes non minus frequenter trochaicos. horum autem rationibus parem normam sotadicis anapaesticisque uersibus praeter aristophanios et siquos adhibuit creticos aut bacchiacos uidetur admisisse. systematis autem usus idem iugauit non sine exemplis scaenicorum trochaeos uel iamhos octonarios septenariosque. cuius rei documenta prostant ferme haec

et ecce de improuiso ad nos accedit cana ueritas
Atticcs philosophiae alumna.
nemost tam neglegens, quin summa diligentia eligat
asinum qui suam saliat equilam.
quibus instabilis animus ardens mutabiliter auet haberé
et non habere fastidiliter inconstanti pectore.
si me hercle pergunt
et deorum causa non satisfacitur re publicae.
Propontis unda
quam liquenti caerula natantem perfundit, cape.
tegens pruina
ne iacentem subdealbet algu dante frigore.
dixe
regi Medeam aduectam per aera in rheda anguibus.
Pelian
Mediae permisisse, ut se uel uiuum degluberet,
dum modo redderet puellum.
atque ut igni feruido medullitus Aquiloniam
intus seruat frigedinem.
et pater diuum trisulcum fulmen igni feruido
actutum mittat in tholum macelli.
non uidetis unus ut amor paruulus
ardifeta lampade arida agat amantis aestuantis.

sed epodica carmina eundem composuisse Varronem, quod uisumst Augusto Meinekio, non poterit probari exemplis certis, nec illud facile adducor ut credam ultro.

Iam cetera ut persequamur, cum laude nominandus Petrus Langenius, qui satis prudenter satisque accurate nuper Phaedri rationes metricas enarrauit museo rhenano [XIII, 209]. de eis qui nuper Varronis artem corrupere cum hoc potissimum libello sumantur poenae in praesens memorare nihil attinet.

Itaque Lucilii Varronisque et Phaedri studia metrica ea fere lege euenere, ut uitaretur his quidquid Plauto Terentioque displiceret, additis praeterea obseruantiis plerisque, quas illi mediocri uel nulla habuissent cura.

Iam primum quidem intellegitur spondeos pro iambis posse

poni promiscue excepto scilicet loco ultimo. qui cum semper puro constet iambo, concinnitatis ergo spondei praecedentem proxime occupant ferme locum, ut tamen multarum syllabarum uerba libertatem huic parti concilient. praeterea binis iambicis uocibus concludere uersus semel aut iterum sustinuit Lucilius, qui et quattuor copulauit semel non equidem nulla uenia in his [XXVIIII. 25]

hic me ubi uidet,
subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit.

namque alibi simile incommodum declinauit ponendo pro mora remoram sic [lib. inc. 68]

quaenam uox ex te resonans meo gradu remoram facit?

in quo uersu probabilest sed non certum scribendum esse tete. at Varronem hominem multo elegantiorem Lucilio non permoueor ut credam bina uocabula iambica admisisse in exitu metri, non ut trimetris sed tetrametris constituenda sint fragmenta eiusdem haec [Eum. 4. quinquatr. 1].

quod ea die mea erat praebitio, in ianuam caue canem
inscribi iubeo.
quid medico mist opus? nempe ideo, alisinthium ut bibam grauem
et castoreum leuemque robur.

in quibus quod habent codices tuo pro ideo et mihi est pro mist. illud Kochius alterum nos sustulimus uitium. neque uero Phaedrum credibilest similem inelegantiam admisisse. et cetera quidem, quae diuersa essent ab hac norma, iam aliis recte sunt procurata, nisi uni exemplo pepercere tali [fab. Perott. 29. 9]

omittit ipsum persequi et uocat canes.

in quo equidem ponendo illud 'reuocat' et sensum implebis et metrum. at in scazontibus iambis ac trochaeis cum haud dubie melius molosso ultimo breuis praecedat syllaba quam longa, tamen ne haec quidem infrequentibus euenit exemplis, quam quidem apparet non posse aut in pyrrhichium resolui aut praecedente spondeo sine anapaesto aggrauari. obseruaui autem potissimum haec [Marcip. 2. ταφ. Μεν. 9. 16. 22. papiap. 9. Marcopol. 4]

deim mittit
uirile ueretrum in frumen, offendit buccam
Volumnio.
inde putidas uuas
acinis electis et comestis extendit
in lectis quondam.
et λιθόστρωτα pauimenta et parietes incrustatos.

ast in segetibus post messem colligebant stramenta,
qui domicilia colerent.
dominum conuiui tu uinum aliudue — quidni? — laudato.
sensus portae, uenae hydragogiae, cloaca intestini.

magis tamen placent diuersa uelut talia [Prom. lib. 13. capr. proel. 1. papiap. 3. Man. 18. περὶ γεγαμ. 3. pap. 10]

eburneis lectis et plagis sigillatis.
ne uobis censeam, si ad me referretis.
omni obstant in ministerio inuidum tabes.
tum ad me fuerunt, quod libellionem esse
scicbant.
cuius ubi annis multis masculi uestigium inuentumst.
dum uixi, promiscua auis meis in chortibus pauit.

in quibus constituendis atque emendandis metris quae nos praestitimus, silentio omittemus, illud potius addituri pascere positum pro illo pasci quod habes exemplo ultimo etiam apud Martialem inueniri et apud Homerum Latinum ita [VIIII, 80, 2. 993]

uxorem pascit Zoilus et futuit.
auidique canes tua uiscera pascent.

At in sotadico metro pes ionicus a maiori cum non minus decem adsumat species [Lachm. prooem. Berol. 1849 — 1850] — nam et solui possunt longae et cogi breues nec minus per anaclasin substituti ditrochaei solent uariari —, non assentior Lachmanno, quod dicit subobscure [p. 4] molossi et epitriti tertii usu qui in arte difficillimi habeantur Varronem abstinuisse. nam unde hoc illi fuit compertum in tanta fragmentorum paucitate? quamquam ne in his quidem desunt, quibus eius sententia refellatur. namque molossum habes talibus exemplis [Sesquiul. 9. 12]

qui se in ganeum ac censum coniecit amicae.
uentu' saeuo casu
uehementiu' sufflare et calcar admouere

nec minus alibi epitritum [περ. μέθ. 2. gerontodid. 10]

quis in omni
uita heluo πίνων δέπας olfacit temetum?
nouu' maritus tacitulus taxim uxori' soluebat
cingulum.

denique utramque inueneris coniunctam speciem in hisce [epitaph. 2]

pleni libri inquam, ubi maneant epitaphia horum,
quorum in sepulcris nec uola nec uestigium extat.

ex quibus primum uersum agnouit Vahlenus, reliqua nos composuimus. ueluti secundo metro scripsimus saeno pro suc, quod fertur apud Nonium, qui affert fragmentum s. u. calcar [451], sicut alibi apud eum in uersu Ennianost 'cum suo obsidio' pro saeno. ceterum uerba illa Varronis utique fuerunt finitima aliis aeque sotadicis, quae ab eodem Nonio seruata s. l. tegillum satis bene composuit Roeperus. praeterea illud πίνων δέπας dictumst ad similitudinem Homerici πίνειν κρητῆρας.

Porro uelut sacrosanctum optinetur, ne umquam pedis anapaestici thesis uocabulo contineatur dactylico, nisi forte quis Lachmanni ingeniosissimum inuentum Roeperi ac Vahleni dissensu statuerit infringi. quibus non melius rem gessit Ribbeckius, Ennio qui patienter adscribit haec [235]

saluete optima corpora.
cette manus uestras measque accipite.

in quibus primum omnium qui non pectore carebunt damnabunt illud corpora, pro quo uerissime substituit Stephanus pignora. praeterea uersus necessitate omnino ponendumst

saluete o pia pignora.

nec uero magis licet in anapaesticis pedibus thesin discerpi binis uocabulis, ita ut prior pars contineatur uocabulo trochaico. praeterea Lucilio ac Varroni magna cura seruatum, ut binos anapaestos ne iugarent umquam nisi initio metri, sicut habes uersibus his [Luc. XXVIIII, 2. XXVI, 17. Var. Prom. lib. 16]

habeasque animo mihi admodum causam grauem
fore quae me ab ullo commodo abducat tuo.
principio physici omnes constare hominem ex anima et corpore dicunt.
id ut scias, audi hoc, quod falsum dicis esse nemini
oculos opus esse, si habet.

nam nec illud placet quod dixit Ritschelius [prol. trin. 270] in trimetris iambicis nec simplicis nec geminati anapaestici pedis usum fuisse improbatum scaenicis, quae et exemplis certis et ratione ipsa mihi uidetur infringi opinio. — at Phaedrus nec umquam continuauit anapaestos, quos primo potissimum aut quinto adhibuit pedi [Lang. p. 203], nec nisi uerbis minimum trisyllabis excepto ut solet fieri primo pede, cuius accedunt licentiae quintae sedis exempla locis posita hisce [III, 10, 4. 14, 11. fab. Perott. 20, 3. 31, 10]

Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
cito rumpes arcum, semper si tensum habueris,
at si laxaris, cum uoles, erit utilis.
productus ad bibendum cum foret a molis.
respondit contra 'tu fidem bene praedicas'.

quae ea re mitigantur abnormitates, quod, paenultimi loci libertas exclusis plerumque pede iambico aut soluta arsi cum ualde imminuatur, augescit licentia numeris spondiacis et anapaesticis comparandis. praeterea exemplorum primum iniecto nomine proprio, alterum antitheto addito leniri uerumst. ab his autem aliena metra iam Langenio fuere improbata, quem tamen tollendis uitiis aliquando a uero aberasse existimo. ueluti in his, quae feruntur uulgo talia [IIII, 17, 9]

parce gaudere oportet et sensim queri,
totam quia uitam miscet dolor et gaudium,

mihi equidem unice probatur, quod firmumst codice Pithoeano 'totamque uitam', ut enclitica eadem fere constet ratione, qua apud Propertium 'tuque o Eurytion', de quo supra memoraui exemplo. porro illo metro [fab. Perott. 11, 12]

sic tu nisi natum tecum adsidue detines

aut nisi cogendumst aut potius traiectis uocabulis ponendumst 'sic nisi tu'. — dein cum alibi habeantur haec [I, 27, 9]

o canis merito iaces,
qui concupisti subito regales opes
triuio conceptus et educatus stercore,

non magis mihi arridet, quod Langenius posuit conceptus triuio, qua traiectione admissa chiasmi ars euertitur, quam ipsi placuit omitti, quam Bentleius dempsit, copulam, qua recisa non aptum orationi πάθος additur. at hercule qui considerarit, quam saepe exempla uocatiui casus liberius habita corrumpantur a librariis uix fiet quin concedat esse scribendum

triuio concepte et educate stercore.

denique in uersibus, qui testimoniis longe amplissimis — nam Danielis librum non curo — praestantur tales [I, 12, 1]

laudatis utiliora quae contempseris
saepe inueniri haec erit narratio,

non uideo quid aut sententiae pariter ac uersui melius conuenire aut propius accedere possit ad id quod antiquitus traditur quam pro erit positum asserit.

At in soluenda arsi isdem fere quibus Plautus ac Terentius

legibus licentiisque usi sunt Lucilius Varro Phaedrus. igitur cum pleraque admitterent, quae ab iambis ac trochaeis Graecanica arte compositis ferme essent aliena, acriter tamen cauere idem, ne uocum tribrachum seu primum implentium paeonem paenultima esset syllaba sub ictu rythmico. similis autem in dactylicis uerbis optinet obseruantia excepto primo pede. quare uix crediderim Varronis fragmentum, quod aperte poeticis numeris continetur, tale 'ego nunc postulo Agamemnona meum. tantis cothurnis accipit Critonia caliendrum' describi posse iambicis uersibus, quorum primus finiatur post meum, sed potius traiecto illo Agamemnona trochaeos constituemus ita

ego nunc postulo meum
Agamemnona. — tantis cothurnis accipit Critonia
caliendrum.

praeterea semel Varroni in quadrato uersu 'saepius pedibus offendunt dum petasones musteos' [Agath. 3. cf. Vahl. p. 79] paene ultima acuitur uocabulo amphibrachico illo pedibus, quale et alibi habes hoc exemplo Attii [381]

reprime parumper uim citatum quadrupedum.

iam non est cur existimemus ulla parte metrorum nisi quae esset omnium ultima dubitauisse soluere arsim auctores de quibus agitur [cf. Fleckeis. Caton. poes. rel. p. 13]. ueluti non dubito recte habere Varronis metrum sotadicum tale [Parm. 8]

cedit
uelocibu' iuueni' membris leui' nitidus oleo.

ceterum in uersibus cretico terminatis cauerunt Lucilius ac Varro, rescissa arsi paenultima ne non finiretur numerus uerbo minimum tetrasyllabo, nisi ubi binae uoces iure enclisis coalescerent ueluti sic

manus a muliere abstinere melius est.

nec minore eam cura obseruantiam habuit Phaedrus. qui quod semel seueritatem legis migrauit ita [V, 8. 22]

quidam in conspectum proditurum sine mora,

mitigatur ea re uitium, quod formulaest instar illud sine mora, pro quo scilicet dactylico carmine non obscuram ob causam optinuit 'haud mora' siue 'nulla morast'. neque uero migratur ars metro tali [fab. Perott. 10, 6]

respondit illa 'quidquid dederis satis erit',

cum illud satis esse unius instar haberi uocabuli alibi declararim. iam proceleusmaticum pro anapaesto extra principem sedem poni

in iambicis uersibus a Lucilio et Varrone etsi non constat certo exemplo non tamen omnino negauerim, cum praesertim mediis trochaeis solutas pedum contiguorum thesin et arsin continuarint ita [Luc. XXVI, 14]

uoluimus capere animum illorum.

[Varr. Eumen. 29]

Attices philosophiae alumna.

sed Phaedrum similia admisisse praeter initium uersus mihi non persuadetur, cum quae diuersa exempla reperiuntur et facillime possint amoueri et alienas etiam ob causas ex parte debeant suspectari. sunt autem talia [IIII, 11, 3. fab. Perott. 2, 10. 10, 12]

onustus qui sacrilegio cum discederet.
haec qui negauit magno consilio hominibus.
licet horreum mihi pateat, ego scalpam tamen.

ex quibus primum recte stare poterit sic traiectis uerbis 'qui sacrilegio onustus' siue hoc males 'qui onustus sacrilegio'. tum pro hominibus, quod, ad sententiam cum bene habeat, displicet ideo, quod proxime praecedit illud 'homini', facillima ponendumst emendatione omnibus, sicut habes initio fabulae dictum pro solis hominibus 'genus mortale'. at tertio loco, qui non una hercule inelegantia deformis est, uix erit quod moneam contrahendum esse illud mihi. nam quod alibi legitur [fab. Per. 16, 8] 'immo, nisi dederis, sponda cessabit tua', aut immo explet trochaeum aut potius ni pro nisi uenit a Phaedro. iam uix fuit, quod monerem numquam dactylum siue anapaestum trochaei loco admissum proceleusmatico pede permutari, nisi quaedam turpi errore ferrentur exempla ab hac lege aliena. ac primum quidem uix memoria dignumst in Lucilii uersu tali [XXVI, 19]

et quod tibi magno opere cordist mihi uehementer displicet

cogendum esse aut mihi aut uehementer aut utrumque. nec difficilius hercle ad tollendumst mendum illud, quod latuit metro hoc [lib. inc. 73]

quin amplexetur qui uelit, ego non sinam me amplectier.

in quo haud timide reponemus qui uolt, sicuti alibi in loco bis [p. 269. 278] a Nonio memorato [XXVIII, 1], qui scribendus est ita 'concedat homini id quod uelit. deleniat. corrumpat prorsum ac neruos omnes eligat', exhibetur libris scriptis et uelit et uult. sed longe suptilius iam expendendumst exemplum tale [XXVI, 63]

domuitionis cupidi imperium regis paene imminuimus.

quae uerba cur ex tragoedia sumpta esse uideantur Ribbeckio [p. 203], equidem non intellego, cum pertineant aperte ad comissatores, qui somno uinoque languidi regis conuiuii detractent iussa. nam et multus fuit communis uitae ludibria aut negotia describendo Lucilius, cuius si integris uteremur libris, haud dubie innotescerent pleraque obscura uitae Romanorum priuatae. illud tamen concedam posse fieri, ut uerbo sesquipedali domuitionis tragicorum notus usus tangatur. quamquam huic ipsi uocabulo unam iam dememus syllabam. — ac primum quidem qui breuiorem formam commendet est Nonius, cuius et lemmate et exemplis binis [p. 96] habeatur domutio, in quo sane u pro i positum nullum habet locum. at hercule apparet domitionem eodem posse dici iure quo animmaduerto plerumque abicit litteras quintam et sextam. sed quid ratione potius suptili quam certo exemplo hanc adserimus formam, quod equidem incuria hominum doctorum hactenus fuit deprauatum? nempe in rhetoricis ad Herennium haec feruntur antiquitus prodita [III, 21, 34] 'cum uerborum similitudines imaginibus exprimere uolemus, id nos hoc modo facere oportet. iam domi ultionem reges Atridae parant. in primo loco constituere oportet manus ad caelum tollentem Domitium, cum a Regibus Marciis loris caedatur. hoc erit iam domi ultionem reges'. in quibus uel caeco constabit pro illo 'domi ultionem' non esse scribendum, quod uulgo optinet, domuitionem — quae enim similitudo uerborum domuitioni cum Domitio? — scribendum esse domitionem, quam formam et Lucilii uersui, unde oritur disputatio, reddemus et octonario iambico Attii illi [173] 'morari nec me ab domuitione arceret obsceno omine'. restant Phaedri metra talia [fab. Perott. 16, 7. II, 9, 17] 'adeone per me uideor tibi meliuscula' 'nec quidquam possunt nisi meliores carpere', quorum uersuum prior recte habebit ita

adeone uideor tibi per me meliuscula,

alter stabit coacto illo nisi. quamquam erunt fortasse, qui dicant exemplo i dicendum esse meluscula et melores, sicut melus in illis Varronis 'an qui gradu tolutili te melius quam tute molliter uectus cito relinquat'. — iam de soluta arsi agere ut desinam, addam in fine uersu Ennii, quem Probus exhibet fere talem [tr. 238] 'quique tuo lumine maria terram caelum contines', traicienda esse ad finem metri illa 'tuo lumine', quae non sufficiet arti interse inuicem locum si mutaneriut.

Deinde caesura in tetrametris trochaicis legitime post thesin quartam solet collocari uelut exemplis hisce

cesso hinc ire et capere luci uestem in leto coniugis?
immo mane. non esuribis diutius. quare roga.
neque enim sum Memmi neque Cassi neque ego Munati Ebriae.
Paula mea amabo. — pol tuam ad laudem addito praefiscini.
quare hoc colerest satius quam illo studium omne hic consumere,
solus uero, soli quid re et quaestu conducat suo [Non. 274]
at metuis porro ne aspectu et forma capiare altera.
patior facile iniuriam, sist uacua a contumelia.
hicine is est quem fama Graii ante omnes nobilitant uiros?
esse ita ut dicis. nam mihi erant de illo explorata omnia.
in concedere unum atque in eo dare, quod spectatur, manus.

in quibus ultimo uersu positum spectatur scripsi de coniectura pro eo, quod uulgo fertur superatur, cui minus bene substituetur speratur. ceterum in eodem fragmento dirempta a nomine praepositio sicui nimium displicebit, poterunt facile iambici reconcinnari numeri ad hunc modum

concedere
in unum atque in eo dare, quod spectatur, manus.

potest tamen etiam arsi praecedente sine insequente optinere incisio, ut recte habeant talia

nulli me inuidere, non strabonem fieri saepius
qui homo ineptitudinis cumulatus cultum oblitus es
commonet se usquam neque committet, ut pereat sibi
hocin rest, quo tu tam temeriter meam beneuolentiam
cuius ubi annis multis masculi uestigium inuentumst.

aliter autem falsi euadent uersus, quales neque Varro aut Lucilius admisisse credibilest nec magis scaenicos Pacuuium aut Pomponium, quorum quidem in fragmentis haec feruntur a norma aliena [122. 140]

primum hoc abs te oro ni me inexorabilem
faxis, ni turpassis uanitudine aetatem tuam.
age modo, sta garri, particulones produc autibus.

in quibus priore loco scribendumst

ni aetatem tuam turpassis uanitudine

posteriore 'produc particulones'. praeterea obiter monebo illud sta non esse uerbum, esse pronomen. est enim aperte sermo instantis, ut pergatur oratione proposita. agitur quippe Pomponii praecone posteriore — nam ex hac fabula desumptus est uersus — de muliere senem delirum temperante, quae insidietur priuigni

fortunae, ad quam exturbandam coniuratos eo uti dolo manifestumst ut dicant pleraque bona mariti legata esse amicis. praeterea a Ribbeckio inuidenda felicitate inuenti cum alia aliis metra [cf. Pac. 109] tum tale tribuitur Laberio

> delénimenta
> ád amorem delérameuta, uenéficia autem béneficia
> súnt.

quae donec quis apte scanderit — Magnus autem is erit mihi Apollo —, putabimus ueneficiis omnibus peiora et deleramentis insaniora omnibus. — at in octonariis iambicis catalecticis semper inciditur a Varrone post alteram dipodiam, uelut habes fragmentis his [Pac. 131. Varr. mod. 17]

> nunc ne illum expectes, quando amico amiciter fecisti.
> uoluptatem hanc eandem
> tacitulus taxim consequi lapathio et ptisana possum.

contra acatalectico eodem potest ut post arsim quartam ita post quintam thesin incidi. aliter autem non stat numerus, non ut possit esse tetrameter iambicus talis [Man. 4]

> harum aedium summetria confutabat architectònes.

quae uerba trimetris potius distineri apparet uel eo, quod pertinent aperte ad eiusdem libelli — sunt autem petita e Manio — senarium hunc 'hic ut quadrato latere stipatae strues'. at in trimetris iambicis semper post thesin siue tertiam siue quartam incidi a Phaedro certumst, a qua norma non sunt alieni uersus hi [III, 15, 6. V, 8, 19]

> nouissime prolapsam effundit sarcinam
> ipso ludorum ostenderet sese die,

quibus praepositio per tmesin seiungitur a uerbo suo. at Lucilius et Varro etiam in arsi tertia collocarunt incisionem, ueluti exemplis hisce

> fauitorem tibi me amicum amatorem putes.
> sic inquam ueteratorem illum uetulum lupum
> Hannibalem acceptum.
> praesertim cum uentrem meum coherceam
> nec murmurari patiar.

quamquam magis longe probata uel his fuere talia

> qui Tarentinum tuum
> ad Heracliden Ponticon contenderet.
> si retinere hunc uoles,
> si longius te producturum et diutius.
> qua super re interfectum esse dixisti Hippotem.

in quibus illud super aequat monosyllabum. ceterum si post thesin fiat rythmi interstitium, non placet eam disyllabo uerbo contineri. quare Lucilii metris talibus [XXVIIII, 1]

hoc cum fecerit,
cum ceteris reus una tradetur Lupo,
non aderit. ἀρχαῖς hominem et στοιχείοις simul
priuabit. cum igni et aqua interdixerit, duo
στοιχεῖα habet, id maluerit, priuabit tamen

malo semiseptenaria diuisione facta incidi post una et inter.

Iam ut cetera exequar, monosyllabum polysyllabo praecedente non admittit Phaedrus praeter illa est es, quae inclinatione iungentur cum proximis. simili dixit uenia Varro [τοῦ πατρ. τὸ παιδ. 1] 'ac liberos parare cui necesse sit', quo longe durius est positum ab eodem in exitu metri 'ignorare me' fragmento tali [Bim. 22] 'τρόπων τρόπους qui non modo ignorare me clamat, sed omnino omnis heroas negat nescisse'. quem locum uersibus describendum esse primus perspexit Vahlenus [p. 137]. porro haud incertis constat exemplis Lucilium apud et Varronem in senariis iambicis et trochaicis septenariis creticum finali diiambo praecedentem contineri uocabulo molossico uel choriambico siue monosyllabo longo cum disyllabo spondiaco uel anapaestico. quis enim integra esse negarit talia

praeter haece subsiciuam siquando noles opram.
leuis mens numquam somnurnas imagines.
neque auro aut genere aut multiplici scientia.
Chremes in medium, in summum ierad Daemenetus.

in quibus uerbum quod est ierad mediam pro tenui accepit, sicut alibi in uersu aeque Luciliano simad, nec minus coniunctio at uersu hoc [Non. 159] 'si non amplius, ad lustrum hoc protolleret unum' aut in fragmento Caelii quod legitur apud Nonium s. u. finis [205]. minus autem placet trimetri iambici pedem secundum aut tetrametri trochaici thesin tertiam cum insequente arsi spondiaco uel anapaestico contineri uerbo, quod tamen habes his fragmentis

quanti uellet iam canicas ad pultem magonis manu.
subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit.
habeasque animo mihi admodum causam grauem.
uiginti domi
an triginta uel centum cibicidas alas.
et hymenaeus, qui primo lauere alumn marsupio solet.
mane suscitat, rostrum sub rostra adfert, populum in forum.

uam et idem uidetur Ennius admisisse pulcherrimo fragmento illo [26]

adsunt adsunt. in caedem me, in caedem expetunt.

cui proxime accessere anapaestici dimetri tales

fer mi auxilium, pestem abige a me,
flammiferam hanc uim, quae me excruciat.
caeruleo incinctae angui incedunt,
circumstant cum ardentibu' taedis.

qualibus equidem aristophanios numeros praetulit Titinius in Procilia [69]

magi' quam famae obiectarent, ne eam malefactis nobilitarent.

denique semel in senarii tertio pede similis metris modo adlatis inelegantia admissa a Varrone ita

praesertim cum uentrem meum coherceam.

quod non credo immutandum esse exemplum traiecto post uentrem uocabulo altero. — at hercule apud Phaedrum non inueneris usquam similia, nisi forte artem huius credes imminui hac re, quod ab ipsius rationibus alienum inseruit operi Ennii uersum talem

palam mutire plebeio piaculumst.

et pleraque quidem a lege aliena iam Langenio [p. 198 sq.] recte sunt procurata. sed digna mentione notabo haec. itaque primum [IIII, 5, 38] cum tradita sint haec 'agros utiles et pecora cum pastoribus donate moechae' non poterit scribi uites pro uitioso illo utiles, nisi locum interse permutarint agros et uites. porro in ultima libri quinti fabula pro uulgato 'canem obiurgabat. cui senex contra latrans' non potest scribi [7] 'cui latrans contra senex' sed debet esse 'contra cui latrans senex'. praeterea uix memoria dignum exemplum tale [fab. Perott. 8, 5]

haud uana nobis ingenii fiduciast.

in quo nemo non uidet cogendum esse illud ingenii. at secundi pedis artem uiolarunt, qui in uersu sic tradito [fab. Perott. 14, 17]

uidetque aegram et facie pulchra feminam

ad explendum metrum posuerunt 'sed facie', cum potius alterum et addendum sit ante aegram. ceterum excusarem istos, si sequentia melius curassent, quae nunc feruntur talia

corruptus animus illico succenditur,
et uritur sensim impudens cupidine.

quod enim, amabo, uitium aut quae impudentia seu nostra siue ueterum respexeris placita inest in eo, siquis uidua ardescit conspecta? non mehercule miles peccauit, peccauit mulier, quod consuetudine quotidiana capta illum adamauit. sed scilicet alia auctori ipsi, alia placuere librariis. nam ab illo noli dubitare quin uenerint haec

correptus animus illico succenditur,
et uritur sensim impotens cupidine,

ceterum non habent melius, quae apud eundem feruntur auctorem talia [IIII, 25, 17]

fraudatus quamuis et dolens iniuria,
ne male dimissam gratiam corrumperet,
promisit.

in quibus inepta sunt media ob tautologiam, cum appareat non posse non corrumpi gratiam male dimissam. iam qui intellexerint, quam mendosis utamur Phaedri codicibus, ei minime litteris argutati concedent ultro scribendum esse dissimulans pro illo dimissam.

Iam de synizesi ac dihaeresi pauca habeo quae memorem. ac primum quidem non magis Italicis quam Graecanicis iambis aut trochaeis i uel u duratur in consonam nec uero permissast synchysis illa, quam habes in Vergiliano 'ferreique Eumenidum thalami'. nam in uersu scazonte Varronis tali 'eburneis lectis et plagis sigillatis' eburneis descendit ab eo quod est eburnus, ut iligneis ab illo ilignus hexametro Lucilii hoc 'iligneis pedibus cercyrum concinet aequis'. deinde apud Phaedrum cum uulgo feratur [I, 3, 7] 'immiscuit se pauonum formoso gregi' initio numeri collocandumst pronomen. — sed licitae lege synhaeresis exempla apud Lucilium obseruaui potissimum haec

cum mei me adeunt seruuli, non dominam ego appellem meam?
adde alios omnes meo periclo ex ordine.
tuam probatam mi et spectatam maxime adulescentiam.
non tu multitudinem
tuorum. quam in album indidisti, dextra conficis tibi.
porro amicist bene praecipere tueri bene praedicere.
adde eodem tristis ac seueros philosophos.
colligere. auxilium tametsist indigna ut feram.

in quibus quinto loco positum tueri non propria uocum plus quam disyllabarum licentia cogitur, sed quia descendit ab illo tuus, quod synizesist obnoxium, sicuti duellum et perduellis simili qua duo contrahuntur libertate. ceterum eodem uersu adhibitum praedi-

cere quod parem habet sensum cum praedicando, confirmatur id ioco priapeorum tali [6, 1] 'cum loquor, una mihi peccatur littera. nam te paedico semper blaesaque lingua meast'. sed ut redeam in uiam, diductis habes syllabis apud eundem Lucilium deargentassere ac deorsum ita 'depeculassere aliqua sperans me ac deargentassere' 'modo sursum modo deorsum tamquam collus cernui'. praeterea Varronis libris ad similitudinem iunioris inuenitur coactum illud iuuenilitas in sotadicis hisce [Tithon. 2]

quam dereliquit
multicupida iuuenilitas.

apud eundem habes monosyllaba cuius et mei et suam et suae trochaicis uel iambicis tetrametris talibus [περὶ γεγαμ. 3. Sard. uen. 1. lex Maen. 8. trihod. 1]

cuius ubi annis multis masculi uestigium inuentumst.
non te tui saltem pudet,
si nihil mei reuereatur?
nemost tam negligens, quin summa diligentia eligat
asinum, qui suam saliat equilam.
priusquam in orchestra pythaules inflet tibias, domi
suae rumpit ramices.

in ultimo fragmento metro diremptum illud suae a nomine sicui uidebitur languidius, pubescentem Varronis tempore artem et similia Lucretii exempla excusabimus. denique apud Phaedrum non inueni digna memoria nisi forte distractis uocibus adhibita illa [IIII, 8, 7. III prol. 14. I, 11, 5] 'adsueui adsuetam insueta'. — praeterea uix dignum memoria scaenicorum munditias, qui dixere cum synizesi praeter illa quae supra memoraui etiam deum deos eam eas scio sciam trium, alia nullum habuisse locum in carminibus oculorum potius quam aurium usu animum penetraturis. quare Lucilii fragmentum tale [lib. XXVIIII] deum rex auertat uerba obscaena non licet iambicis potius quam trochaicis metiri numeris, ut prius metrum finiatur post deum. tamen potest Varro uideri posuisse trisyllabum posteaquam.

In elisione notandum Lucilium ac Varronem uoces iambicas cum acutis et longis copulasse syllabis, cuius rei exempla prostant haec [Luc. lib. XXVIIII. XXVIII. Varro Aborig. 2]

hoc tum ille habebat et fere omnem Apuliam.
malo hercle uestro confectores ordinum.
mugit bos, ouis balat, equi hinniunt, gallina
pipat.

quid quod Lucilius eiusdem uerbum mensurae cum breui iugasse uidetur syllaba ita [lib. XXVIII]

coicito te intra ac bono animo es.

quale tamen ea re mitigatur uitium, quod formulaest instar illud 'bono animo'. porro satis certumst nec Lucilio nec Varroni caueri, ne creticum uocabulum coeat cum syllaba correpta, cum neuter eandem a dactylicis metris abstinuerit inelegantiam [cf. Varro Eum. 27]. praeterea idem ex monosyllabis uerbis etiam legitimo modo inflexa elidere sustinuerunt, cuius rei documenta extant apud Lucilium haec [lib. XVIII. XXVI]

in re agenda ipsa ridicula iactat atque alia adserit
summis niti re opibus, at ego contra ut dissimilis siem.

et apud Varronem [Eum. 41]

quae casta uestis? aetas quae adulescentium?

e quibus primum exemplum libro XVIII perperam adscriptum apud Nonium s. u. iactare [328] minus recte traditur sic ferme 'in re agenda ipsa ridicula id atque adseret'. at hercule constat Phaedrum haec omnia studiose uitauisse, nisi quod creticorum elisionem poterit uideri aequasse uersu tali [II, 8, 18]

sed ille, qui oculos centum habet, si uenerit.

nam illud 'qui' pluratiuo numero positum quod eliditur in prooemio quodam [I, 27, 2]

haec res auaris esse conueniens potest
et qui humiles nati dici locupletes student,

hos uersus contra Bentleii suspitionem qui tutaretur nondum extitit. neque alibi [III, 7, 25] cum antiquitus sit proditum 'age, si quo est abire animus, est licentia', potest stare quod placuit plerisque 'age, siquo abirest', sed debet poni 'age, abire siquost'. denique in fabulis Perottinis quamquam recte habet quod uulgo fertur [9, 21] 'uirum ut in re atroci Magnus stomachans imperat', non tamen ars migratur hoc exemplo propterea quod in atroci prima positionis iure extenditur. — denique in fine numeri admitti elisiones non Lucilii magis aut Varronis quam Phaedri obseruaui libris, quod in initiis non fuit insolitum [cf. Luc. XXVIIII, 44. 53. Varro Eum. 30. Man. 18. Phaedr. III, 6, 9. V, 3, 2].

Deinceps monosyllabo uerbo scaenicorum similem hiatum admisit [lib. XXVI] Lucilius in hisce

non tu multitudinem
tuorum, quam in album indidisti, dextra conficis tibi.

potuit fortasse [cf. Fleckeis. in Iahn. ann. LXI p. 49 sq.] addi exemplum tale [lib. XXVI]

dein quae adeo male me accipiunt decimae et proueniunt male,

nisi nimis arrideret quod Mercerius pro illis 'dein quae' dedit denique. porro Varroni in caesura iambici octonarii et quarta arsi legitime admissa dihaeresis ita [συνέφ. 5]

hic narium seplasiae, hic hedypnus Neapolis.

sed apud Phaedrum hiatus exempla quotquot feruntur incuria librariorum aut grammaticorum neglegentia, non illius euenere placitis.

Iam in mediis uocabulis neglectae sequentibus binis consonis praeter mutam cum liquidam legis positionum haec Lucilii antiquitus tradita extant exempla [XXVII, 9. 3. XXVIIII, 55]

ille contra omnia inter plures sensim et pedetemptim foris,
ne quem laedat.
facit idem, quod illi, qui inscriptum e portu exportant clanculum,
ne portorium dent.
quid? quas partiret ipse pro doctrina boni?

de quibus cum plene iudicare non ausim, dicam tamen pro fide cur et mendosa illa plerumque et aliquando integra eadem apud animum meum habeam. itaque ut suspectem omissam normam primum eo permoueor, quod in tot fragmentis Lucilii et Varronis nusquam alibi spretae positionis, qua in dactylico metro longa fit uocalis, occurrit exemplum uel unum, cum plurima constent seruatae, deinde quod primo certe loco et alteri facillime potest reddi seueritas legis si ponentur it et hi. quae uoces, si forte fuerunt antiquitus scriptae ieit et hii, quam facile potuerint labem trahere nemo non intellegit. quid quod principe uersu latere eundi uerbum, quale sententia requiritur, uel ea re fit probabile, quod perraro inuenitur Nonium sensu proprio orbis uti exemplis? nec tamen dissimulabo posse uideri a Lucilio ideo seruatam scaenicorum licentiam in uocabulis ille ipse, quod adhiberentur ea omnium frequentissime, aut quod tam tenui essent uocali, plerumque ut eadem omnino orbarentur. quare nos hanc rem inexploratam relinquemus in medium. iam breuem uocalem sequentibus muta cum liquida non produci umquam a scaenicis cum optime perspexisset Ritschelius, certissimam legem uanitate errorum identidem corrupit Ribbeckius, qui in fragmentis tragicorum et comicorum haec edidit a norma aliena [Naev. fr. com. 127. Att. 266. inc. inc. trag. fab. 26]

ea licet senile tractet retritum rutabulum.
qui hinc superescit, Spartam ei atque Amyclas trado ego.
iam domuitionem reges Atridae parant.

e quibus primo exemplo ponendumst detritum, quod unice desideratur uocabulum ad senis describendum languorem. sed omnino uidetur locis turpiculis adeo consternatus esse Ribbeckius, ut ineptissima quaeque et non modo ab ingenio, ne ab arte quidem commendationem habentia amplecti quam uerum, quod tamen ante pedes esset positum, mallet inuenire. ueluti Pomponii in dotali cum propositus esset homo dispersa per luxuriam re patria et opulenti coniugii appetens, qui uerba faceret ferme haec

faeneratores liquerunt cunctis solum de bonis
unum penem, quei omnem ceterum alium praeberem penum,

Ribbeckius — sed sicui uacabit, uideat ipse mediocriter depranata libris Nonii [p. 219] quibus corruperit portentis ille. nec uero, ut redeam ad propositum, quod secundo uersu Ribbeckio placuit aut sensu aut metro melius habere iudico quam priora neque rectius cessere aliorum conatus. est autem in codice Festi [p. 302] — nam ab hoc adfertur fragmentum — quin hinc, praeterea eodem omittitur illud ei. quare uidendum, an tale ceterorum praestet inuentis 'huic, qum superescit, Spartam atque Amyclas trado ego'. nam Amyclas breui efferendas esse paenultima agnoscitur etiam ab Ritschelio [mus. rhen. XII, 160]. praeterea foedissimo errore euenit ut ille uersus 'iam domitionem reges Atridae parant', quem ludibrio quodam et propria necessitate finxit auctor rhetoricorum ad Herennium, scaenicorum fragmentis adscriberetur, cuius rei culpa penes eos erit, qui ignorarunt, qualem habeat primam Atrides. denique in uersu Liuii [37]

quem ego nefrendem alui lacteam immulgens opem

primus pes non potest esse anapaestus potius quam tribrachus, cum nefrendes ut nefandi aperte expleant antibacchium. — ceterum ut consoler Ribbeckium, cui iam aliquot eripuimus fragmenta, addemus alia, quae eo flagitiosius sunt omissa ab ipso, quoniam pleraque eorum non in arcanis extant libris sed in Putschii sylloge. itaque primum habes a Donato [1769] et Pompeio [435 Lindem.] allatos uersus hos

Danai, qui parent Atridae, quam primum arma sumite.
itis, paratis arma quam primum uiri.

in quibus Atridae scripsi pro eo quod codice Berolinensi Donati

extat Atridei. nam minus bonumst illud, uulgo quod fertur, Atridis. ceterum secundus uersus per interrogationemst efferendus. praeterea apud Pompeium habentur e tragoedia sumpta haec [p. 445. 186]

tetulit senilis Poeas ad caelum manus.
te quoque peritura Thebe.

quorum exemplorum prius etiam a Consentio [5] proditur sic scriptum 'tetulit saeuus hostis ad caelum manus'. porro non magis incertae sunt originis, quae uulgantur apud Seruium siue Sergium [p. 519 Lind.] in commentario de arte Donati

o di immortales gentium dominus ille.

quae uno uocabulo traiecto efficiunt integrum trimetrum

o di immortales. dominus ille gentium.

nam haec uerba esse poetica ei facile concedunt, qui norint Seruium quaecunque profert aliunde petita exempla non addito auctoris nomine omnia sumpsisse a poetis. denique nulla plane causast cur anapaesticos dimetros tales

agite o pelagi cursores
cupidam in patriam portate.

Diomedi potius grammatico, qui profert in exemplis [512], quam tragicorum poetarum uni adtribuamus. at e comoediis aperte uenere haec [Char. 191. Pompei. 468. Quintil. VI, 3, 89]

uillast patrui. hic ager est ubi stas. pone uersum illac marest.
uinum precemur. nam hic deus praesens adest.
⏑ – ⏑ quid? tu me Hippocentaurum putas?

contra sunt incertae originis, quae Charisius affert s. u. aegre et acriter [176. cf. Keil. add. p. 609] iambica

aegre faciam filiis.
nonne tu scis? siquas aedes ignis cepit acriter,
haud faciles defensu sunt, quin conburantur, proxumae.

quod si praeter haec notarit Ribbeckius Titinii fragmentum a Porphyrione adlatum ad Horatii illa 'dulce pellitis ouibus Galaesi flumen' nec non quae commoda occasione per alienas partes operis dispersimus, poterit ferme supersedere negotio legendi tandem aliquando grammaticorum ueterum uolumina ipsa potius quam uoluminum indices, quamquam ne hos quidem diligenter tractauit. — sed ad propositum ut reuertar, dignissimumst memoria uersibus non in scaenae usum conscriptis communem fieri uocalem sequentibus muta cum liquida. quippe ita febrim longa priore dixit Lucilius [lib. XXVI]

ad cui? quem febris una atque una ἀπεψία,
nini inquam cyathus unus potuit tollere

porro agrum Varro

dotis dato insulam Chrysam agrum Caecubum seplasia
Capuae macellum Romuli.

nec minus hydra et patris Tullius [tuscul. disp. II, 9, 21. 22]

perge, aude nate. illacrima patris pestibus.
tricipitem eduxit hydra generatum canem.

nam eandem normam teneri a Phaedro iam Langenius perspexit [l. l. p. 207]. praeterea in fine uerbi positionis ui minime produci breuem declaratur Phaedri trimetris his [III, 3, 14. fab. Perott. 10, 12]

Aesopus ibi stans naris emunctae senex.
licet horreum mi pateat, ego scalpam tamen

et anapaestico Varronis tali [Eum. 46]

tertia Poenarum Infamia stans.

Denique haud sane placuit caesurae ui extendi finalem. nam exemplo illo quod est 'atque si addam, quanti misericordia heredibus meis stet mea, quod miseros sublenauerim' non potest discerni meis an mea synizesi rectius cogatur. contra ob sequens nomen proprium ultimam in illo medullitus produxisse uidetur Varro uersu hoc

atque ut igni feruido medullitus Aquiloniam.

Superest ut pleraque Oehleri incuria sed magis Vahleni stupore in uersus redacta auerso deo propriae condicioni restituam. itaque ut mittam quaedam a Meinekio iam notata non placet quod Oehlerus Varroni tribuit senarios tales [Agath. 5]

quid multa? factus sum uespertilio. neque
in muribus plane neque in uolucribu' sum.

primum enim non constat, longane an breui antepaenultima sit uespertilio. nec magis arridet uersu altero tertius pes spondiaco uerbo constans, aut sic soluta quinta arsis ut habes metro eodem. neque uero ullast causa, cur poetica potius quam pedestria existimemus uerba illa. praeterea et ipsa prosaria oratione constant haec [Eumen. 34] 'capite aperto esse iubet, ante lucem suscitat, frigore torret, uenatum eicit ieiunio uilicum'. quae Oehlerus uidetur credidisse numeris contineri trochaicis. uerum haec fuere modica. sed iam amplissima occasione data ad restituendum Varronem puniendumque Vahlenum pariter applicemus animum.

Ac primum quidem omnium cum ex *ταφῇ Μενίππου* apud Nonium haec legantur mendosa [Non. 542] 'nihilo magis dicere muliebre quam de muliebri ricinio pallium simplex', Vahlenus uariis defunctus ludibriis haec addit [p. 156] 'ad Varronem haec tantum modo pertinent 'nihilo magis dicere muliebre muliebri ricinio'. quibus ubi leues quasdam labeculas absterseris, et sententia emergit, et quo non mediocriter meam adiuuari coniecturam arbitror probus uersiculus nihil magis decére mulierém muliebri rícinio. sine nil magis trochaico septenario'. — haec iste. iam nemo nisi mentis inops non concedet monenti illud muliebri, ut sanitate omnino orbum, esse ortum per errorem librariorum repetito praecedente muliebre. qui enim mediusfidius poterit uti mulier alio ricinio quam muliebri? an umquam fuere uirorum ricinia? itaque Vahleni inuentum siquis Germanica lingua proferat, nonne interdicto huic omne adimat ius praetor et ad sanos redeat tutela propinquos? at enim Latino sermone inuolutae ineptiae et tolerantur et laudibus cumulantur. sed iam de uersu uideamus. in quo uides hominem pro tribracho adhibuisse antibacchium, quoniam non tertiam a fine magis quam quartam syllabam potest breuiare a rica deductum ricinium. iam in fragmento illo ubi scripseris quod olimst inuentum 'decere mulierem' et reciso muliebri uere euenient numeri non Vahleno hercule illi sed Varrone digni

nil magis decere mulierem quam de ricinio
pallium simplex.

ceterum licebit Vahleno similem Ribbeckii excusare ignorantiam, qui talem Nouio uersum attribuit [71]

molicinam crocotam chiridotam ricam ricinium.

in quibus admittendum illud quod Nonii libris firmatur [539. 540] cheridotam paeonis instar quarti haberi existimo ad similitudinem antidoti, nisi magis placebit scribi cheridytam, sicut dixit Lucilius 'chirodytoe aurati ricae thoracia mitrae'. praeterea eiusdem Ribbeckii curis percepi rem antea mihi ignaram, posse scaenicorum libris et Mineruam pro antibaccho [Att. 127] et aeneum quasi aereum poni dactylice [Caecil. 69]. sed quoniam solamen est inclitum socios habuisse malorum, acquiescat ille ea re, quod etiam apud Prudentium fertur hodie [c. Symm. I, 102] 'ecce deum in numero tornatus et aeneus adstat'. — iam cum talis sit in re metrica, qualem cognouimus, Ribbeckius, iustissima oritur suspitio non

casu neque malitia typothetarum esse factum, quod apud illum in uersu Pomponii tali 'cuiusuis leporis Liber diademam dedit' secunda legitur syllaba accentu insignita rythmico. nimirum exciderat uiri doctissimi ex animo uetus illud 'in siluis lepores, in uerbis quaere lepores'. deinde in satura quae inscribitur ὄνος λύρας septenarios iambicos tales sibi uisus est deprendisse Vahlenus [p. 14]

nempe tu sues siluaticos in montibus sectaris
uenabulo aut ceruos, qui tibi nihil mali fecerunt,
uerutis.

in quibus inest pyrrhichiace positum nempe, non prodigiosum illud sed prodigium. praeterea hoc uerbum insequentem noculam de suo addidit Vahlenus, quo libenter caremus. sunt autem illa non magis poetica quam quae iuncta fuere eis 'a artem praeclaram', quae ne Vahleni quidem in numeros contorserunt. porro apud Nonium sub u. excuriari [36] cum essent tradita haec 'Apollonium ideo excuriant quia nihil habebat', egregium par metricorum Roeperus et Vahlenus alter [philol. VIIII, 228] postquam sine ulla causa pro illo habebat posuit habet, senarium effinxit iambicum, cuius prima in secunda syllaba constaret arsis, alter [p. 67] septenarium uel si dis placet trimetrum hypercatalectum, quo soli ipsi notumst uti Varronem, in quo Apollo efficeret anapaestum. — uter utro erit potior? — tum ab eodem Vahleno ut iambica uenditantur talia [p. 37. 74]

et id dicunt suam Briseidem producere, quae eius neruias
tractare soleat.
ut in litore cancri digitulis primoribus
stare.

in quibus initio numeri positum esse pro iambo bacchium fatebuntur qui legerint nostram opellam. sed non minus foedo uitio anapaestici pedis thesis bis dactylico continetur uerbo. sunt autem prioris fragmenti uerba pedestria at posterioris sotadica, ut alter numerus finiatur post cancros, alter fuerit exceptus sequente uocali. praeterea age consideremus uersiculos a Vahleno indagatos hosce

libĕt me epigrammatia facere, et quoniam nomina
non memini, quodquod in solum mihi uenerit
ponam.

talium numerorum de auctore — qui a Varrone certe sunt alieni — apte usurpabitur illud Homericum 'τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε'. nam epigrammatia quidem, qualia

composuere ueteres Latini, non fecit, quidquid in buccam uenit confidenter protulit. ceterum etiamsi uersus isti tam essent probi quam sunt deformes et ridiculi, tamen potuit uel Vahlenis apparere quam sit peruersum statuere haec metro contineri uerba. quid enim aliud significant nisi hoc in medio sermone — et fuere ut Lucilii ita Varronis saturarum pleraque per diuerbia disposita scaenicorum aemulatione — uni subito confabulantium ortam esse libidinem pangendi uersus. at enim talis sicui uenerit amor, hoc pedestri utique sermone indicabitur colloquentibus, ne quasi insania subita lymphatum ipsum aut rideant aut formident. itaque Martialis in fine epistulae libro primo adiunctae de soluta oratione ad uinctam numeris transiturus hoc praefatus est pedestri sermone ita 'uideor mihi meo iure facturus, si epistulam uersibus clusero'. qui si Vahleni fuisset similis, omnino id metris scaenicorum et Aboriginum numeris expressisset. — quare a Varronis uerbis arcentes uersificatores non patiemur admitti illud 'quodquod' pro antiquitus tradito quod. praeterea existimauit Vahlenus potuisse Varroni longa efferri finali illa [cf. p. 29. 83. 149. 82. 79] 'stet erat habeat insidet pedibus' de quibus iam alibi iudicauimus, ut sufficiat addidisse nullo usquam certo exemplo tribui posse a praeceptis nostris aliena Varroni. nam nec mutationum ludibriis nata refellerest operae pretium, nec digni memoria, qui nulla usi ratione optimam orationem pedestrem malent mutando inuertendoque discerpi in frusta metrorum. qualis prauitatis insigne exemplum apud eundem Vahlenum euenit illud, quod uerba de γεροντοδιδασκάλῳ talia [7] 'utrum oculi mihi caecutiunt an ego uidi seruos in armis contra dominos' ille furore quodam non poetico sed lymphatico praeceps datus traiectione uerborum usus sic redegit in partes numerorum trochaicorum [p. 79]

utrum oculi mihi caecutiunt,
an ego seruos uidi in armis contra dominos?

sane si hoc modo grasseris, non est dubium, quin undecumque quales uoles possint erui uersus. quin siquis post mille annos in scriniis bibliothecae nescio cuius inuenerit Vahleni opera blattis tineisque circumrosa et paedore horrida, etiam in huius uerbis quamquam ab omni numero spirituque longe remotis multa metrice concepta licebit credat. certe mihi dum haec scribo diuagantibus ad eius librum iuxta positum oculis statim apparent tempora certa modique in hisce [p. 40] 'in quo praesertim Scaligerum,

quem laudat, secutus est'. quae quidem una nocula addita tetrametrum complebunt anapaesticum 'in quo praesertim Scaligerum, quem laudat, ille secutust'. in quibus laudat spondeum aequans nec minus contractione ortum secutust satis defenduntur exemplis Ennii. quid quod idem Liuium puto secutus opus suum incepit septenario scaenico hoc

itáque meam recóncinnandi operam áb ea satura incipiam?

sotadei autem innumeri paene latent. — tamen reuera poterit euenire ut in fragmentis tenuissimis spatio appareant poetici numeri. ueluti uerba haec ex libro *περὶ θυσιῶν* 'mea igitur hecatombe pura ac puta' iambici uel trochaici metri partem implere probatur non hercule Roeperi iudicio sed quia copula nectuntur illa purus putus, quae alibi formulae instar semper ponuntur *ἀσυνδέτως*.

Praeterea Vahlenus cum ipse egeat siquis alius uenia aliena, non tamen qua decet modestia ceterorum tangit conatus. nam et Oehlerum hominem ipso minime inferiorem solet carpere cum petulantia et insigni temeritate semel impugnauit Lipsium. etenim cum e lege Maenia [3] haec extent antiquitus prodita apud Nonium s. l. sacrum [397] 'signati sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt facti', quae Fruterii ac Lipsii simplicibus curis persanata sponte implent numeros trochaicos ita

signa tum sacra
esse desierunt posteaquam homines sunt facti sacri,

— nam egregii illi uiri dum sensibus acriter consulunt ultro metra recuperauerunt, cum nostrorum temporum critici, ut miserrimos conficiant uersus, sententias pariter ac dictiones corrumpant —, sed quid Vahlenus iam egit in re aperta? impugnat inuentum Lipsii [p. 85] a quo uenit illud 'signa tum' ideo, quia codicibus Nonii non habeatur, quod putauit ille, signata sed signati. quasi uero sit ultimae audaciae una lineola unoque apice adiecto ex ti facere tum, aut tam anxie sit argutandum in lectionibus Nonii, cuius et mendosos ualde et lacunosos esse codices si ignorauit emendaturus fragmenta scriptoris a solo paene Nonio seruati, quantis talem hominem poenis dignum esse existimabimus? — iam qui hoc modo Lipsio repugnaret cum speraui coniecturam esse adlaturum doctrina aut acumine floridam et similem Bentleii, cui quasi Circeis artibus imbuto honoratus Achilles fit Homereus, et a quo fabulae exaudientes in Zeuxidis tabulas, castra ducum et caeli

in Assaracum atque Ilum transformantur. quae tamen me opinio misere fefellit. nam addidit Vahlenus illud ti in eo quod est signati adhaesisse de proximo facti. sequitur autem facti sex uocabulis interiectis. — ac tamen ignoscendum foret illi, si modo esset aeque difficilis aequalium circa placita. sed qui Ribbeckium foeda neglegentia secutus et spoliato per sacrilegium grammatico Diomede [p. 378] Ennio poetae pro simplici illo abnuebunt tribuit 'ex eo futurum abnuebunt', eum merito censebimus maiore uti modestia oportere in taxandis functorum hominum studiis clarissimis. praeterea cum Lachmannus optime composuisset Varronis fragmentum, quod bis memoratur a Nonio sub uerbis ueles et antesignanus [p. 552. 553],

uelites leues parmis
antesignani quadratis multisignibus tecti,

Vahlenus, ut et ipse partem laudis caperet, scripsit parmeis [p. 86], quod se teste elicuit ex librorum corruptelis. quippe codices cum altero loco [553] rectissime habeant parmis, altero obscurata per casum nescioquem in archetypo syllaba mis praebent parans uel parens et parcans siue pareans. quod cum ita sit, abeant unde malum pedem attulerunt illicita illa, non elicita. denique Vahlenus cum tot sana male sollicitasset, aliquando aperte corrupta placidus seruauit. ac primum quidem consideremus, quae de Sesquiulixe s. u. calcitrones [44] habet Nonius 'itaque tum ecum mordacem calcitronem horridum miles ac uir non uitabat'. in his quid sibi uelit uiri mentio, cum praecesserit miles, siquis iam quaerat, quid responderi possit non uideo nisi forte hoc eodem modo posse milites esse, qui non sint uiri, quo inueniantur critici adulta aetate, pueriliter qui peccent in syllabas. haec ratio quibus non suffecerit, ei uero non dubitabunt, quin scripserit Varro 'miles acer non uitabat'. ita Horatium dixisse robustos acri militia pueros nemini ignotum. sensit etiam Ribbeckius mendosa esse 'miles ac uir', sed nos uitiosa persanauimus. porro alibi ab eodem Nonio tradita in sexagessi [fr. 17] habes talia 'acciti sumus ut depontaremur. murmur fit uerus'. Kochius et Vahlenus, dum monstra potius uersuum addunt Varroni quam monstra demunt sensuum, ne hoc quidem perspexere ineptum esse murmur uerum, quod ne codicum quidem immunitur concentu, cum pro illo uerus sit in libro Leidensi ieris. unde exortus quidam proprio usus inuento dedit 'fit ieis'. scri-

bendumst autem 'fit ferus', quo admisso sponte nascuntur trimetri ita

acciti sumus
uti depontaremur. murmur fit ferus.

ceterum dignum memoria sexagessis illius fata sicut alibi Sesquiulixis serio sermone persequi Varronem, quod quo consilio fecerit incertumst, nisi potuit ipsi orationis grauitati occultus quidam subesse iocus. sed missis tandem aliquando nugis finem faciemus huic libro Varronis Luciliique ac scaenicorum fragmentis aliquot emendandis. ac primum quidem laudo uehementer Roeperum quod octogessi Varronis [fr. 1] sotadica constituit haec [philol. VIIII, 573] 'postquam auida libido rapere ac concedere coepit seque opificio non probiter clepere'. sed quod idem pro uitioso illo concedere posuit comedere, uerendum, ne hoc ipsum celerrimo obliuio absumatur. est enim mirificum in modum et inutile et langidum. scripsit Varro 'rapere ac caedere coepit'. ita enim de eadem libidine corroborata dixit Ouidius [met. I, 144] 'uiuitur ex rapto. non hospes ab hospite tutus, non socer a genero'. idem mox 'uirgo caede madentes ultima caelestum terras Astraea reliquit'. et quoniam semel descendi ad studium a moribus meis ferme diuersum arreptos fructus alienos propriis inferendi horreis, iam notabo male habere, quod sotadica haec [deuicti 4] 'properate uiuere puerae qua sinit aetatula ludere esse amare et Veneris tenere bigas' a Lachmanno supplentur addito illo ludos post aetatulam, quoniam ita concinnitas uerborum nimium imminuitur. rectius adicietur fluxa uel simile. — tum in satira γνῶθι σεαυτὸν cum antiquitus ferantur haec [3]

ut crementa corpora
fierent maiora paruo ut suctu candida
lactis.

uerissimus equidem fuit Hermannus, qui scripsit cremento. sed praeterea ponendumst candidei, non quod illi placuit candido. ita alibi Varro 'candidum lacte e papilla cum fluit'. praeterea age considerato, an indigni sunt Varrone iambici senarii tales [περὶ κεραυνοῦ 2]

cum dixisset Vitulus, ecce ibi
tibi caldis pedibus quidam nauicularius
semustilatus irrumpit se in curiam.

in quibus uerbis ad implendum metrum nihil nisi ibi post ecce

de coniectura additum notaui. ceterum notabilis est dictio illa 'se irrumpit', cui similia antiquissimis ferme aut recentissimis auctorum Latinorum usurpantur. nam sic habes apud Attium [287. cf. etiam Varro Marcip. 17] 'ita imperitus stupiditate erumpit se inpos consili' et apud Licinium [Non. p. 260] 'per forum se in Capitolium contendit' ita addito pronomine reflexiuo dixit sese inspirare Auienus [phaenom. 76]. — praeterea octonariis iambicis constituenda puto quae leguntur apud Nonium s. u. immane [323] sic

adde hydram Lernaeam et draconem Hesperidum, quotquot bestiae
fuerunt immanes.

in quibus quotquot ut sensui ita uersui satisfacturus scripsi pro tradito illo quod uel per duplex t scripto quot. nam metris haec concepta esse et asyndetae orationis uigore fit probabile et eo, quod minus concinne dicitur Lernaea hydra pro Lernae, cum sequatur draco Hesperidum. deinde quae prostant apud Nonium s. l. mansues, ea uero emaculata uitiis aequant numeros trochaicos ita

non uidisti simulacrum leonis Idai loco,
ubi eum quondam subito cum uidissent Galli quadrupedem
tympanis adeo fecerunt mansuem, ut tractarent manu.

in quibus quod legitur manu, positumst illud a Roepero pro eo quod antiquitus fertur manibus. praeterea in codicibus est secundo uersu 'ubi quondam subito eum' et primo pro Idai loco 'ad Idam e loco'. quod uitium simili ratione ortum qua alibi apud eundem Nonium [28. 451] pro uerbo fugai libri habent fugam et fugae. porro in Serrano dum suorum temporum uitia Varro scazontibus trochaeis insectatur, cum senatorum in curia consultantium prauitatem et socordiam descripsisset hoc uersu [fr. 8]

dormit alius. uigilant. clamant nimirum, calent, rixant,

addidit non honore iam affici sed poena uirum bonum, in talem qui ordinem recipiatur

noster Atticus ruralis homo item in curiam lectus
commacescebat.

quibus uerbis, cum ultima parte sint manca, adfuisse olim illud 'macore' Nonii testimonio docemur. finiit autem indignabundus orationem exclamatione tali

hunc uocasse e liquida uita in curiae uestrae faecem.

haec autem cuncta lenissimis mutationibus et nostra uirtute sunt

restituta, praeterquam quod Kochius [p. 29] recte indicauit ultimi uersus numeros. in quo posuimus de coniectura 'uocasse e' pro eo quod antiquitus proditumst 'uocasset' uel 'uocasse et' uel 'uocas sed et'. quamquam suasit mihi amicus, ut aliquando Vahleno gratificarer — quem cetera quidem non nimis laeta mente perlecturum —, scribendum esse 'ec liquida'. ita sane Lucilius scripsit 'ec fontibu' gestit' [Non. 317. 319] et alibi [Non. 288] 'ec fenestris'. ceterum in Varronis uersu inest id genus dictionis, quod concitatae proprium orationis illustrauit Lachmannus commentario Lucretiano [p. 74]. — id aliquando librariorum neglegentia, saepius socordia grammaticorum deprauatumst uelut in Lucilianis hisce

non paucis malle a sapientibus esse probatum
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

in quibus librorum secutus uestigia posui a pro eo quod minus concinne uulgo fertur ac. praeterea in eadem Varronis satura etiam metro hipponacteo constant haec [5]

occipitium a riuo deo ostendo,
ex oraclo elimino me.

in quibus tamen est falsum illud a riuo. denique bacchiacos uersus quinorum pedum inuenisse mihi uideor in satura quae inscribitur Hercules tuam fidem [fr. 2]

non Tutilinam,
quam ego ipse inuoco, quod meae aures abs tete obsidentur.

quae non esse pedestria satis aperte indicatur addito ad explendum scilicet metrum langido illo ac superfluo ipse. — ceterum de coniectura scripsi tete pro te.

Sed iam ad Lucilium transeamus, apud quem post studia prius publicata quaecumque habeo nostris curis sanata nullis additis rationibus integra iam adponam, cum praesertim simplici niteant plerumque ueritate. quibus tamen inuentis qui probe uolet frui, Nonii exemplaria nisi molestumst et uulgatas lectiones comparet. igitur fuere Lucilii fragmenta a nobis restituta haec ac talia

absterge lacrimas ac diuos ture precemur
consilium fassi, placeatne impune luperis.
aut cum iter est aliquo et causam commenta uiai
bito apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.
et pueri infantes faciunt mulierculam honustam.
haec uirtuti' tuae atque artis monumenta locantur.
nugator cum idem ac nebulo sit maximu' multo.

quod deformi' senex arthriticus ac podagrosus
est, quod mancus macerque, exilis, ramice magno.
anno uertenti dies
tetri miseri ac religiosi.
caede ostium gnate. urgent, instant. periimus.
caput a collo sustentatur, truncus sustinetur a
coxendicibus.
cum ad me cubitum uenerat
sponte ipsa suapte adducta, ut tunicam et cetera
reiceret.
pluteos excutiet tectaque et testudines
reddet.
quandoquidem reperti magnis conbibonum ex copiis.
rediisse ac repedasse, ut Romam bitat gladiatoribus.
serena caeli lumen et salis fretus.

in quibus et hoc notandumst in oratione puellae nescio cuius illa 'aut cum iter est aliquo' a Lucilio admissum esse 'apud' ea ratione quam ipse improbauit libro VIIII et serenum [Lachm. p. 413] lumen, quod de coniectura posuimus, defendi Varronis illis [lex Maen. 1] 'nos admirantes, quod sereno lumine tonuisset, oculis caeli rimari plagas'.

Restant scaenicorum quaedam exempla, de quibus paulost plenius disputandum. itaque primum omnium perstringendus mirus quidam et prauus Ribbeckii amor locos integros aut mediocriter deprauatos lacunis interiectis sollicitare. etenim cum angustioris pectoris critici defectus uerborum ut neglegentia librariorum ortos orationis ferme hiatu ac sensuum absurditate noscamus, Ribbeckius tam malignos sibi finxit istos, ut persuaderet animo eos plurima consulto magis quam errore omisisse, scilicet talia, quae nisi moneret ipse — quis autem tali auctori non dabit manus? — nos non modo non desideraremus, sed abesse uehementer laetaremur. talis autem artificii abusu qualem ludibriorum peruersitatem probauerit ille, siqui uolent plene discere, hi uero cognoscant, reiecto diuino inuento Scaligeri quale conformarit fragmentum Attii, quod Nonius affert s. u. fulgere. porro insigne peruersitatis dedit exemplum conformando eiusdem auctoris uersum [268] talem

quid agam? uox illius est profecto. certe idem omnes cernimus.

in quibus cum illud certe ineptissime retulisset ad sequentia potius quam ad praecedentia — nam quid refert ad originem soni definiendam, quod eundem pariter cuncti audiunt? —, addidit

de propriis bonis 'profecto' octonarium iambicum expleturus. nos uero spretis facetiis talibus trimetrum agnoscemus talem 'quid agam? uox illiust certe. — idem omnes cernimus'. ita in eiusdem Attii Melanippo cum antiquitus ferrentur haec [439] 'regina erit tempus cum hic torris quem amburi uides', Ribbeckius tetrametrum iambicum — nam hoc genus uersuum ipse multo magis quam Bentleius aut tragici Latini adamarunt — effecit talem 'regina olim aderit tempus cum hice torris quem amburi uides'. scribendumst autem pro illo erit escit uel essit, quo admisso — nam hice recte habet — trochaicus septenarius prouenit. alibi uero aperte lacunosa falsis tamen ac friuolis supplementis instaurauit. ueluti quae apud Nonium Enniana leguntur s. u. commiserescimus 'per nos et nostrum imperium et fidem Myrmidonum uigiles commiserescite' composuit per trochaeos additis per uanitatem illis 'obsecro mei', quod uix credo eum cuiquam esse persuasurum praeter eos qui seruili ingenio aliorum uenerantur commenta. quippe acrius rem inspicienti facile apparebit inepta esse illa 'per uostrum imperium'. nam quem, amabo, habuerunt Myrmidonum uigiles principatum? sed scilicet uerba Ennii reconcinnanda ita

per uos et uostrum ducum
imperium et fidem Myrmidonum uigiles commiserescite.

at uersum Caecilii, quem Nonius affert s. u. spissum [p. 392], non coniectandi ambiguitate sed certis testimoniis integrum supplebimus. in quo cum codices exhibeant aut 'nihil ego spei credo' aut 'nihil rei ego credo', haud timide reponendumst 'nil re ego spe credo. omnis res spissas facit'. nam in spei et rei uocabulis quotiens per paronomasian luserint auctores Latini dicere non attinet. ceterum minus male egere rem, qui omnino delerunt illud rei, quam Ribbeckius qui posuit 'nil ei ego spei', quoniam satis certo constat uersu illo communem de qualitate cuiuslibet spei proponi sententiam. nam et alibi idem non satis curate sensuum ueritati prospexit. ueluti quod in Danae Liuii [17] ipsi cum ceteris probantur haec 'etiam minitas? mitte ea quae tua sunt magis quam mea', equidem nisi prorsus labor sententia, scribendum potius erit aut 'quae mea sunt magis quam tua' aut 'quae tua sunt minus quam mea'. praeterea armorum iudicio Attiano [158] cum idem proprio inuento usus dederit 'sed peruico Aiax animo atque euocabili' pro eo quod antiquitus proditur

uorabili siue aduorabili, quaerendum erit indicibus integris, an praestet huius pariter et ceterorum coniecturis quod nos ab Attio uenisse existimamus auorsabili. porro in ea, quae apud Festum leguntur [p. 265] s. u. ruspari 'et ego ibo, ut latebras ruspans rimeram aptimas', non satis caute ab eodem Ribbeckio receptumst quod Scaliger protulit 'rimer maritimas'. etenim ut alia mittam, quis audebit firmare illud fabulam, unde sumptus est uersus, humidis potius quam siccis regionibus fuisse attributam. magis placet poni uelut tale 'at ego ibo ut latebras ruspans rimer optimas' uel 'rimem aptissimas'. — praeterea cum Lachmannus adseuerasset [p. 412] in scriptis Catullo prioribus ante illud, quod est nam, necessario incidi orationem, Ribbeckius nullis additis rationibus auersatus hanc legem tribuit Attio tale [643] 'famae nam nobilitas late ex stirpe praeclara euagat'. qui qua superbia Lachmannum, eadem ipsum aspernati codicum scripturae tali 'famam nam' substituemus feminam, ut significetur Semelen edito Baccho deo maius quam pro muliere nactam esse decus, sicut habet illud Philippi de Alexandro 'Μακεδονία οὔ σε χωρεῖ' aut Apollinis de Iulo 'nec te Troia capit'. denique miram haud raro inelegantiam Ribbeckius concinnandis adhibet numeris. et primum quidem non capio, quanam fiat ratione, ut duorum uersuum distrahantur in partes, quae uno commode metro coeant, cuius abnormitatis exempla admisit ille plurima. praeterea qui probe scient et raro a Nonio afferri fragmenta uno uersu minora nec hercule frequenter a poetis post primum uersus initium interstitium admitti diuerbiorum aut sensuum, facile illi audebunt una syllaba mancos numeros leni supplere mutatione. ueluti exemplis talibus [Turpil. 87. 170. Liuius 8. Attius 283. Pacuu. 396]

haec si inpetro abs te ut facias, sati' fructi ex te cepero
ego nondum etiam hic uilicabar Phaedria
nemo haec uostrum ruminetur mulieri
ergo me Argos referam. nam hic sum nobilis
postquam calamitas plures annos aruas caluitur

quis gentium dubitabit integros efficere uersus admittendo longiores formas, quae sunt haece hice med postequam. ita Attii metro tali [479] 'sed utrum terrae motus sonitusne inferum' reddetur ad iustam mensuram explendam illud terrai. finem faciam huic parti disputationis emendatis fragmentis Pacuuii et Attii eis quae extant apud

Nonium ubi pudendi ac pigendi et miserandi miserendique interse distinguit uocabula [424. 445]. ex quibus prius uulgo sic fertur 'quid quondam et mihi piget paternum nomen maternum pudet profari'. quae in enumerandis malis propriis ab Oresta memorata hunc rectius in modum concipientur

quid quod iam, ei mihi,
piget paternum nomen maternum pudet
profari.

deinde quo Attii uerba continentur Nonii locus uulgo exhibetur fere talis 'miserari et misereri ceteri his sensibus esse uoluerunt, ut sit miserari flere et lamentari misereri miserationem alienis casibus exhibere et actiuo ad primum affectum passiuo ad secundum. Attius Eurysace ei mihi, ut etiam haec aerumna mihi luctum addit luctibus. alia persona quid miserari id me Erysacem tuam solitatem memoras, formidas tibi? te conmiserabam magis quam miserebar mei. et multis talia et aliquando uexata generibus'. in quibus primum constat traiectione uerborum facta illa 'miserari flere et lamentari' collocanda esse post ea quae sunt 'casibus exhibere'. iam accuratius cetera anquisituri primum separabimus a mediis trochaica et iambica haec 'ei mihi, ut etiam haec aerumna mihi luctum addit luctibus' 'te conmiserabam magi' quam miserebar mei'. porro illa quibus praefigitur 'alia persona' cum aperte nexa sint cum praecedentibus, ne ipsa quidem non possunt esse metro trochaico. cuius exuberantem abundantiam bene ita coercebimus, ut illa 'id me Erysacem' leniter immutata secundo praeponamus fragmento. unde iam quae sequuntur post illud 'secundum' ita erunt constituenda. 'Attius Eurysace

ei mihi, ut etiam haec aerumna mihi luctum addit luctibus.

alia persona

quid miserans tuam solitatem memoras, formidans tibi?

idem Eurysace

te conmiserabam magis quam miserebar mei'.

denique quae secuntur hos uersus ea uero persuasumst mihi non Attii potius esse quam Nonii, quibus affirmetur similem supra propositae differentiam multis obseruari exemplis. quod cum ita sit, ad emendanda illa uerba animum applicare non sustinemus, hoc addidisse contenti ea ab omni numero alienissima quicumque iam spretis nobis pertinacius temptarit cogere in metrum, eum uideri Midae potius quam Apollinis aequare aures.

Sed uetustissimorum poetarum Latinorum de reliquiis cum dicendi materies sit infinita, iam terminum hoc loco statuamus operae. ceterum praeter has curas, quas proxime elucubrauimus, plurima fragmenta melius quam antea esset factum constituta ac digesta per totum hoc opusculum dispersimus. quae nominatim ne proferamus, cum insita animo uerecundia tum ea re praepedior, quod confido fore, ut illi, qui nuper Varronis libris insultarunt, iam sponte ad modestiora eademque saniora consilia sese applicent, cum minime possit fugere peritos rerum paucis nos paginis trium poetarum difficillimorum arti cognoscendae plura praestitisse quam illos longis uoluminibus uel unius.

X.

OPVSCVLVM II.

DE POESI RYTHMICA.

Cum antiquissimi Romanorum haud dubie essent ingenio praediti longe minus musico quam Graeci — unde et saturnios uersus et Plauti ac Terentii patienter tulere numeros —, mox neglectos a doctis facile degenerare uulgi rythmos uerum erat. tum subacto orbe terrarum et euersa Italia cum plerique prouincialium assumerent linguam Latinam non quasi maternam sed ut nouercalem, celeriter res eo peruenit ut quantitates uerborum uulgo neglectas scholis perdisci oporteret. quae cum non paterent nisi beatis, tum uero omissis priscis rationibus uersuum exortast illa quae notatur a Latinis grammaticis inter rythmum et metrum differentia. cuius primum uestigium in fragmento Laberii reperitur hoc 'uersorum non numerorum numero studuimus'. quamquam minime credibilest' popularia aequalium huius carmina ad uulgarem pronuntiationem fuisse composita sed potius significari uerbis istis metrum saturnium, quod quantumuis rude ac barbarum tamen prorsus ad leges quantitatum fuit accommodatum. uerum ubi et hic numerus uenit in obliuionem et pariter rerum prosodiacarum cessauit peritia, tunc ea norma euenit modulorum, quae sermone rustico Latinorum coalita mox ad Romanicas fluxit linguas.

Et primum carmen rythmis compositum extat Commodiani Afri, quod circa annum p. Chr. n. CCXXX prodiit [I, 6, 2]. nisi forte quis adsentietur Schuchio [de poes. Lat. rythm. et rim. p. 13] esse rythmicos et exacta metri ratione uacuos uersus Adriani hos 'animula uagula blandula hospes comesque corporis quae nunc abibis in loca pallidula rigida nudula, nec ut soles dabis iocos'.

iam cum Commodianus ciuicae turbae, ut ipse ait, hoc est indoctorum hominum in usum librum suum ediderit [I, 1, 7], non hercule numeris ab ipso inuentis sed pridem notis ac uulgo tritis eum usum fuisse existimabimus. sed ne tamen nimis antiquo tempori originem adscribamus poesis rythmicae, ea re prohibemur, quod caret omni probabilitate homines prouinciales, quos utique credibilest primos nouae artis extitisse auctores, contorsisse externigenam sermonem ad leges alienissimas, antequam optineret uulgato usu lingua Latina, id quod euenit circa annum urbis DCCCL. nam cum ultimorum hominum usu uersus rythmicos oriri uerum esset — quippe nobiles et liberaliter eruditi omnibus pariter temporibus fastidierunt eos — quis iam credet illos popularia carmina nuper illato potius et paene ignoto quam uulgo optinente et a parentibus accepto composuisse idiomate? quodsiquis sibi persuaserit apud ipsos Italos prouenisse primum antiquae artis contemptum, eo certius firmabitur opinio supra proposita. namque cum ad Galbae usque imperatoris tempus carmina popularia, quae feruntur apud Suetonium, plane quantitatum et elisionum seruent leges, non potest inualuisse modulus rythmicus ante finitum saeculum a. u. c. nonum. ceterum etsi plurimas propter causas facilius Latinum sermonem quam Graecum corrumpi potuisse non nego, tamen ne sic quidem persuadet Henrichsenus [de uers. polit. p. 25 uers. German.] non ante medii quod dicitur aeui tempora extitisse apud Graecos qui accentum grammaticum pangendis sequerentur carminibus. etenim cum iam Georgius Pisides, per priorem saeculi septimi partem qui fuit, eam sequatur rationem prosodiacam, ut omnes uocales sequente una consona sint communes, praeterquam quae pro ambiguitate mensurae diuersis distinguuntur litteris, apparet hercule illius temporis Graeculos tam fuisse ignaros quantitatum tamque obnoxios praeceptis scholicis pessimis quidem pariter atque ineptissimis, ut propius absint ab arte metrica ueterum Latinorum non Venantius modo et Eugenius Romani homines sed barbari Beda et Rhabanus. quodsi doctorum hominum tantillam uidemus in certissimis antiquorum placitis obseruantiam, qualem tandem uulgi fuisse existimabimus? at extincta peritia legum prosodiacarum et metricas cito perire uerum fuit obseruantias. quare non aberrabimus a uero statuentes ultimis Romani imperii temporibus inualuisse apud Graecos poesim rythmicam. apparet autem multum increbescente fide

christiana promotum esse recentis genus artis, primum quod gratius fuit sacerdotibus et episcopis nouos numeros quam qui Vergilii et Ouidii et paganorum auctorum aemulatione temperarentur optinere in uulgi carminibus deinde propter eum formae contemptum, qui ab orientalibus gentibus per quartum quintumque saeculum cum fluxisset ad occidentales, non pluris quam templa et statuas deorum habuere plerique ipsum metricae antiquae ut ita dicam aedificium.

Iam de ratione carminis rythmici haec habet Beda [2380] 'metrum est ratio cum modulatione, rythmus est modulatio sine ratione. plerumque tamen casu quodam inuenies etiam rationem in rythmo non artificii moderatione seruatam sed sono et ipsa modulatione ducente, quam uulgares poetae necesse est rustice, docti faciant docte'. quae satis commoda alioquin hoc tantum nomine sunt falsa, quod dicuntur casu admitti, quae necessitate prouenere. namque ubi primum inualuit modulatio rythmica, pridem abolito uersu saturnio non potuit fieri quin consulto illa aptaretur uulgatissimo cuique metro. itaque eius norma constantes inueniuntur primum hexametri dactylici praeterea iambici dimetri ac trimetri denique tetrametri trochaici, qui ualde placuere Romanis, et dimidiatis eis orti dimetri. sed et sapphica si dis placet et choriambica prouenere carmina. continentur autem isdem systematum finibus iambi et trochaei, quos apud doctos christianorum poetas optinuisse in hymnis exposui. itaque dimetrorum quater recurrentium speciem habes in carmine Auspicii ad Arbogastem dato [Mign. LXI, 1005—1008] et in illo pulcherrimo 'apparebit repentino dies magna domini', quibus plurima addent sine mora, Danielis aut ceterorum qui euoluerint collectanea. dignum autem memoria eadem quae omnino optinet ultimorum temporum carminibus Latinis caueri cura, ut in fine strophae sensus aliquo modo terminetur.

Ceterum cum tam esset aptus sermo Latinus ad numeros iambicos et dactylicos, non mirum erit quod aliquando haeres dubius, nimisne mala carmina metrica an satis bona habeas rythmica. de qualibus nos iudicium in medium relinquemus. at enim minime existimamus isdem auctoribus pariter et rythmica carmina fuisse composita et metrica.

Sed iam leges rythmorum certas commoda perstringemus breuitate.

Itaque primum nos aduertent hexametri Commodiani et siqui similes inscriptionibus latent. qui ualde sunt difficiles ad legendum nec nisi auritis aperti hominibus, primum, ut minora quaedam omittam impedimenta, quod sublata quantitatum reuerentia haudquaquam tamen optinet ubique grammatici accentus obseruantia, deinde quia omnino non licet certis legum circumscribi finibus, quae contemptu ferme oriuntur regularum. — sed plene uersus istos enarrare cum a grauitate operis habeamus alienum, haec potissimum notabimus. itaque primum memorabo accentus rationem in priore maxime, quod ad quintum pertinet semipedem, hemistichio neglegi, cum in secundo, ut ipsa fert natura satis diligenter seruetur. nam et illud plerumque cauetur, ne secundus pes aut tertius dactylico seu spondiaco constet uerbo. tum sede quinta perpetuo optinet dactylus. denique finitur uersus ille pariter ut sapphicus hendecasyllabus uoce plerumque quidem productam sed utique accentu insignitam habente paenultimam. optinet autem ferme incisio semiquinaria uirilis. ceterum ubicunque accentus neglegitur ratio, non tamen lex succedit quantitatum sed mira potius inconcinnitas, quae iusta plerumque norma careat.

Longe apertior est modulus iamborum ac trochaeorum rythmicis obseruantiis compositorum. nam in his extra initium certe uersus non solent uiolentius mutari accentus. itaque satis diligenter curatur, ne spondiaci aut trochaici uerborum fines inuerso stent accentu extra principem sedem, et magis etiam, ne dactylum aut creticum seu tribrachum explentes in media syllaba habeant accentum, id quod ne heroico quidem metro uidetur admitti a Commodiano. ceterum in numeris iambo exeuntibus intellegitur paenultimam syllabam breuem esse oportere. neque uero locus est in carminibus his aut soluendae arsi aut admittendo anapaesto, ut abundantes interdum syllabas non magis quam deficientes sapientia quadam auctorum metrica sed potius imperitia stultitiaque euenisse sit credibile. — porro caesurae in trimetris aut tetrametris rythmicis eaedem quae in metricis seruantur, nec minus in sapphico numero aut asclepiadeo ante syllabam a fine sextam oratio inciditur.

Iam elisionis ac synizesis perexiguum usum fuisse in poesi rythmica alibi declaraui.

Ceterum quamquam carmina ista neque formae dignitatem neque aliam uenustatem habent ullam, non tamen iniucundum nec

inutile eorum eueniet studium, cum quaedam ad sonum et pronuntiationem pertinentia uulgaris potissimum moduli uersibus declarentur, qualia nos passim attulimus. sed hunc plene fructum percipere eo demum tempore licebit quo hymnos ecclesiasticos et quidquid rythmicorum extat carminum habebimus edita artis seueritate iudiciique libertate illa, qua maxime opus est in re tam intricata. quod tamen negotium ut utile satis ita longe difficillimumst. nam et immensa in hac parte litterarum saeuitumst interpolatorum libidine.

XI.

OPVSCVLVM III.

DE LITTERIS AC VOCIBVS VERSVVM.

Nequis ullam artis Latinae partem silentio a nobis omitti increpet, placet prodi quaedam de litteris ac uocibus uersuum, ut tamen quaestionem satis suptilem delibemus potius quam penitus hauriamus.

Itaque primum indignumst nobisque poetisque dactylicis putare illos inseruisse libris uerba solis constantia consonis. unde uel hanc ob causam displicebit, quod Martiali Schneidewinus tribuit haec [II, 27, 3. V, 25, 2] 'effecte grauiter st nequiter euge beate' 'Leitus ecce uenit. st fuge curre late'. — praeterea optimum quemque poetarum prouidere uerumst, ne eadem seu uocalis siue consona uel in uersu eodem uel in uerbo nimis saepe occurrat. de qua re iam recte indicauit Muretus uariarum lectionum lib. I [cap. 15]. ceterum augetur uitium, cum aut uastae nimis ac spatiosae aut nimis exiles sunt litterae, in uocalibus etiam ea re, si sint ut sono ita quantitate pari. minus tamen haec curant ei Latinorum, qui alliterationis tenentur studio, de quibus postea uidebimus. quantum ad ceteros, apertumst, sicut apud nos qui paullulum modo callent auribus reformidant tale qualest notissimum illud Gellerti 'lebe, wie du, wenn du stirbst, wuenschen wirst gelebt zu haben', magis etiam Latinis hominibus diligentioribus multo et suptilioribus hac in parte improbari oportere multiplicatis litteris paribus aut similibus uasta et sonora. raro igitur inuenies talia qualia sunt Maronis haec 'Albanique patres atque altae moenia Romae' siue Statii mauis 'magnanimum Aeaciden formidatamque Tonanti', in quibus una uocalis a nimis optinet inter ceteras. nec eleganter Vergilio [aen. III, 386] et Ouidio

[am. II, 15, 10] Aeaeae genetiuus admittitur, nisi quod nominis proprii necessitate excusabitur. idem alibi saepe aurium iudicium finitionibus grammaticorum praerancidis anteposuerunt. uelut Vergilius, ne quater in continuis syllabis inesset i littera, maluit dicere finem genere feminino sic [aen. II, 554] 'haec finis Priami fatorum'. at idem alibi diuerse [aen. I, 241] 'quem das finem rex magne laborum'. minus suaue foret quam. — etenim haec Gellii testimonio [XIII, 21] firma cur ambigamus nulla prorsus est causa. ceterum soni, quam euphoniam uocant Graeci, studium in poetarum dictionibus aestimandis cum alii minus respexerunt tum, ut puto, Philippus Wagnerus libri de orthographia uergiliana locis eis, [396. 401] ubi de accusatiuo tertiae in is exeunte disputat. ita uel a litteris habet, quo displiceat, quod Bentleius in Horatii melicis [I, 1, 6. III, 24, 44] scripsit per coniecturam 'euehere ad deos' uel 'deserere arduae'. monstroso autem prorsus usus inuento Iacobus tribuit Manilio in fini uersus talia 'atque quater quae quina putantur', cum nec ranarum ubi sonitum imitatur Ouidius saepius quam bis qu posuerit hoc uersu 'quamuis sint sub aqua, sub aqua maledicere temptant'. sed Iacobo sane ignoscemus, quod facit quaxantem Manilium, quippe quem omnino ferae quam hominis longe reddiderit similiorem. quid quod ille sibi persuasit boues aliquando in urbe Roma praefuisse dictaturae, quod Marquardi et Beckeri et siqui alii antiquitatibus student Romanis omisisse se dolebunt. neque enim aliter in eiusdem Manilii libro IIII quamquam nec a ceteris sollicitata tolerasset haec [148]

Serranos Curiosque tulit fascesque per arua
tradidit, eque suo dictator uenit aratro.

at quam diuersus in eadem re narranda M. Tullius [or. pr. Rosc. Am. c. 18] cuius sunt haec 'nae tu Eruci accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent'. neque Claudianus dixit in medio aratro ambitos esse qui summam inirent potestatem sed pluratiuo numero sic [17, 8. cf. et Ouid. fast. III, 781]

docuit totiens ad rura profectus
lictor et in mediis quaesitus consul aratris.

nimirum ultimae audaciae fuit in Manilii uerbis et ipsis a pro e reponere. — praeterea magna cura seruatur ne nullo se excipiant interuallo syllabae aut uoces simile uel idem sonantes. de qua re

bene Fabius [cf. et. Seru. ad aen. II, 27] 'uidendum etiam, ne syllabae uerbi prioris ultimae sint primae sequentis. id nequis praecipi miretur, Ciceroni in epistulis excidit res mihi inuisae uisae sunt Brute et in carmine o fortunatam natam me consule Romam'. haec autem quam displicuerint tersissimo cuique e poetis Latinis inde apparet, quod Iuuenalis ridiculum uersum illum autumat, quem affert Quintilianus et potuisse Ciceronem Antonii gladiis contemnere, si sic omnia dixisset. sed quae admittuntur intra numerum choriambicum plerumque subsistunt aut certe quantitate uariant, qualia sunt 'telum immane manu' 'laus in amore mori' 'arentes arenas' 'parere parabat' [cf. Lachm. ad Prop. I, 1, 12], quibus addendum Sereni libasse liquorem [472]. nam sic esse scribendum pro eo quod uulgo fertur potasse apparet inde quod traditumst libro Turicensi liquasse. at sensuum ratione excusantur in fine metrorum posita Vergilii Horatiique et Nasonis illa 'exiguus mus ilicibus sus pares res ridiculus mus uulnificus sus' aut Martialis 'Sabelle belle' [XII, 39, 4], quod genus uersuum Seruio teste dicitur echoicum [centim. 1826]. nec uero huc pertinent repetitiones uerborum oratorio affectu factae, quibus soni aequalitatem maiori cuidam necessitati posthaberi uerumst. quodsi in tot milibus uersuum nonnumquam sine excusatione sonus et aurium leges inuenientur spreta, haud facile quisquam ideo dubitabit de regulis supra propositis.

Sed iam de alliteratione et quod proximumst de homoeoteleuto uideamus. ac de illa quidem post plurimos alios dixit Naekius musei rhenani parte ea, quae prodiit anno MDCCCXXVIIII [pp. 324—418], solita quidem ille industria sed non perinde apto usus iudicio. igitur obseruantia, de qua iam exponetur, constat fere concentu unius siue plurium litterarum initio uerborum aut certe radicum positarum — nam aliter mediis uocibus admissa, nisi apertis significabitur notis, plerumque fallet oculos —, cui contrariumst homoeoteleuton. his figuris orationis cum sonorum uelut uinculo possint iugari sensu paria aut contraria quod plurimum sunt usi pro ornamento in carminibus rudes populi, non magis mirabimur quam quod cultis numeris et nouis uersuum legibus ortis plerumque abstinuerunt isdem. igitur apud Graecos, quorum antiquissimus poeta iam perfectam ostendit artem metrorum, nullum omnino praeter comicorum libros alliterationis apparet studium — nam hi sane ad mouendum ridiculum haud raro

ea usi —, nisi illud quod apud Latinos a Catulli inde tempore. at aliter longe horum apud antiquissimos res habet. etenim ad finem usque saeculi a. u. c. VII compositis dactylicorum ac scaenicorum operibus non minus quam pedestribus libris aut inscriptionibus pleraque abundant assonantiis, quae quidem casu et non libidine auctorum prouenisse uix erit tam uecors qui statuat. ueluti in primis quadraginta carminis Lucretiani uersibus extant haec certa et clara alliterationis exempla [I, 2] 'supter labentia signa [14] inde ferae pecudes persultant pabula laeta [17] per maria ac montes [24] te sociam studeo scribendis uersibus esse [26] tempore in omni omnibus ornatum uoluisti excellere rebus [28] da dictis diua leporem [34] deuictus uulnere amoris [36] pascit amore auidos uisus [37] resupini spiritus [40] petens placidam Romanis incluta pacem'. porro mihi locum considera talem [I, 722]

hic est uasta Charybdis, et hic Aetnaea minantur
murmura flammarum rursum se colligere iras,
faucibus eruptos iterum uis ut uomat ignis
ad caelumque ferat flammai fulgura rursum.
quae cum magna modis multis miranda uidetur
gentibus humanis regio uisendaque fertur
rebus opima bonis multa munita uirum ui.

quibus similia non apud quemquam insequentium inueneris. unde plerumque immodico amore talium ludibriorum ad ineptias sunt delapsi ueteres uelut Ennius noto uersu

o Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti,

nec minus poeta tragicus, de cuius nomine non constat, exemplo tali [Martian. V, 514]

sol et luna luce lucent alba leni lactea.

iam ab illo amore alliterationis apte repetentur geminata plerumque apud antiquissimos Latinorum nomina siue uerba synonyma sicut alia locorum propinquitate iugata, cum sensu sint diuersa. quid quod commendantur plerumque et quasi confirmantur coniecturae assonantiae decore addito? — at apud Catullum continuatae exempla alliterationis non reperiuntur nisi carminibus quae sunt ad Thallum et de Atti. nam et aliter in opere galliambico diuino illo et laudibus omnibus maiore imitatus est proprietatem antiquissimorum. sed praeterea nec hic nec ceteri ferme usi alliteratione nisi permodice, scilicet aut in formulis dictionum aut in cumulandis uerbis sensus comparis siue consimilis aut per paro-

nomasian. ita de primo genere habes haec 'albus an ater [Cat. 93, 2] more modoque [Hor. c. IIII, 2, 28] firmabant foedera [Verg. aen. XII, 212] fasque fidemque [Sil. XVII, 69] fidem foedusque [Sen. Thy. 481] patribus populoque [Verg. aen. VIII, 679] patriam populumque [Hor. c. III, 6, 20] pater atque princeps [Hor. c. I, 2, 50] patrem patriae [Iuu. 8, 244] princepsque paterque [Man. I, 7] patriae parens [Sen. Oct. 490] principi et patriae' [Sen. Oct. 495] porro de secundo sunt talia 'leniter et leuiter [Cat. 84, 8] bene ac beate [Cat. 23, 15] contrectat et conponit [Sen. Thyest. 694] decus et dolor [Mart. XI, 13, 5] desertus ac destructus [Sen. Oct. 631] demersus ac defossus [Sen. Herc. fur. 317] ede et enarra [Sen. Troad. 1067] ignaue iners inermis [Sen. Herc. Oet. 1721] inmotus inconcussus [Sen. Herc. Oet. 1741] maius meliusue [Hor. c. IIII, 2, 37] melius maiusque [Sil. XVII, 7] mirantur ac miserantur [Sen. Troad. 1148] mundior et melior [Cat. 97, 4] penitus patuere [Verg. aen. VIII, 242] penitus premens [Sen. Thyest. 722] piget ac pudet [Prud. cathem. praef. 11] piget pudescit paenitet [Prud. cathem. 2, 26] retulit retro [Phaedr. II, 1, 6] summi sapis' [Prud. peri steph. 10, 247]. — tertium uero habet ita 'crepitantia concutit arma [Ou. met. I, 143] fortuna fortes metuit [Sen. Med. 159] longa procul longis uia diuidit inuia terris [V. aen. III, 383] quos petit impedit ictus [Ou. met. VIII, 390] pedibusque repagula pulsant [Ou. metam. II, 155] haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum [aen. I, 399] ipsa olera olla legit [Cat. 94, 2] saxosusque sonans Hypanis [Verg. georg. IIII, 370] sale saxa sonabant [aen. V, 866] uel te sulco Serrane serentem [aen. VI, 844] fit uia ui [aen. II, 494] aperit si nulla uiam uis [aen. X, 864] ui uictus [Iuu. h. e. IIII, 619] inuia uirtuti nullast uia' [Ou. met. XIIII, 113]. nam Venantii talia ludibria omitto [de uita Mart. I, 347. 506. 508. Schuch. de poes. Lat. ryth. et rim. p. 24]

dum rapit eripitur rapienda rapina rapaci
foedera fida fides formosat foeda fidelis
illustris lustrante uiro loca lustra ligustra.

fatendum tamen Vergilium imitatione Ennii habere exempla assonantiae, quae nec casu aut neglegentia euenerint — nam ita orta nihil moror — nec cadant sub condiciones modo propositas. at Horatio tutius adscribemus [c. I, 37, 28] 'pectore combiberet uenenum', quod codice firmatur Menteliano, quam quod uulgo

fertur corpore: nam et simili errore in libris Manilii omnibus extat [I, 720] 'admittantque nouum laxato pectore lumen' pro eo quod iam restituemus corpore. praeterea in eodem uersu ponendum esse 'admittat' non quidem certumst sed probabile. ceterum quod haud raro studuit Maro ludibrio alliterationum exaggerare sonos naturales, id quam displicuerit posteriorum temporum existimatoribus plerisque docemur Fabii loco hoc [I, 5, 72] 'sed minime nobis concessast ὀνοματοποιία. quis enim ferat, siquid simile illis merito laudatis λίγξε βιός et σίζε ὀφθαλμός fingere audeamus? iam ne balare quidem aut hinnire fortiter diceremus, nisi iudicio uetustatis niterentur'. praeterea in uniuersum quam aliena fuerit a posteriorum temporum hominibus alliteratio docemur inde, quod Seruius adscribit ad illa Maronis 'casus Cassandra canebat' [aen. III, 183] hanc compositionem iam uitiosam esse quae maioribus placuerit [cf. Martian. V, 514]. nam nec in hymnis christianis ullum annominationis reperitur uestigium.

Iam de homoeotelento cum scripserint plerique, tamen qui prorsus expedierit rem satis ut puto apertam non inuenio. quorsum autem pertinuit exemplorum ingentem complere cumulum, cum facile possent eadem denuo excussis libris ueterum multiplicari? etenim illa figura omnibus sermonibus cum prouenisset pariter cum alliteratione — qua quidem et facilior longest et apertior —, nec Graeci in ulla poeticae parte abstinuerunt homoeoteleutis et multo minus Latini, quorum sane sermo longe etiam fuit aptior ad illa. uerum antiquorum inter et neotericorum rationes rimorum ea insignis extitit differentia, quod hi ad uersus coniungandos eis usi in metris, illi ut sensus copularent, qualis usus communis scilicet uitae et pedestris sermonis aemulatione euenit. etenim quod quidam dixere populari uetustissimorum Latinorum carmine infuisse nouellis similia placitis homoeotelenta, id equidem qui firmetur non uideo, nisi prouocant ad unam formulam magicam hanc [Varro d. r. r. I, 2, 27]

terra pestem teneto. salus hic maneto.

quam imitatus est Vergilius ita [ecl. 8, 79]

limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit.

sed hercule sicut in huius uerbis non metrorum sed sensuum fine constat homoeoteleutum — nam caesura fit post quartam arsin —, ita etiam in illis, quae certo quidem numero carent, euenit. nam nec in

carmine Saliari aut numero saturnio apparent ulla rimi uestigia. sed enim cum ea, qualem dixi, rationum diuersitas adhibendis homoeoteleutis extet apud ueteres et nouellos, factum ut plurimi poetarum theotiscorum, per medium aeuum qui inclaruerunt, maxime nibelungiadis auctores quae rimis copularent sententiis disiungerent, qualis usus adsonantiae apud Romanos et Graecos omnino fuit uitiosus. iam promiscue admitti homoeoteleuta quamquam nulla lege uetatur, tamen et inutilest plerumque, cum minime subsistatur in partibus orationis non constantibus finito ordine metrico, et aliquando ob deformitatem sonorum uitiosum, uelut male habent talia [Laberius 80] 'non mammosa non annosa non bibosa non procax' [incert. incertor. fab. trag. 21] 'hoc dolet pudet piget' [Lucil. lib. inc. 20] 'nos esse arquatos? surgamus eamus agamus' [Lucret. I, 800. II, 552. VI, 1115] 'posse eadem demptis paucis paucisque tributis' 'sed quasi naufragiis magnis multisque coortis' 'finibus. inde aliis alius locus est inimicus' [Senec. Hippol. 939] 'longinqua clausa abstrusa diuersa inuia'. unde his qui nimium delectarentur Lucilius irrisit libro V. — contra aptae mehercule homoeoteleutis eae sunt partes metrorum, quibus utique necessest morari uocem, scilicet in caesura et exitu numeri positae. proximum frequentia talest homoeoteleuton, quod in fine constat uersuum continue iunctorum. minus longe placent primo et ultimo loco eiusdem carminis aut initiis collocata diuersorum. rarissima sunt, quae sententiarum ac non numerorum constent terminis. denique mediis metris aut fine uersuum non contiguorum accidentia homoeoteleuta praeter paronomasias casu euenisse putabimus. ceterum cum binarum syllabarum assonantiae ut molliculae haud perinde placeant quam singularum, nisi ubi oratorio affectu uerba repetentur, melius habent homoeoteleuta in uersibus his

ante et Trinacria lentandus remus in unda
effuge. cuncta malis habitantur moenia Grais

quam in talibus

quin etiam absenti prosunt tibi Cynthia uenti
quot caelum stellas tot habet tua Roma puellas.

magis etiam sonat effeminatum — nam illa diuersitate ictuum mitigantur —, si trochaeis exeuntia metra interse rimis concinant. quare haud pauci hoc genus homoeoteleuti uitauere. iam fines qualescumque ordinum metricorum sub isdem fere condicionibus

quibus medii pentametri cum ultimis solent coire per rimos, simili ut sint exitu aut in una sententia substantiuum cum adiectiuo suo uel genetiuo siue nomen cum uerbo uel enumerando continuata aut in diuersis parilitate uel oppositione siue alia necessitate interse iuncta. qualia habes exemplis his

sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
tela manu miseri iactabant irrita Teucri.
horum
semper ego optarim pauperrimus esse bonorum
cuius immensos duae
maior minorque sentiunt nodos ferae.
unum impetrassem te reuocante diem.
et breue in exiguo marmore nomen ero.
colligit amentes et adhuc terrore pauentes.
Turnus Itym Cloniumque Dioxippum Promolumque.
tendentemque manus et iam sua fata uidentem
et mater mater clamantem et colla petentem.
adspice conuexo nutantem pondere mundum
terrasque tractusque maris caelumque profundum.
ambos una fides auferet, una dies.
Troiaque nunc stares Priamique arx alta maneres.
gnatumque patremque
cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.
non satis est pulchra esse poemata. dulcia sunto,
et quocumque uolent animum auditoris agunto.
hanc aram luco statuit, quae maxuma semper
dicetur nobis, et erit quae maxuma semper.
auro emitur Glauce, Danae corrumpitur auro.
occidet et serpens et fallax herba ueneni
occidet.
siue ea causa grauis, siue ea causa leuis.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.
si pranderet olus patienter, regibus uti
nollet Aristippus. si sciret regibus uti,
non pranderet olus qui me notat.
tela, qui fuerit pius,
rogante ponat matre, qui non est pius,
incipiat a me.
quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas.
carmina tantum
nostra ualent Lycida tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila ueniente columbas.
Laertiadaeque precaris,
quae meruit, quae, si di sunt, non uana precaris.
absentem ut cantat amicam

multa prolutus uappa nauta atque uiator
certatim. tandem fessus dormire uiator
incipit.

ceterum perspicuam ob causam in metrorum longiorum fine accidentia homoeotelenta nisi in enumeratione non bene eadem euenient sententia, raro ut reperiantur similia illius Horatiani

horum
semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

praeterea in diuersis enuntiatis ad uersus iungendos homoeotelentis etsi plerumque utuntur poetae uerbis mutua relatione nexis, sufficit tamen in exitu utriusque carminis fieri sententiae interstitium ueluti in hisce

certa descendi ad preces.
finem hic dolori faciet aut uitae dies.
excedat agedum rebus humanis Venus,
quae supplet ac restituit exhaustum genus.

similiter excusantur diuersis metris per enumerationem iuncta homoeotelentis, quae sensus artiore uinculo non cohaereant, ut est.

inerant lacertis mollibus fortes tori
tuaeque Phoebes uultus aut Phoebi mei.

contra alienis condicionibus admissi rimi ubicumque inuenientur, a casu, non a consilio repetentur. neque uero erit mirum in tot milibus uersuum et exsuperante copia homoeoteleuton aliquando regulas supra propositas migrari, quae ne in pentametro quidem eadem qua uisumst Lachmanno exiguntur seueritate. difficilius tamen longe inibitur numerus exemplorum respondentium legi quam aduersantium.

Iam ubi intendatur in Latina poetica usus rimorum, non inuenio praeter quosdam hymnos christianorum cum rythmicos tum metricos, cum plerique non aliam eorum rationem quam supra explicitam declarent. ceterum quod nonnulli Ambrosio nimium placuisse aiunt homoeoteleuta, haudquaquam firmis constat res argumentis. namque ex undecim carminibus, quae Benedictini illi tribuerunt ut uacua a suspitione, postrema quattuor, cum apertum studium rimorum testificentur, auctoritatis sunt sat dubiae, quippe quae tenuissimis Hincmari et Ildephonsi testimoniis tribuantur Ambrosio. at quae rectius adscribuntur eidem, non nimis frequenter habent homoeotelentis iunctos numeros ut puta XXXX in uersibus CCXX. contra certumst alios quosdam scriptores hymnorum, quarto quintoque saeculo qui uixere, amare rimis uel asso-

nantiis iugare ultima carmina. quam quidem rem minime dubiam non dicemus ita euenisse, quasi ab illis uetustissimae et Liuio prioris poesis repetita sit proprietas, quippe cuius pridem euanuisset notitia, sed plebeiorum hominum usui sic consultumst, quibus narietate negotiorum et communis uitae curis districtis homoeoteleuton adminiculo adiecto facilius perdiscerentur carmina, quae ignorantibus aeternae essent poenae in morte timendae. mox antiquae artis memoria ferme abolita facile coaluit usus rimorum. unde in carmina gentium Romanicarum et Teutonicarum transierunt magis magisque increbrescentes, ut iam necessitate quadam metrica uiderentur addi numeris, nisi assonantia magis optinuit Hispanorum tetrametris trochaicis, quam imitatus est Platenius carminibus de Didone ac de Gambacorte et Gualande item Uhlandius opusculo de Rolando et Alda.

Denique de uerbis, quibus constet oratio, primum Fabii adscribam locum [VIIII, 4, 42] 'monosyllaba si plura sunt male continuabuntur, quia necessest compositio multis clausulis concisa subsultet. ideoque etiam breuium uerborum ac nominum uitanda continuatio et ex diuerso quoque longorum. affert enim quandam dicendi tarditatem'. scilicet haec ut pleraque alia Quintiliani non ad oratores magis spectant quam ad uates. quamquam Lycophroni et neotericis tragicorum ut grauitati operis aptae haud sane displicuerunt uoces spatiosae. unde sic ait Horatius [a. p. 95]

et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus aut Peleus, cum pauper et exul uterque
proicit ampullas et sesquipedalia uerba.

sed uitiosus est haud dubie uersus solis polysyllabis constans, quales sunt hi [Ou. fast. II, 43]

Amphiaraiades Naupactoo Acheloo

[Claud. 8, 560]

Bellerophonteas indignaretur habenas

[Auien. phaen. 450]

infortunatam spectabis Cassiepiam

[Sidon. paneg. Au. 536. cf. pan. Anthem. 204. pan. Maior. 184. epithal. Polem. et Aran. 43]

sollicitudinibus uehementibus exagitari.

[Rut. I, 450]

Bellerophonteis sollicitudinibus.

[Cat. 68, 112]

audit falsiparens Amphitryoniades.

[Senec. Phoen. 223]

nefandus incestificus execrabilis.

nam in tanta uastitate uocum haud perinde amplus cum insit sensus, facile subibit uel inuitis montis murem parturientis memoria. quare quod Plotius [2631] ponit in metri heroici uirtutibus, si constet quattuor uerbis uelut hic 'saltantis satyros imitabitur Alphesiboeus', egregie fallitur homo. cur enim uitarent tales uersus poetae, cordatis si placerent lectoribus? ceterum aliquando materiae proprietate excusatur elegantia inuersa, ueluti hymnorum Orphicorum in hexametris fere MC quod inueniuntur circa CL quaternis constantes partibus, non erit mirum reputantibus carmina illa plerumque constare epithetis deorum et certis formulis. at in libro Iliadis I inter uersus amplius DC non plus undecim reperiuntur, similem paucitatem qui habeant uerborum. optimi autem erunt numeri, qui cum disyllabis ac trisyllabis potissimum contineantur uocibus, immixtas habeant subinde maioris aut minoris spatii partes. e quibus equidem ob frequentiam usus crebriores longe euenient hae quam illae.

XII.

OPVSCVLVM IIII.

DE LVDIBRIIS ARTIS.

Praeter obseruantias metricas alienis etiam artificiis ab antiquo inde tempore studiose indulserunt Graecorum poetarum plerique. intenderunt curas tales Romani imitatione Alexandrinorum et incompti decoris odio. porro quo grauior euenit materiae penuria, magis optinuit facetiarum ac lusuum studium.

Igitur primum notanda sunt acrosticha, qualia iam in Ennii fuerunt carminibus. eis totum librum instaurauit Commodianus Afer. in cuius ultimo capite dignum mentione, quod ab imo hexametro ortum sursum escendit acrostichon, praeterea quod omnes uersus terminantur littera o. ceterum artificia ista hanc sane praebent utilitatem, quod docemur certo et indubie eis quaedam ad orthoepiam et orthographiam spectantia. his firmata ex Commodiani operibus haec collegi quae sunt 'Bacchus [p. 140] catecuminis pro catechumenis [p. 167] cottidianum [p. 180] dis pro deis [p. 143] duellum [p. 171] Iuppiter [p. 135] marturium [p. 180] paenitentibus [p. 169] saeculum' [e. g. p. 147].

Iam acrostichorum artem uariis modis intenderunt poetae. quorum e lusibus maxime notabilia sunt carmina alphabetica, qualia Hebraeorum orta poesi etiam populari usu apud Latinos optinuerunt. in quae litteras initio Romanarum uocum insolitas ut pararent, uaria adhibuerunt praestigia. ita ypsilon expressuri sine aspiratione dixerunt ymnum, at praecedentem illi litteram quo repraesentarent quidam mirifico ludibrio usi Christi nomen Graecis abbreuiatum figuris [*XP*] posuerunt. porro ubicunque k requireretur, notum praeceptum secuti grammaticorum posuere quae uulgo haberent ea uelut caput carus canus similia. nam et in

fragmento Varronis apud Nonium s. u. margaritum [p. 213] extante ideo Graecis characteribus scriptum inuenitur illud candicantia, quod antiquitus habuit k pro c. quamquam alias contrario potius errore labi librarios notumst uel pueris. ita enim Lactantii scholion ad illud thebaidos [II, 182] 'quas Doricus alligat undis Isthmos' hoc modost instaurandum 'Peloponnesum significat omnem, quod submouet Helladem a Sicyonia. adhuc enim illis locis Thesei carmen legunt τάδ' ἐστὶ Πελοπόννησος, οὐκ Ἰωνία'. in quibus pro Graecis uulgo feruntur minus commoda Latina haec 'ubi est Peloponnesus Sicyonia'. nam et alibi [ad theb. III, 685] commentariis eiusdem monstruosis ludibriis deprauatus latet uersus Homericus [Il. XVIII, 489] 'οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο'. ita Porphyrionis uerba in commentariis ad Horatii illud 'laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen' non uidit Paulyus sic esse scribenda 'aptum dicet equis. Homericum est. sic enim de hoc ille Ἄργος ἐς ἱππόβοτον. me nec tam patiens Lacedaemon. hoc propter διαμαστίγωσιν uidetur dicere'.

Sed acrostichorum artificium — iam enim ad propositum reuertor — Porfirius in uerbis Graece scriptis praeter ludibria supra indicata ita temperauit, ut pro illis η λ ϱ ς χ poneret Latinas litteras h a p c x.

Mitto alios lusus tales, iam in uerbis repositas facetias persecuturus. igitur uersus est rhopalicus quinque constans uocibus, quae singulis increscant syllabis, qualem habes hunc Martiani

o sacra doctarum prudentia fontigenarum.

talibus compositumst totum carmen paschale foedum alioquin et barbarum, quod incipit sic 'spes deus aeternae stationis conciliator'.

Neque indignumst prorsus mentione Ausonii technopaegnion, in quo ille scholasticis facetiis usus omnes uersus monosyllabis uerbis clusit. nec alieno lusu in opusculi huius prooemio instituit, ut et primae partes uersuum et ultimae monosyllabis uocibus constarent, e quibus nullis interse diuisae uerbis deberent esse pares, praeterea perspicuam ob causam princeps omnium ac postrema. — de reciprocis carminibus, quorum iam meminit Quintilianus [VIIII, 4, 90] — et similem lusum in Simonide exagitauit Timocreon —, haec habet Sidonius [VIIII, 14] 'ei nimirum uersus sunt recurrentes, qui metro stante neque litteris loco motis, ut ab exordio ad terminum sic a fine releguntur ad summum. sic est illud antiquum Roma tibi subito motibus ibit amor. nec

non habentur pro recurrentibus, qui pedum lege seruata per singula uerba replicantur, qualia reor equidem legi multa multorum'. sic uersus senarii

astra tenet caelum mare classes area messem
repetita pinus mobile exeruit caput,

si retro legas, fient sotadici. his facetiis usus Porfirius totum carmen elegiaco metro scriptum fecit anacyclicum [236 Mey.], cuius singula disticha non ab ultimo minus uerbo quam a primo incohata manebunt integra. ita et alterum eiusdem poema tali metro compositum [XIII]

princeps beate placido sub axe iam nunc

hos ipsos recurrendo etiam implebit numeros. — sed in uersu, quem memorat Diomedes [516] fieri ex pentametro trimetrum,

numina caelestum ture precare pio,

ut senarius iam constet numerus, scribendumst omina, secundum illa Vergilii 'da pater augurium nobis atque omina firma' et porro 'fata renarrabat diuum'. et habet liber scriptus nomina. ita etiam inepte in carmine aeque reciproco fertur

ire cupis si rus, mala uites somnia quaeso,

quasi penes nos sit arbitrium somniorum nostrorum et uiolato numero sotadico qui debet euenire, si retro legas uersum. uenit ab auctore 'mala uites omina'. — iam ut insignem habet grauitatem carmen eodem uersu finitum quo incohatum, ita in distichis priorem hexametri partem ac posteriorem pentametri paribus continendo uerbis — epanalepsis schema uocitatur — aut eandem utriusque uersus sententiam intenderunt magis aut contraria sensu magis distinxerunt, qualia habes in his Pentadii

laeta uireta tument, foliis sese induit arbor.
uallibus apricis laeta uireta tument

et aliter

res eadem adsidue momento uoluitur uno,
atque redit dispar res eadem assidue.

hi lusus iam Ouidium apud et Martialem cum inueniantur mox ualde placuere insequentium temporum auctoribus, tota ut carmina ludibrio isto composuerint Pentadius Fortunatus alii. in Pentadii poemate tali cum uulgo ferantur haec 'hostia saepe fuit diri Busiridis hospes Busirisque aris hostia saepe fuit' pessime egere, qui posteriore parte scriberent ad sensum adiuuandum 'hostia et ipse fuit'. at ponendumst utraque 'hostia saeua fuit'. ceterum

foedo errore opusculum Sedulii, eodem quod confectumst schemate, hoc disticho incohari credunt

cantemus socii domino, cantemus honorem.
dulcis amor Christi personet ore pio.

quod ut plane alienum a sententia carminis nemo non uidet lineola interiecta separandum esse a ceteris quasi praefatiunculam hymnorum uel potius omnium Sedulii librorum, quae res etiam eo confirmatur, quod in codice Arnzeniano epigramma Asterii — nam is mortuo Sedulio opera eius Macedonio abbati amoris caussa dedicauerat — praepositum legitur hymno primo, ut contrario quam nunc fit ordine opera Sedulii constituenda esse appareat.

Praeterea sententiae robur adstruit uersus unus certo interuallo identidem repetitus. ueluti Ouidius in carmine illo 'ianitor indignum dura religate catena' [am. I, 6] a uersu inde quinto uigesimo usque ad quinquagesimum sextum quaternorum distichorum fine repetiit pentametrum hunc

tempora noctis eunt. excute poste seram

distinctis quidem eo quod dixi internallo etiam sensuum finibus. similiter in epistula Deianirae inter uersus centesimum quadragesimum septimum et sexagesimum quartum ter certo ordine redeunt illa 'impia quid dubitas Deianira mori'. at apud eum, qui scripsit epistulam Didus heroico metro, cum uerba haec 'sua taedia solus fallere nescit amor' inueniantur ab illis inde quae sunt 'reparatum Cynthia format lucis honore iubar' septiens quaternis repetita hexametris, ultro oritur suspitio in sequentibus proxime, ubi tres tantum intercedunt uersus, excidisse unum, id quod etiam aliter potest probari. etenim cum in praecedentibus, quaecunque sunt inclusa lexi intercalari, is compareat sensus, omnia certa uice ita recreari, ut malis succedant bona, longe sunt aliena qualia nunc feruntur proxima

gemmatis roscida uisu
rident prata rosis et floribus arua tumescunt.
pictus ager sub flore latet, dat fronte coronas
lasciuis natura rosis.

debuit enim declarari illud post finitam demum tempestatem existere istam camporum faciem. uidentur autem in capite horum uersuum excidisse bina hemistichia uelut haec

discussis imbribus atra
cum requieuit hiems.

Porro, uulgo ut notumst, uersus intercalares satis inconcinne inseruere carminibus Catullus [62. 64] et auctor peruigilii Veneris, at certa cum lege Vergilius [ecl. 8] et Nemesianus [ecl. 11]. — ceterum non dissimiles facetias in psalmis [136. cf. 118] deprehendi satis notumst.

Praeterea memoranda sunt carmina pari uersuum numero constantia quae eueniunt plerumque alternis uersibus et mutuo orantium certamine. qualia habes eclogis Vergilii tertia et septima nec non quinta et octaua et porro carmine Nemesiani eo, quod incipit 'populea Lycidas nec non et Mopsus in umbra' et Horatii illo 'donec gratus eram tibi'. sed nulla tali causa alii uoluerunt contineri libros suos carminibus aequis ambitu, quorum ut ars et ratio plene perciperetur non potuit esse exiguum spatium. hoc lusuum genus satis uetustum — namque Macer familiaris ille Nasonis uolumen opusculorum quaternis uersibus constantium composuit — admodum placuit neotericis. nam et monosticha Ausonii et Columbani atque aliorum et disticha Catonis et tristicha feruntur Symposii. praeterea Prudentii siue Amoeni tetrasticha historiae biblicae et simili arte conscripti a grammaticis in praeclarorum uatum opera multi inueniuntur indices.

Restat ut centonum breuiter reddamus rationem. qui ueneratione Homeri Vergiliique et communi ultimorum temporum imbecillitate cum prouenissent — iam eorum mentionem facit Tertullianus [de praescript. haeret. cap. 39] — plerumque exercuere uacua ingenia. eorum normam sic definit Ausonius [praef. cent. nupt.] 'uariis de locis sensibusque diuersis quaedam carminis structura solidatur, in unum uersum ut coeant aut caesi duo aut unus et sequens cum medio. nam duos iunctim locare ineptumst et tres una serie merae nugae. diffunditur autem per caesuras omnes, quas recipit uersus heroicus, conuenire ut possit aut penthemimeris cum reliquo anapaesto aut trochaica cum posteriore segmento aut septem semipedes cum anapaestico chorico aut post dactylum atque semipedem quicquid restat hexametro'. — uerum enimuero nec ipse Ausonius tam seuere normam optinuit et multo minus ceteri. qui ne illud quidem uitarunt — nam sensuum ineptias praetereo —, ne quando longior paullo siue breuior euaderet aut alioqui laberetur uersus. sed omissis plerisque, quae Burmanni et Meyeri libris prostant, Hosidii tragoediam secundo tertioue post Chr. n. saeculo scriptam perlustremus. ea uersibus

plus CCCCL constans Medeae et Iasonis discidium heroico numero quo sermocinantium partes sustinentur et quibus chori anapaesticis dimetris catalecticis plene persequitur. libet admirari sollertiam, etsi isdem hic cento quibus reliqui excepto Ausonii laborat incommodis. in quo tamen illud memoria dignum nunquam poni hexametros dimidiatos et imperfectos, nisi apud ipsum Vergilii extent tales, qualem habes [104] 'unum pro multis dabitur caput'. cetera lacunis deformia. igitur quod legitur ibidem [398]

suggere tela mihi finemque impone labori.
sanguine quaerendi reditus

addendum 'animaque litandum', cum praesertim fuerit absurdum placitam alioqui normam migrari, ubi totus Vergilii uersus non minus conueniret rei quam dimidiatus. porro alterum grauiter esse affectum locum ipsa sensuum apparet peruersitate. est enim talis [450]

siue animo siue arte uales, opta ardua pennis
astra sequi, et si adeo dotalis regia cordist —
nostrasne euadere demens
sperasti te posse manus?

scilicet post illa 'et si adeo dotalis regia cordist' addenda quae secuntur in ipsa aeneide

aude atque aduersum fidens fer pectus in hostem.

proxima quae sunt 'nostrasne euadere demens' apte supplebimus praeponendo uelut 'ignarus rerum' siue 'oblitus decoris' siue aptiora quis excogitarit.

Verum omnium aetatium gentiumque quotquot inueniri possunt fingique ludibria ac facetias studio ac diligentia superauit longe Publilius Porfirius Optatianus. qui Constantino imperante relegatus, quo ueniam impetraret exilii, operosissimum librum composuit, quem, si modo peruersa prudentissime executos aliqua esse laude dignos putabimus, minime decebit praeteriri silentio. etenim sicut non magni spiritus ita haudquaquam inepta sunt eius opuscula, sed quae plerorumque carminum Latinorum aequent mediocritatem, paullo quidem obscuriora illa et impeditiora ob difficultatem praestigiarum. — quare dubito plerumque an magis excusandum Porfirium existimemus quam Nasonem, cum hic exilii desperatione lectorum animos, ille oculos fatigarit.

Insunt autem in eiusdem poematis quae ne Graeca quidem facilitate assequi liceat ludibria. quorum placuit potissima perlustrari et in hoc finem libri fieri. — ac primum quidem littera-

rum multiformes comparent facetiae. est carmen quod arae [2], est quod fistulae [12] et quod organi [24. 25] repraesentet speciem, quales etiam apud Graecos prouenere lusus. e quibus primum constans trimetris iambicis XXIIII numero habet in capite uersus binos litterarum XXVI, subsequuntur IIII, quorum summus est sonorum XXXVI, ceteri binis decrescunt. hi excipiuntur XII aliis, quorum singuli constant litteris XXVIII, succedunt tres sonorum XXX et XXXII et XXXIIII, finem faciunt itidem tres constantes pro se quisque litteris XXXVI. emendaui uersum tertium, qui, cum uulgo feratur ab omni parte ineptus et inconcinnus talis

sic pulchra sacratissima gens Phoebo decens,

ita scribendus est

sic pulchra sacra dis agens Phoebum decens.

at in fistula, quod est carmen uersuum heroicorum, metrorum XV per singulas litteras adauctus fit et defectus. habet autem minimum XXVIII. at organi pars superior uicenis denis hexametris dactylicis, inferior totidem dimetris iambicis catalecticis constat. porro horum unusquisque litteris constat decem et octo, illorum breuissimus cum habeat XXV, ceteri singulis increscunt sonis, maximus ut duplicet numerum minimi. inicitur autem per mediam partem currens carmen hoc

Augusto uictore iuuat rata reddere uota.

idem Porfirius mira facilitate uariis anfractibus litterarum usus in acrosticha et telesticha et alia huiuscemodi. igitur in carmine quod incipit 'fortia facta ducis toto dominantia iam nunc' [8] litteris primum et quartum decimum et ultimum optinentibus locum decurrunt haec 'fortissimus imperator' 'clementissimus rector' 'Constantinus inuictus'. — at illo opusculo, cuius est exordium [10] 'dissona conexis audet componere uerbis', in capite cum descendat 'domino nostro Constantino perpetuo Augusto' eis quae decimum optinent locum habes

νεῖμέν σοι βασιλεῖ Χριστὸς καὶ σοῖς τεκέεσσι

quae undeuigesimum

τίμιον εὐσεβίης κρατέειν ἀρετῆς τε βραβεῖον

quae uigesimum octauum

εὐνομίης ἄρχειν τε καὶ Αὐσονίοισιν ἀνάσσειν.

sed frequentiora etiam sunt ea carmina, quae iunctos habeant litterarum lusus et stichorum diuersa per metra decurrentium. scilicet haec opuscula pari constant numero sonorum, qui ubi uersuum

aequat numerum, quadrati figura nascitur, quae uariis natura ipsa conuenit lusibus. igitur primum in poemate illo [14]

ingemui grauiter Graecum miseratus amicum

cum singuli hexametri qui sunt X constent sonis XXXVII, — nascitur uersus Graecus litteris ab ultimi metri prima bis in altum et rursus in imum tendentibus, ut a lateribus sitae partes singulis augescant litteris, at quae interiacent prima decem et postrema elementa Graeci hexametri, eae uero increscant binis. ceterum interiectus stichus, cuius tamen uocem a fine tertiam monstri esse similem facile apparet, habet talis

Μάρκε τεὴν ἄλοχον τὴν χμνιδα Νεῖλος ἐλαύνει.

longe etiam scitius est illud 'alme tuas laurus aetas sustollet in astra' [19] quod hexametros XXXV litterarum XXXV continens quater habet stichum latera cingentem hunc 'alme tuas laurus aetas sustollet in astra'. at diagonalium quatuor instar, quae quadratum in trigona bina siue bina tetragona disponunt, currunt uersus hi 'aurea uictorem pietas sonat ubere lingua' 'Aonios latices pietas iuuat armaque diua' 'aurea lux natum siluae mihi praemia serua' 'aucta deo uirtus Musas magis ornat aperta'. — denique quattuor tetragonorum lineis recta uia impositis in latera quadrati media ortorum diagonales mensurae a prima uersus octaui decimi linea ascendentes et descendentes etiam binos implent hexametros 'Augusti florem pietas iuuat arma tropaea' 'Aonii frutices pietas iuuat ubere glaeba'. — dignum autem memoria omnia acrosticha et primam et mediam et ultimam habere litteram a. — ceterum simillimo artificio usus Fortunatus [miscell. V, 7] carmen XXXIII uersuum, qui constant singuli litteris XXXIII octonis stichis linearum quadrati lateralium et diagonalium instaurauit, quibus pariter crucis constaret forma. — at Porfirius alio carmine [18], quod et uersus et singulorum uersuum litteras habet numero XXXVII primum diagonalibus obliquis hos uersus effecit 'mixta per amfractus diducunt carmina Musae' 'seu cancellatos spatia in contraria flexus', tum lineis quadratum alterum, quod inculcatumst, cingentibus habes hos uersus 'bene picta Musa metris' 'speciosa sancta cultu' 'breuiter fluas ut isto' 'opus est per arta coetu'. porro tetragonis binis, quorum prioris latera a litteris prima et ultima hexametrorum undecimi et uicesimi septimi pertinent usque ad undecimam et uicesimam septimam carminum principis ac postremi, at alterius anguli oriuntur a litteris

uicesima septima et undecima primoris uersus et ultimi, praeterea a postrema ac prima metrorum undecimi ac uicesimi septimi, his inquam tetragonis eueniunt trimetri et adonii hi

amor poesis spissa gaudet exigi.
seriem paramus ordinare acrius.
possit coire docta rerum limite.
opus tuetur non necata parcitas.
audeo plenas
edere formas.
picta notabo
iura Camenis.

Habet etiam alios lusus tales difficiliores plerumque sed non perinde concinnos aut amoenos Porfirius. sed ei quoniam facilius oculis quam uerbis possunt concipi, simul ne lectorum nimis illudam patientiae, nunc omittam rem, cum praesertim plena auctoris illius carmina extent in sylloge Mignii satis accurate et dilucide expressa. ceterum Porfirium Venantius mox Venantium Rhabanus similibus facetiis sunt sectati.

Sed missis his paulisper duo eiusdem Porfirii contemplemur carmina. quorum prius est tale [3]

alme decus mundi summum rector pius orbis
Auguste inuicta populos uirtute gubernans
iustitia imperium nationum Constantine
effraenatarum moderamine pacificator,
quem diuus genuit Constantius induperator
aurea Romanis propagans saecula nato,
heu nimis ad caelum properans, ni liquerit ille
aeternum auxilium inuictum iustumque piumque
alme pater patriae nobis te maxime Caesar
Ausoniae decus o lux pia Romulidum.
est placitum superis tunc haec in gaudia mundi
perpetuis bene sic partiri munera saeclis.
sidera dant patri et patris imperium
sancte tibi. magnae data tu lux aurea Romae.
ista canit ruris tibi uates. ardua Musa.

In his primi quatuor uersus pro se quisque isosyllabis constant uerbis, quintus est rhopalicus, sextus immota manente uoce ultima potest uariari his modis

aurea propagans Romanis saecula nato
saecula propagans Romanis aurea nato
saecula Romanis propagans aurea nato.

septimus omnes in se continet partes orationis, at octauus sola

nomina. nonus si retro legatur etiam fit hexameter, decimus pentameter. eadem ratione undecimus ex heroico uersu formabitur elegiacus, nec minus duodecimus cum sequente efficiunt etiam distichon, denique ita a fine proximus et ultimus fiunt sotadici. at alterum poema talest [26]

ardua componunt felices carmina Musae.
dissona conectunt diuersis uincula metris
scrupea pangentes torquentes pectora uates.
undique confusis constabunt singula uerbis.

in his manente ultima parte hexametrorum ita possunt uariari prima uerba cum quartis et secunda cum tertiis permutando permiscendoque, e quatuor uersibus ut oriantur LXXII plane omnes interse illi diuersi.

Iam horum de quibus modo exposui ludibriorum quae litterarum facetiis oriuntur habent certam quandam utilitatem. scilicet potest ex eis plerorumque uerborum scriptura tam certo cognosci, non alius auctoris Latini usus aeque ut sit certus notusque ac Porfirii uel Venantii. haec autem quarti sextique p. Chr. n. saeculi testimonia ideo inscriptionum uel antiquiorum plerisque sunt potiora, quod hae ut plurimum sculptorum atque similium imperitia hominum incultis temperantur arbitriis, at illa doctrina iudicioque uirorum liberaliter eruditorum. nam nequis credat hos difficultate operis uictos pleraque barbara admisisse in leges orthographiae, ea re uetamur, quod eorum scripturae plerumque cum firmatis optime alioqui, quales Mediceo Vergilii codice et paris antiquitatis libris exhibentur, mirificum in modum consentiunt, ut appareat auctores, cum sermonis et metrorum leges aliquando laederent, in hac tamen parte fuisse ambitiosos. iam memoria digna apud Porfirium haec fere inuenimus. ac primum quidem quod auctorem non ut uulgo fit dixi Porphyrium, ipsius fide feci, qui proprio acrosticho Graecanicos sonos damnauerit [carm. XI]. praeterea notanda fuere haec 'amfractus [18, 10] bacheius [7, 10] consumto [18, 14] Cristi [15, 30] sed alibi Christi [17, 5] die extrito digamma [18, 2] fecundae [10, 7] feta [9, 24] Frix si modo uerumst [14, 10] glaeba [19, 21] Grecis [14, 10] sed alias Graecum [14, 1. 6] heuuantes [12, 16] inclyta [10, 2. 21] necata pro eo quod est negata [18, 22. cf. Lachm. p. 148] paulum [18, 2] perenia [10, 24] proiiecta [18, 14] solemnibus [24, 23] squalore [9, 6]'. porro semper, nisi quid me fugit, saeculum

sine saeclum et compositis additum prae habent diphthongum, cum eadem sceptrum semper careat. praeterea in uocabulis non simplicibus digna sunt mentione scripta 'coiux [14, 5] et coniux [14, 10] conexis [11, 1] porro conpos [23, 34] tum exerit [17, 19] exertus [9, 19] et exultans [4, 4] exultant [10, 17] contra exsultat [24, 8]'.

At apud Venantium apta cognitu euenere haec brachia [II, 4, 17] caeli [II, 4, 13] crismata [II, 4, 28] et Christi [II, 4, 17] dius [II, 4, 1. V, 7, 1] et diua [II, 4, 29] exerit [V, 7, 11] exiluit [II, 4, 5] medellae [II, 5, 4] paradissiacus [V, 7, 9] sucus [II, 4, 11]. porro abbreuiata apud eundem haec inueni, quae sunt q addito puncto — idem habet Optatianus — [V, 7, 16] pro enclitica que deus ds [V, 7, 23] sanctus scs [II, 5, 35] animae aie [V, 7, 18], quod quid sit plane se non assequi profitetur Mignius. praeterea apud Porfirium pro eo quod est ibus identidem extat ib cum puncto.

EXPLICIT.

CONTINENTVR HOC VOLVMINE.

INDEX PRIOR.

NOMINA AVCTORVM	NOMINA RECENSIONVM, QVARVM NVMERIS VTI SOLEMVS
Plautus	ed. Ritschelii.
Terentius	- Fleckeiseni.
scaenici reliqui	- Ribbeckii.
Ennius	- Vahleni.
Lucilius	- Gerlachii.
Tullius	- Orellii, Turici a. 1828.
Cato	- Naeckii.
Catullus, Tibullus, Propertius	- Hauptii.
scriptores opusculorum Vergilianorum	- - -
Gratius	- - -
Ouidius	- Lips. Merkelii.
Manilius	- Iacobi.
scriptor Aetnae	- - - -
Seneca trag.	- Schroederi.
Seneca Menippeus	- Teubneriana.
Petronius	Lipsiae, a. 1721, ap. Casparum Fritschium.
Homerus Latinus	ed. L. Muelleri, Berol. a. 1857.
Calpurnius	- Glaeseri.
scriptor elegiarum de morte Maecenatis	Meyer, anthologia uet. Lat. epigr. et poem., Lips. a. 1835. tom. I, 109. 110.
scriptores priapeorum	ed. Tauchnitz., Lips. a. 1829 — Martialis epigrammatis iuncta —.
Phaedrus	ed. Orellii, Turici a. 1831.
Germanicus	- - - - - - -
Valerius	- Bipontina.
Silius	- - - - -
Statius	- Teubneriana.
Symposius	- Heumanni.
Sammonicus	- Ackermanni.
Nemesianus — bucol. —	- Glaeseri.
- — didact. —	- Hauptii.

NOMINA AVCTORVM	NOMINA RECENSIONVM, QVARVM NVMERIS VTI SOLEMVS
Claudianus	ed. Gesneri.
Rutilius	- Zumptii.
Merobaudes	- Niburii.
Auianus	- Lachmanni.
Iuuencus	- Mignii, tom. XVIIII.
Porfirius	- - - - -
Ausonius	ex recogn. Scaligeri, Heidelbergae a. 1588.
Prudentius	ed. Obbarii.
Paulinus Nolanus	- Mignii, tom. LXI.
Sidonius	- Wowereni, Parisiis a. 1598.
Sedulius	- Arnzenii.
Arator	- - - -
Martianus	- Koppii.
Auienus — descr. orb., or. mar. —	- Bipontina.
Priscianus — perieg. —	- - - - -
Luxorius	Meyer. anthol., tom. I.
scriptor Phoenicis	ed. Martini.
Octauianus	Haupt, berichte der saechsischen gesellschaft der wissenschaften I, 211.
scriptor carminis in genesin	ed. Mign., tom. XVIIII.
Amoenus	- - tom. LXI.
Claudius Victorinus	- - - -
Drepanius	- - - -
Orientius	- - - -
Paulinus Petricordiensis	- - - -
Venantius	- - tom. LXXXVIII.
auctor de figuris sententiarum	- Sauppii.
Terentianus	- Lachmanni.
Boethius	- Obbarii.
Commodianus	- Oehleri, Lips. 1847.
Consentius	- Buttmanni.
Censorinus	- Iahnii.

In poetarum qui dicuntur minorum libris afferendis Meyeri uel Wernsdorfii usus sum recensionibus. in carminibus christianorum poetarum eis, quae in Mignii sylloge prostant, ubicumque omissi essent numeri uersuum, tutius uisumst mihi tantum non semper paginarum numerum indicare. quem et ipsum memorare soleo ferme in grammaticorum et metricorum ueterum scriptis quae Putschii libro continentur et quae Mercerii siue Muelleri nec minus ceterorum. a qua norma quae reperiuntur diuersa, facillima statim opera poterunt deprehendi.

INDEX ALTER.

Ne nimium operis moles adgrauaretur, non rettulimus in emendationum numero poetarum locos eos, quorum primi recte constituimus metra, cuius rei oportunitas maxime nobis euenit in fragmentis Lucilii ac Varronis et scaenicorum et quidem opusculo eo, quo de iambis ac trochaeis Italicis egimus. praeterea quod aliquando accidit, ut eiusdem libri plures factae emendationes in una extent pagina, huius semel numerum indicasse satis habui. deinde quoniam urgente ualetudine non licuit mihi eadem in omnibus pariter partibus diligentia uso delectum agere rerum notabilium, ubi defecerint excerpta nostra, ut acquiescat indicibus capitulorum additis lectorum indulgentia, qua par est obseruantia rogamus.

Solemus indicare nota illa sq. singulas sequentes paginas, at altera tali sqq. binas.

A.

B.

C.


Q.

R.

S.

T.

V.



PECCATA OPERARVM.

Pag. 13, 15 a fin. leg. Carthaginienses.
- 53, 11 del. tale.
- 59, 3 a fin. leg. et ipsa.
- 89, 19 leg. iudicium.
- 90, 4 leg. fuissent.
- 103, 2 leg. Alfius.
- 111, 22 leg. deu'.
- 112, 1 post illud metro add. punctum.
- 121, 1 leg. te.
- 134, 4 a. f. leg. εἰδωλολατρείαν.
- 147, 10 leg. Probus.

Pag. 168, 6 a f. post optinet add. illud.
- 195, 1 leg. Marcius.
- 218, 30 leg. hirundo.
- 232, 16 leg. nostra.
- 248, 26 leg. Petricordius.
- 256, 18—19 leg. pa- ruere.
- 306, 28 leg. quaerentem.
- 332, 20 post illud indulget add. comma.
- 337, 11 leg. effundi.
- 347, 21 leg. peccasse.
- 349, 18 post illud [6, 262] del. [.

Praeterea minuta quaedam errata qualia sunt posita Accius pro Attio uel inter se pro interse et similia cum ipsorum facillime lectorum deprehendi possint industria indicare non uidetur esse opus.

Bei **B. G. Teubner** in Leipzig sind ferner erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

I. Orientalische und classische Philologie. Alterthumswissenschaft.

Ἀβελ, Ο., ἡ μέχρι Φιλίππου ἀρχαία ἱστορία τῆς Μακεδονίας συνταχθεῖσα μὲν. Μεταφρασθεῖσα δὲ ὑπὸ Μ. Γ. Δημίτσα. gr. 8. 1860. geh. 1½ Thlr.

Aeschyli Septem ad Thebas. Ex recensione G. Hermanni cum scripturae discrepantia scholiisque codicis Medicei scholarum in usum edidit Fridericus Ritschelius. gr. 8. 1853. geh. 16 Ngr.

Alberti, Eduard, zur Dialektik des Platon. Vom Theaetet bis zum Parmenides. Aus d. Suppl. d. Jahrb. f. class. Philol. besonders abgedruckt. gr. 8. 1856. geh. 15 Ngr.

Alciphronis rhetoris epistolae cum adnotatione critica editae ab Augusto Meinekio. gr. 8. 1853. geh. 1⅓ Thlr.

Apollonii Argonautica. Emendavit, apparatum criticum et prolegomena adiecit R. Merkel. Scholia vetera e codice Laurentiano edidit Henricus Keil. gr. 8. 1854. geh. 5 Thlr.

Archiv für Philologie, siehe: Jahrbücher f. Philologie.

Aristophanis Nubes edidit illustravit praefatus est W. S. Teuffel. gr. 8. 1856. geh. 24 Ngr.

Bambergeri, F., opuscula philologica maximam partem Aeschylea collegit F. G. Schneidewin. Praemissa est memoria F. Bambergeri a G. T. A. Kruegero conscripta. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 20 Ngr.

Baumeister, Augustus, commentatio de Atye et Adrasto. gr. 4. 1860. geh. 6 Ngr.

Becker, Dr. Paul, die Herakleotische Halbinsel in archäologischer Beziehung behandelt. Mit zwei Karten. gr. 8. 1856. geh. 24 Ngr.

Bentley's, Dr. Richard, Abhandlungen über die Briefe des Phalaris, Themistocles, Socrates, Euripides und über die Fabeln des Aesop. Deutsch von Woldemar Ribbeck, Dr. gr. 8. 1857. geh. 4 Thlr. 20 Ngr.

Bernstein, G. H., das heilige Evangelium des Johannes. Syrisch in Harklensischer Uebersetzung mit Vokalen und den Punkten Kuschoi und Rucoch nach einer Vaticanischen Handschrift nebst kritischen Anmerkungen. Gedruckt mit neuen syrischen Typen. gr. 8. 1853. geh. 2⅔ Thlr.

Bionis Smyrnaei Epitaphius Adonidis. Edidit Henricus Ludolfus Ahrens. 8. 1854. geh. 15 Ngr.

Boeckh, A., zur Geschichte der Mondcyclen der Hellenen. Besonderer Abdruck aus den Suppl. d. Jahrb. f. class. Philol. gr. 8. 1855. geh. 22½ Ngr.

— **epigraphisch-chronologische Studien. Zweiter Beitrag zur Ge**schichte der Mondcyclen der Hellenen. Besonderer Abdruck aus dem II. Supplementband der Jahrbücher f. classische Philologie. gr. 8. 1857. geh. 1 Thlr. 3 Ngr.

— **gesammelte kleine Schriften. Erster Band, A. u. d. T.: Augusti** Boeckhii orationes in universitate litteraria Friderica Guilelma Berolinensi habitae. Edidit Ferdinandus Ascherson. gr. 8. 1858. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

— — **Zweiter Band, A. u. d. T.: August Boeckh's Reden gehalten auf** der Universität und in der Akademie der Wissenschaften zu Berlin. Herausgegeben von Ferdinand Ascherson. gr. 8. 1859. geh. 3 Thlr.

Bredovius, F. I. C., quaestionum criticarum de dialecto Herodotea libri quattuor. gr. 8. 1846. geh. 2 Thlr.

Bucolicorum Graecorum Theocriti Bionis Moschi reliquiae accedentibus incertorum idylliis. Edidit Henricus Ludolfus Ahrens. Tomus primus textum cum apparatu critico continens. gr. 8. 1855. geh. 2 Thlr. 12 Ngr.

— **Tomus secundus scholia continens. gr. 8. 1859. geh. 4 Thlr. 24 Ngr.**

Carmina, popularia, Graeciae recentioris. Edidit Arnoldus Passow. gr. 8. 1860. geh. 4 Thlr. 20 Ngr.

Catonianae poesis reliquiae. Ex recensione Alfredi Fleckeiseni. gr. 8. 1854. geh. 6 Ngr.

Catonis, M., praeter librum de re rustica quae extant. Henricus Jordan recensuit et prolegomena scripsit. gr. 8. 1860. geh. 1 Thlr. 20 Ngr.

Charisii artis grammaticae libri V, siehe: Grammatici Latini.

Christ, Wilhelm, Grundzüge der griechischen Lautlehre. gr. 8. 1859. geh. 2 Thlr.

Comicorum Latinorum praeter Plautum et Terentium reliquiae. Recensuit Otto Ribbeck. gr. 8. 1855. geh. 3 Thlr.
Cornifici rhetoricorum ad C. Herennium libri IIII. Recensuit et interpretatus est C. L. Kayser. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.
Corssen, W., über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache. Von der Königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin gekrönte Preisschrift. Zwei Bände. gr. 8. 1858. 1859. geh. 5 Thlr. 12 Ngr.
Curtius, Georg, Grundzüge der griechischen Etymologie. Erster Theil. gr. 8. 1858. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.
Didascalia apostolorum syriace. gr. 8. 1855. 4 Thlr.
Didymi Chalcenteri grammatici Alexandrini fragmenta quae supersunt. Collegit et disposuit Mauricius Schmidt. gr. 8. 1854. geh. 3 Thlr.
Dietsch, Rudolf, Versuch über Thukydides. gr. 8. 1856. geh. 12 Ngr.
Diomedis artis grammaticae libri III, s. Grammatici Latini.
Dronke, Gustav, die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos und Sophokles. Besonderer Abdruck aus dem vierten Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1861. geh. 24 Ngr.
Düntzer, H., die Interpolationen im eilften Buche der Ilias. Besonderer Abdruck aus dem dritten Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1861. geh. 8 Ngr.
Ennianae poesis reliquiae. Rec. Ioannes Vahlen. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr.
Fischer, Maximilian Achilles, Gergovia. Zur Erläuterung von Caesar de bello Gallico VII 35—51. Mit Grundplan und Kärtchen. Aus d. Supplementbande d. Jahrbücher f. Philologie besonders abgedruckt. gr. 8. 1855. geh. 12 Ngr.
Fleckeisen, Alfred, zur Kritik der altlateinischen Dichterfragmente bei Gellius. Sendschreiben an Dr. Martin Hertz in Berlin. gr. 8. 1854. geh. 9 Ngr.
Frick, Dr. Otto, das plataeische Weihgeschenk zu Konstantinopel. Ein Beitrag zur Geschichte der Perserkriege. Besonderer Abdruck aus dem dritten Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. Nebst Zeichnungen von Dr. P. A. Dethier. gr. 8. 1859. geh. 24 Ngr.
Friederichs, Dr. K., Praxiteles und die Niobegruppe nebst Erklärung einiger Vasenbilder. Mit einer Kupfertafel. gr. 8. 1855. geh. 1 Thlr.
Friedländer, Ludovicus, Analecta Homerica. Besonderer Abdruck aus dem dritten Supplementbande d. Jahrbücher f. class. Philol. gr. 8. 1859. geh. 6 Ngr.
—— **zwei Homerische Wörterverzeichnisse. Besonderer Abdruck aus dem** III. Supplementbande der Jahrbücher f. class. Philologie. gr. 8. 1861. geh. 24 Ngr.
Fritzsche, Hermann, zu Theokrit und Virgil. gr. 8. 1860. geh. 8 Ngr.
Frontini, Iulii, de aquis urbis Romae libri II. Recensuit Franciscus Buecheler. gr. 8. 1858. geh. 15 Ngr.
Geoponicon in sermonem syriacum versorum quae supersunt. P. Lagardius edidit. gr. 8. 1860. 4 Thlr.
Giseke, Bernhard, Thrakisch-Pelasgische Stämme der Balkanhalbinsel und ihre Wanderungen in mythischer Zeit. gr. 8. 1858. geh. 1 Thlr.
Gottschick, A. F., Geschichte der Gründung und Blüthe des Hellenischen Staates in Kyrenaika. gr. 8. 1858. geh. 10 Ngr.
Grammatici Latini ex recensione Henrici Keilii.

Vol. I. fasc. 1. **Flavii Sosipatri Charisii** artis grammaticae libri V ex recensione Henrici Keilii. gr. Lex.-8. 1856. geh. 3 Thlr.

Vol. I. fasc. 2. **Diomedis** artis grammaticae libri III, ex Charisii arte grammatica excerpta ex recensione Henrici Keilii. gr. Lex.-8. 1857. geh. 3 Thlr. 10 Ngr.

Vol. II. fasc. 1 & 2. **Prisciani** grammatici Caesariensis institutionum grammaticarum libri XVIII ex recensione Martini Hertzii. Vol. I. Fasc. 1 & 2. libros I—XII continens. gr. Lex.-8. 1855. geh. 6 Thlr. 10 Ngr.

Vol. III. fasc. 1. **Prisciani** grammatici Caesariensis institutionum grammaticarum libri XVIII ex recensione Martini Hertzii. Vol. II. libros XIII—XVIII continens. gr. Lex.-8. 1859. geh. 4 Thlr.

Vol. III. fasc. 2. **Prisciani** grammatici Caesariensis de figuris numerorum, de metris Terentii, de praeexercitamentis rhetoricis libri, institutio de nomine et pronomine et verbo, partitiones XII versuum Aeneidos principalium, accedit Prisciani qui dicitur liber de accentibus ex recensione Henrici Keilii. gr. Lex.-8. 1860. geh. 2 Thlr. 10 Ngr.

Grani Liciniani quae supersunt emendatiora edidit philologorum Bonnensium heptas. gr. 8. 1858. geh. 16 Ngr.

Gregorii Bar-Hebraei scholia in librum Jobi. Ex codd. mss. emendata denuo edidit difficiliorum locorum interpretatione illustravit notis criticis instruxit Dr. G. H. Bernstein. Folio. 1858. geh. 20 Ngr.

[Grote, Georg,] Griechische Mythologie und Antiquitäten nebst der Abhandlung über Homer und ausgewählten Abschnitten über die Chronologie, Litteratur, Kunst, Musik u. s. f. Uebersetzt aus Georg Grote's Griechischer Geschichte von Dr. Theodor Fischer. Erster bis vierter Band. gr. 8. 1856—1860. geh. I. u. II Band à 2 Thlr., III. Band 2 Thlr. 20 Ngr., IV. Band 3 Thlr.

Gruppe, O. F., Minos. Ueber die Interpolationen in den Römischen Dichtern mit besonderer Rücksicht auf Horaz, Virgil und Ovid. gr. 8. 1859. geh. $3\frac{1}{3}$ Thlr.

Gutschmid, Alfred von, über die Fragmente des Pompejus Trogus und die Glaubwürdigkeit ihrer Gewährsmänner. (Besonderer Abdruck aus dem II. Supplementband der Jahrbücher f. class'sche Philologie.) gr. 8. 1857. geh. 27 Ngr.

—— —— **Beiträge zur Geschichte des alten Orients. Zur Würdigung** von Bunsens 'Aegypten' Band IV und V. gr. 8. 1858. geh. 1 Thlr.

Hanow, Fr., de Theophrasti characterum libello. gr. 8. 1858. geh. 6 Ngr.

—— **in Theophrasti characteras symbolae criticae. 4. 1860. geh.** 10 Ngr.

—— **in Theophrasti characteras symbolae criticae alterae. 4. 1861. geh.** 6 Ngr.

Hennings, P. D. Ch., über die Telemachie, ihre ursprüngliche Form und ihre späteren Veränderungen. Ein Beitrag zur Kritik der Odyssee. Besonderer Abdruck aus dem III. Supplementband d. Jahrbücher f. class. Philologie. gr. 8. 1858. geh. 20 Ngr.

Herbst, Ludwig, über C. G. Cobets Emendationen im Thukydides. Besonderer Abdruck aus dem dritten Supplementband der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1857. geh. 12 Ngr.

Herbst, Wilhelm, das classische Alterthum in der Gegenwart. Eine geschichtliche Betrachtung. 8. 1852. geh. 1 Thlr.

—— **zur Geschichte der auswärtigen Politik Spartas im Zeitalter des** peloponnesischen Kriegs. 1. 8. 1853. geh. 12 Ngr.

Hercher, Rud., über die Glaubwürdigkeit der Neuen Geschichte des Ptolemaeus Chennus. Aus d. Suppl. d. Jahrb. f. class. Philol. bes abgedruckt. gr. 8. 1856. geh. $7\frac{1}{2}$ Ngr.

Hippolyti Romani quae feruntur omnia graece e recognitione Pauli Antonii de Lagarde. gr. 8. 1858. geh 1 Thlr. 10 Ngr.

Q. Horatii Flacci sermonum libri duo. Germanice reddidit et triginta codicum recens collatorum grammaticorum veterum omniumque Msstorum adhuc a variis adhibitorum ope librorumque potiorum a primordiis artis typographicae usque ad hunc diem editorum lectionibus excussis recensuit apparatu critico instruxit et commentario illustravit C. Kirchner. Pars I satiras cum apparatu critico continens. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr.

—— —— **Voluminis II pars I commentarium in satiras libri primi conti**nens. gr. 8. 1855. geh. 2 Thlr.

—— —— **Voluminis II pars II continens commentarium in satiras libri** secundi confectum ab W. S. Teuffel. gr. 8. 1857. geh. 1 Thlr. 14 Ngr.
Preis des vollständigen Werkes 5 Thlr. 14 Ngr.

Horazens Episteln. Lateinisch und deutsch mit Erläuterungen von Dr. Lud. Doederlein. gr. 8. 1856—1858. geh. 2 Thlr. 10 Ngr.
Einzeln: **Erstes Buch.** 1856. 1 Thlr. 10 Ngr. **Zweites Buch.** 1858. 1 Thlr.

—— **Satiren. Lateinisch und deutsch mit Erläuterungen von Dr. Ludwig** Doederlein. gr. 8. 1860. geh. 2 Thlr. 10 Ngr.

Hübner, Aemilius, de senatus populique Romani actis. Commentatio ex annal. philol. supplemento tertio seorsum expressa. gr. 8. 1860. geh. 16 Ngr.

Huschke, E., die Iguvischen Tafeln nebst den kleinen Umbrischen Inschriften mit Hinzufügung einer Grammatik und eines Glossars der Umbrischen Sprache vollständig übersetzt und erklärt. gr. 8. 1859. geh. 5 Thlr.

Hymni Homerici. Recensuit apparatum criticum collegit adnotationem cum suam tum selectam variorum subjunxit Augustus Baumeister. gr. 8. 1860. geh. 2 Thlr. 12 Ngr.

Jahrbücher, neue, für Philologie und Paedagogik. Begründet von M. Johann Christian Jahn. Gegenwärtig herausgegeben von Rudolf Dietsch und Alfred Fleckeisen. Erscheinen seit 1826. Jährlich in 12 Heften. Preis pr. Jahrgang 9 Thlr.
Jahrbücher, neue, für Philologie etc. I—XIX. Supplementband, s. u. d. T.:
Archiv für Philologie und Paedagogik. Herausgegeben von G. Seebode, J. C. Jahn, R. Klotz und R. Dietsch. In Bänden von je 4 Heften. Im Ganzen 19 Bände. 1831—1853. Preis eines Bandes 2 Thlr. 20 Ngr. Herabgesetzter Preis für sämmtliche 19 Bände, zusammengenommen 20 Thlr.
Archiv für classische Philologie. Herausgegeben von A. Fleckeisen. Supplemente. Neue Folge. Erster Band. gr. 8. 1855—56. 2 Thlr. 12 Ngr. — Zweiter Band. gr. 8. 1856—57. 2 Thlr. 12 Ngr. — Dritter Band. gr. 8. 1857—1860. 4 Thlr. 24 Ngr. — Vierter Band 1 Heft. 1861. n. 24 Ngr.

Einzelne Hefte werden nicht abgegeben. Dagegen sind die grösseren Abhandlungen unter besonderem Titel sämmtlich einzeln zu haben.

☞ Einige noch vorhandene vollständige Exemplare der Jahrbücher f. Philologie ohne die Supplementbände (von 1826 bis December 1860) im Ladenpreise von 312 Thlr. liefere ich für 80 Thlr. pr. Exempl.

Institutionum et regularum iuris Romani syntagma exhibens Gai et Iusti- niani institutionum synopsin, Ulpiani librum singularem regularum, Pauli sententiarum delectum, tabulas systema institutionum iuris Romani illustrantes, praemissis duodecim tabularum fragmentis. Edidit et brevi annotatione instruxit Rudolphus Gneist, U. I. Dr. gr. 8. 1858. geh. 1 Thlr. 10 Ngr.
Keil, H., quaestiones grammaticae. gr. 8. 1860. geh. 6 Ngr.
Keil, Karl, epigraphische Excurse. Besonderer Abdruck aus dem zweiten Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1857. geh. 9 Ngr.
Kiessling, A., de Dionysi Halicarnasei antiquitatum auctoribus latinis. Dissertatio. gr. 8. 1858. geh. 10 Ngr.
Köchly, H., u. W. Rüstow, Einleitung in C. Iulius Caesar's Commentarien über den gallischen Krieg. gr. 8. 1857. geh. 18 Ngr.
Kock, Carl, die Vögel des Aristophanes. Besonderer Abdruck aus den Suppl. d. Jahrb. f. class. Philol. gr. 8. 1856. geh. 6 Ngr.
—— **Aristophanes und die Götter des Volksglaubens. Besonderer Ab-** druck aus dem dritten Supplementband der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1857. geh. 6 Ngr.
Kretzschmer, Julius, de A. Gellii fontibus. Part. I: De auctoribus Gellii Grammatici. 8. 1860. geh. 16 Ngr.
Krüger, Gustavus, Theologumena Pausaniae. Dissertatio philologica. gr. 8. 1860. geh. 16 Ngr.
Lagarde, P. A. de, de Geoponicon versione syriaca. 4. 1856. 10 Ngr.
—— **de novo testamento ad versionum orientalium fidem edendo. gr. 4.** 1857. geh. 10 Ngr.
—— **analecta syriaca. gr. 8. 1858. 6 Thlr. 20 Ngr.**
—— **ad analecta sua syriaca appendix. gr. 8. 1858. 16 Ngr.**
La-Roche, Paul, Charakteristik des Polybius. gr. 8. 1857. 20 Ngr.
Lehrs, K., populäre Aufsätze aus dem Alterthum, vorzugsweise zur Ethik und Religion der Griechen. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 14 Ngr.
Lothholz, G. C., commentatio de Bongarsio singulisque eius aequalibus. 4. 1857. geh. 6 Ngr.
Lugebil, Karl, über das wesen und die historische bedeutung des ostrakis- mos in Athen. Besonderer Abdruck aus dem vierten Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1861. geh. n. 12 Ngr.
Mercklin, Ludwig, die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gel- lius in den Noctes Atticae. Besonderer Abdruck aus dem dritten Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1860. geh. 16 Ngr.
Mommsen, Aug., Beiträge zur griechischen Zeitrechnung. Besonderer Ab- druck aus den Suppl. d. Jahrb. f. class. Philol. gr. 8. 1856. geh. 15 Ngr.
—— **zweiter Beitrag zur Zeitrechnung der Griechen und Römer. Be-** sonderer Abdruck aus dem dritten Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. 8. 1859. geh. 24 Ngr.
—— **Römische Daten. 4. 1856. geh. 16 Ngr.**
Müller, Dr. J. H. T., Beiträge zur Terminologie der Griechischen Mathe- matiker. gr. 8. 1860. geh. 8 Ngr.

Naevi, Cn., de bello Punico reliquiae. Ex recensione Ioannis Vahleni. gr. 4. 1854. geh. 12 Ngr.

Nicandrea. Theriaca et Alexipharmaca, recensuit et emendavit, fragmenta collegit, commentationes addidit Otto Schneider. Accedunt scholia in Theriaca ex recensione Henrici Keil, scholia in Alexipharmaca ex recognitione Bussemakeri et R. Bentlei emendationes partim ineditae. gr. 8. 1856. geh. 3 Thlr.

Pervigilium Veneris. Adnotabat et emendabat Franciscus Buecheler. 16. 1859. geh. 8 Ngr.

Peter, Hermannus, historia critica scriptorum historiae Augustae. Commentatio philologica. gr. 8. 1860. geh. 12 Ngr.

Petersen, Christian, über die Geburtstagsfeier bei den Griechen nach Alter, Art und Ursprung. Ein Beitrag zum Hausgottesdienste der alten Griechen. Besonderer Abdruck aus dem II. Supplementbande der Jahrbücher für classische Philologie. gr. 8. 1857. geh. 15 Ngr.

Piderit, K. W., zur Kritik und Exegese von Cicero de oratore. I. 4. 1857. geh. 8 Ngr. — II. 4. 1858. geh. 10 Ngr.

— **zur Kritik und Exegese von Ciceros Brutus.** 4. 1860. geh. 8 Ngr.

Plauti, T. Macci, comoediae. Ex recensione et cum apparatu critico Friderici Ritschelii. Accedunt prolegomena de rationibus criticis grammaticis prosodiacis metricis emendationis Plautinae. Tomus I. II. III pars 1. 2. gr. 8. geh. 10 Thlr.

Auch in 9 einzelnen Lieferungen. I, 1 zu 2 Thlr. Die übrigen Stücke à 1 Thlr. — Tom. I pars I: Prolegomena, Trinummus kann nicht mehr einzeln abgegeben werden.

— **eaedem. Scholarum in usum recensuit Fridericus Ritschelius. Tomus** I. II. III 1. 2. 8. geh. 1 Thlr. 15 Ngr.

Einzeln jedes Stück à 5 Ngr.

Plutarchi de musica edid. Ricardus Volkmann. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 6 Ngr.

Poppo, Ern. Frid., de historia Thucydidea commentatio. Accedit index historicus et geographicus. gr. 8. 1856. geh. 20 Ngr.

Pott, A. F., Studien zur griechischen Mythologie. Besonderer Abdruck aus dem dritten Supplementbande der Jahrb. f. class. Philol. gr. 8. 1859. 12 Ngr.

Prisciani inst. gramm. libri ed. Hertz, s. Grammatici Latini.

Reliquiae iuris ecclesiastici antiquissimae. Syriace primus edidit A. P. de Lagarde. gr. 8. 1856. 4 Thlr.

— — **Graece edid. A. P. de Lagarde. gr. 8. 1856. 1 Thlr. 20 Ngr.**

Ribbeck, Otto, über die mittlere und neuere Attische Komödie. Oeffentlicher Vortrag, gehalten im Rathhause zu Bern. 8. 1857. geh. 7½ Ngr.

Ross, Ludwig, archäologische Aufsätze. Erste Sammlung: Griechische Gräber — Ausgrabungsberichte aus Athen — zur Kunstgeschichte und Topographie von Athen und Attika. Mit acht farbigen und sechs schwarzen Tafeln und einigen Holzschnitten. gr. 8. 1855. geh. 4 Thlr.

— **alte lokrische Inschrift von Chaleion oder Oeantheia, mit den Be**merkungen von J. N. Oekonomides. Mit 1 lithogr. Tafel. gr. 8. 1854. geh. 15 Ngr.

Rossbach, Aug., und R. Westphal, Metrik der griechischen Dramatiker und Lyriker nebst den begleitenden musischen Künsten.

Erster Theil: **Griechische Rhythmik von August Rossbach. gr. 8.** 1854. geh. 1¼ Thlr.

Dritter Theil: **Griechische Metrik nach den einzelnen Strophen**gattungen und metrischen Stilarten. Von A. Rossbach und R. Westphal. gr. 8. 1856. geh. 2½ Thlr.

Siehe hierzu: **Westphal, die griechischen Rhythmiker.**

Sallusti, C., Crispi, Catilina et Iugurtha. Aliorum suisque notis illustravit Rudolfus Dietsch. 8. Vol. I. CATILINA. 1 Thlr. Vol. II. IUGURTHA. 1 Thlr. 15 Ngr.

Herabgesetzter Preis für beide Bände zusammen 1 Thlr. 10 Ngr.

— **quae supersunt. Recensuit Rudolfus Dietsch. Volumen I. Commen**tationes. Libri de Catilinae coniuratione et de bello Iugurthino. gr. 8. 1859. geh. 2 Thlr. 12 Ngr.

— — **Vol. II. Historiarum reliquiae. Index. gr. 8. 1859. geh.** 2 Thlr. 12 Ngr.

— — **opera quae supersunt. Ad fidem codicum manu scriptorum recensuit,** cum selectis Cortii notis suisque commentariis edidit, indicem accuratum adiecit Fridericus Kritzius, professor Erfurtensis. Vol. III. Historiarum fragmenta continens. Auch unter dem Titel:

— **Historiarum fragmenta. Pleniora, emendatiora et novo ordine disposita** suisque commentariis illustrata edidit et indices accuratos adiecit Fridericus Kritzius. Accedit codicis Vaticani et Palimpsesti Toletani exemplum lapidi inscriptum. gr. 8. 1853. geh. 3 Thlr.

Scenicae Romanorum poesis fragmenta. Recensuit Otto Ribbeck. 2 voll. gr. 8. geh. 6 Thlr.

Vol. I. Tragicorum reliquiae. 3 Thlr. — Vol. II. Comicorum reliquiae. 3 Thlr.

Schaeferi, Arnoldi, de sociis Atheniensium Chabriae et Timothei aetate in tabula publica inscriptis commentatio. 4. 1856. geh. 8 Ngr.

Schaefer, Arnold, Demosthenes und seine Zeit. 3 Bände. gr. 8. 1856—1858. geh. 10⅔ Thlr.

Scheibe, C., lectiones Lysiacae. Besonderer Abdruck aus d. Suppl. d. Jahrb. f. class. Philol. gr. 8. 1856. geh. 15 Ngr.

Schottmüller, Alfr., de C. Plini secundi libris grammaticis particula prima. Dissertatio. gr. 8. 1858. geh. 10 Ngr.

Schulze, R., quaestiones Hermesianacteae. Dissertatio. gr. 8. 1858. geh. 10 Ngr.

Sharpe's, Samuel, Geschichte Egyptens von der ältesten Zeit bis zur Eroberung durch die Araber 640 (641) n. Chr. Deutsch von Dr. H. Jolowicz. 2 Bände. Mit einer Karte und drei Plänen. gr. 8. 1857. 1858. geh. 4 Thlr.

Sophoclis tragoediae. Graece et Latine. Ex recensione Guil. Dindorfii. 2 voll. 8. 1850. 2 Thlr. 9 Ngr. Auch jedes Stück einzeln à 7½ Ngr.

Struve, Caroli Ludovici, directoris quondam Gymnasii Urbici Regimontani, opuscula selecta edidit Iacobus Theod. Struve. 2 voll. gr. 8. 1854. geh. 5 Thlr.

Suetoni, C., Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiae edidit Augustus Reifferscheid. Inest Vita Terenti a Friderico Ritschelio emendata atque enarrata. gr. 8. 1860. geh. 4 Thlr. 20 Ngr.

Susemihl, Franz, die genetische Entwickelung der Platonischen Philosophie einleitend dargestellt. Erster Theil. gr. 8. 1855. geh. 3 Thlr.

— — — **Zweiten Theiles erste Hälfte. gr. 8. 1857. geh. 2 Thlr.**

— — — **Zweiten Theiles zweite Hälfte. (Schluss). gr. 8. 1860. geh.** 2 Thlr.

Thucydidis de bello Peloponnesiaco libri octo. Ad optimorum librorum fidem editos explanavit Ernest. Frid. Poppo. Vol. IV. Sect. III. gr. 8. 1856. geh. 20 Ngr.

Titi Bostreni contra Manichaeos libri quatuor syriace Paulus Antonius de Lagarde edidit. gr. Lex.-8. 1859. Geh. 6 Thlr.

Tragicorum Latinorum reliquiae. Recensuit Otto Ribbeck. gr. 8. 1852. geh. 3 Thlr.

Tragicorum Graecorum fragmenta. Recensuit Augustus Nauck. gr. 8. 1856. geh. 5 Thlr. 20 Ngr.

Usener, Hermannus, Analecta Theophrastea. gr. 8. 1858. geh. 7½ Ngr.

Vahleni, Ioannis, in M. Terentii Varronis saturarum Menippearum reliquias coniectanea. gr. 8. 1858. geh. 1 Thlr. 14 Ngr.

— **analectorum Nonianorum libri duo. gr. 8. 1859. geh. 12 Ngr.**

Vergili, P., Maronis opera recensuit Otto Ribbeck. Vol. I. Bucolica et Georgica. gr. 8. 1859. geh. 1 Thlr. 18 Ngr.

— — Vol. II. **Aeneidos** lib. I—VI. gr. 8. 1860. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

Verhandlungen der neunzehnten Versammlung deutscher Philologen, Schulmänner und Orientalisten in Braunschweig vom 26 bis 29. September 1860. Mit 2 lithographierten Abbildungen. gr. 4. 1861. geh. 1 Thlr. 10 Ngr.

Vitruvii, Marci, Pollionis de architectura libri X. Ad fidem librorum scriptorum recensuit atque emendavit et in germanicum sermonem vertit Dr. Carolus Lorentzen. Vol. I. Pars prior. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 15 Ngr.

Wachsmuth, Curtius, de Timone Phliasio ceterisque sillographis Graecis disputavit et sillographorum reliquias collectas dispositas recognitas adiecit C. W. gr. 8. 1859. geh. 16 Ngr.

— **de Cratete Mallota disputavit adiectis eius reliquiis. gr. 8. 1860.** geh. 16 Ngr.

Westphal, Rudolph, die Fragmente und die Lehrsätze der griechischen Rhythmiker. Suppl. zur griech. Rhythmik von A. Rossbach. gr. 8. 1861. geh. 1⅓ Thlr.

Wieseler, Friedrich, der Apollon Stroganoff und der Apollon vom Belvedere. Eine archäologische Abhandlung. gr. 8. 1861. geh. 24 Ngr.

II. Schulausgaben griechischer und lateinischer Classiker
mit deutschen erklärenden Anmerkungen.

Erschienen sind bis jetzt:

Aeschylos Agamemnon. Von Rob. Enger.	12 Ngr.
Caesaris commentarii de bello Gallico. Von A. Doberenz. Mit Karte von H. Lange. 2. Aufl.	20 «
—— —— **de bello civili** von A. Doberenz.	15 «
Ciceronis de officiis libri tres. Von J. von Gruber.	12 «
Ciceros Cato major. Von G. Lahmeyer.	5 «
Ciceros Rede für Cn. Plancius. Von E. Köpke.	9 «
Cicero de oratore. Von K. W. Piderit.	1 Thlr. 6 «
Auch in 3 Heften à 12 Ngr. 1. Heft: Einleitung und I. Buch. 2. Heft: II. Buch. 3. Heft: III. Buch und erklärende Indices.	
Cornelius Nepos. Von J. Siebelis. 3. Aufl.	12 «
Demosthenes ausgewählte Reden für den Schulgebrauch erklärt von C. Rehdantz. I. Band: Die zwölf Philippischen Reden.	22½ «
Auch in drei einzelnen Heften:	
I. Heft: Einleitung und Olynthische Reden.	7½ «
II. Heft: I.—III. Philippische Rede. Ueber den Frieden. Ueber Halonnes. Ueber die Angelegenheiten im Chersonnes.	9 «
III. Heft: IV. Philippische Rede. Gegen Philipp's Brief. Der Brief Philipps. Kritische Anmerkungen. Indices.	7½ «
Herodotos. Von Dr. K. Abicht. Buch I. und II. nebst Einleitung und Uebersicht über den Dialect.	27 «
Homers Odyssee. Von K. Fr. Ameis. I. Band. I. Heft, Gesang I—VI. 2. Aufl.	15 «
—— —— I. Band. II. Heft, Gesang VII—XII.	10 «
—— —— II. Band. I. Heft, Gesang XIII—XVIII.	12 «
—— —— II. Band. II. Heft, Gesang XIX—XXIV.	10 «
Horaz, Oden und Epoden. Von C. W. Nauck. 3. Aufl.	18 «
—— **Satiren und Episteln.** Von G. T. A. Krüger. 3. Aufl.	22½ «
Isocrates ausgewählte Reden. Von O. Schneider. I. Bdchn.: Demonicus, Euagoras, Areopagiticus.	9 «
—— —— II. Bändchen: Panegyricus und Philippus.	12 «
Ovid's Metamorphosen. Von J. Siebelis. I. Heft, Buch I—IX. 2. Aufl.	15 «
—— —— II. Heft, Buch X—XV. 2. Auflage.	15 «
Phaedri fabulae. Von J. Siebelis. 2. Auflage.	7½ «
Platon's ausgewählte Schriften. I. Bändchen: Die Vertheidigungsrede des Sokrates. Kriton. Von Chr. Cron. 2. Auflage.	9 «
—— —— II. Bändchen: Gorgias. Von J. Deuschle.	18 «
—— —— III. Bändchen: Laches. Von Chr. Cron.	6 «
—— —— IV. Bändchen: Protagoras. Von J. Deuschle.	10 «
Plutarchs Biographieen. Von Otto Siefert. I. Bdchn.: Philopoemen und Flamininus.	7½ «
—— —— II. Bändchen: Timoleon und Pyrrhos.	10 «
M. Fabii Quintiliani institutionis oratoriae liber decimus. Von Dr. G. T. A. Krüger.	6 «
Sophokles. Von Gust. Wolff. I. Theil: Ajax.	10 «
Theokrits Idyllen. Von A. T. H. Fritzsche.	24 «
Thukydides. Von G. Böhme. I. Bd. Buch I—IV. II. Bd. Buch V—VIII. à	24 «
Jeder Band auch in zwei einzelnen Heften à 12 Ngr. I. Heft: Buch I & II. — II. Heft: Buch III & IV. — III. Heft: Buch V & VI. — IV. Heft: Buch VII & VIII.	
Xenophons Anabasis. Von F. Vollbrecht. I. Bdchn. Buch I—III. Mit Holzschnitten, 2 Figurentafeln und 1 Karte von H. Lange.	12 «
—— —— II. Bdchn. Buch IV—VII.	10 «
—— **Cyropädie.** Von L. Breitenbach.	22½ «
Einzeln à 12 Ngr. I. Heft: Buch I—IV. — II. Heft: Buch V—VIII.	
—— **Griechische Geschichte.** Von B. Büchsenschütz. I. Heft. Buch I—IV.	12 «
—— —— II. Heft. Buch V—VII und Index.	12 «

Diese Sammlung wird ohne Unterbrechung fortgesetzt.

—— Im August 1861. ——



III. BIBLIOTHECA SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM TEUBNERIANA.

Neue Textausgaben der Griechischen und Lateinischen Classiker.

Erschienen sind bis jetzt:

A. Griechische Autoren.

	Thlr.	Ngr.
Aeschinis orationes	—	7½
Aeschyli tragoediae	—	10
— Jedes Stück einzeln	à —	3
Aesopicae fabulae	—	7½
Apollodorus	—	10
Apollonii Rhodii Argonaut.	—	9
Appiani historia Romana, 2 voll.	1	21
Aristophanis comoediae, 2 voll.	—	27
— Auch jedes Stück einzeln	à —	5
Arriani expeditio Alex.	—	9
— — — mit Karte	—	13½
— — scripta minora	—	10
Athenaeus, vol. I—III.	3	—
Babrii fabulae	—	6
Bucolici Graeci	—	5
Demosthenis orationes, 3 voll.	1	7½
(Auch in 6 einzelnen Abtheilungen.)		
Dio Chrysostomus, 2 voll.	1	18
Diodorus Siculus, 4 voll.	2	27
Dionysi Halicarnasei antiqu. Rom. Vol. I.	—	24
Erotici scriptores, 2 voll.	2	12
Euripides, 2 voll.	—	27
Heliodorus	—	22½
Herodianus	—	12
Herodoti historiae, 2 voll.	—	22½
Homeri Ilias, 2 voll.	—	12½
— — mit Einleitung v. Sengebusch	—	18
— Odyssea, 2 voll.	—	12½
— — mit Einleitung v. Sengebusch	—	18
Hymni Homerici	—	7½
Iliadis carmina XVI ed. Köchly	1	—
Iosephus, Flavius, 6 voll.	3	18
Isaeus	—	12
Isocratis orationes, 2 voll.	—	22½
Luciani opera, 3 voll.	1	21
(Auch in 6 einzelnen Abtheilungen.)		
Lycurgus	—	6
Lysiae orationes	—	11¼
Manetho	—	12
Nonnus, 2 voll.	3	—
Onosander	—	12
Pausanias, 2 voll.	1	—
Pindari carmina	—	9
Platonis dialogi, 6 voll.	2	27
(Auch in 15 kleineren Abtheilungen.)		
Plotinus, 2 voll.	1	24
Plutarchi vitae, 5 voll.	2	9
(Auch in 14 einzelnen Abtheilungen.)		
Polyaenus	1	15
Porphyrius	—	18
Quintus Smyrnaeus	—	12
Rhetores Graeci, 3 voll.	3	—
Sophoclis tragoediae	—	12½
— Jedes Stück einzeln	à —	3¾
Stobaei florilegium, 4 voll.	3	—
Stobaei eclogae, vol. I.	1	—
Strabo, 3 voll.	1	21
Testamentum, novum, Graece	—	18
Theophrastus Eresius, 2 voll.	1	6
Theophrasti characteres	—	12
Thucydides, 2 voll.	—	18
Xenophontis expeditio Cyri	—	6¾
— historia graeca	—	7½
— institutio Cyri	—	7½
— commentarii	—	3¾
— scripta minora	—	7½

B. Lateinische Autoren.


	Thlr.	Ngr.
Caesaris commentarii	—	12½
Daraus einzeln:		
— — de bello Gallico	—	6
— — de bello civili	—	6
Catullus	—	4½
Celsus	1	—
Ciceronis opera, 11 voll.	6	12
(Auch in 35 einzelnen Abtheilungen.)		
Ciceronis orationes selectae	—	15
Ciceronis epist. select. Pars I	—	9
— — — Pars II	—	15
Cornelius Nepos	—	2½
Curtius Rufus	—	10
Eutropius	—	2½
Florus & Ampelius	—	9
Frontinus	—	15
Gellius, 2 voll.	—	27
Horatii carmina	—	7½
Iustinus	—	27
— Editio minor	—	7½
Iuvenalis satirae ed. Haeckermann	—	4½
— — ed. C. F. Hermann	—	4½
Livii opera, 6 voll.	1	24
Lucretius	—	12
Martialis epigrammata	—	12
Ovidii opera, vol. I.	—	10
— — vol. II. (metamorphoses)	—	7½
— — vol. III.	—	10
Daraus einzeln:		
Ovidii tristia	—	3¾
— fasti	—	5
— metam. delectus	—	5
Persius	—	3
Phaedri fabulae	—	2½
Plauti comoediae, vol. I.	—	12
— — vol. II.	—	10
Jedes Stück einzeln	à —	3¾
Plini epistulae	—	10
Plinii nat. hist., vol. I—V.	à —	18
Propertii carmina	—	6
Quintiliani inst., 2 voll.	—	18
Sallustius	—	3¾
Senecae opera philos., 3 voll.	2	6
Statius, 2 voll.	1	—
Suetonius	—	15
Taciti opera, 2 voll.	—	18
Daraus einzeln:		
— libri minores	—	3¾
Terenti comoediae	—	9
Tibulli carmina	—	3
Velleius Paterculus	—	4½
Virgilii opera	—	11¼
Daraus einzeln:		
— Bucolica et Georgica	—	3¾
— Aeneis	—	7½

Die Sammlung wird ohne Unterbrechung fortgesetzt.

☞ *Ein vollständiges Verzeichnis meines philologischen und Schulbücher-Verlags ist in allen Buchhandlungen gratis zu haben.*

Leipzig, August 1861. **B. G. Teubner.**

Druck von B. G. Teubner in Leipzig.



RUM

siket.

— 22½
1 21
— 6
— 11½
— 12
3 —
— 12
1 —
— 9
2 27
1 24
2 9
1 15
18
— 12
3 —
— 12½
— 3¾
3 —
1 —
1 21
— 18
1 6
12
18
6¾
7½
7½
3¾
7½
3¾
5
5
3
2½
12
0
3½
0
6
3¾





